This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600077813W

H. G. PORTHANS

SKRIFTER.

TREDJE DELEN.

Suomalaiſen Kirjalliſuuden Seuran

Toimituksia.

21 Oſa.

3 wihko.

HENRICI GABRIELIS PORTHAN

OPERA SELECTA.

PARS TERTIA.

H. G. PORTHANS SKRIFTER

I URVAL

UTGIFNA

AF

FINSKA LITTERATUR-SÄLLSKAPET.

TREDJE DELEN.

FORS,
, tryckeri, 1867.

HENRICI GABRIELIS PORTHAN

OPERA SELECTA.

PARS TERTIA.

H. G. PORTHANS SKRIFTER

I URVAL

UTGIFNA

AF

FINSKA LITTERATUR-SÄLLSKAPET.

TREDJE DELEN.

HELSINGFORS,
Finska Litteratur-Sällskapets tryckeri, 1867.

246. e. 757.

BODLEIAN LIBRARY
20JUL 33
OXFORD.

HISTORIA

BIBLIOTHECAE R. ACADEMIAE ABOËNSIS,

DISPUTATIONIBUS PUBLICIS XXIII

PROPOSITA

AB

HENR. GABR. PORTHAN.

(Aboae 1771—1787).

S:AE R:AE M:TIS

SUMMAE FIDEI VIRO, REGIS REGNIQUE SVEO-GOTHICI SENATORI, REGIAE CANCELLARIAE PRAESIDI, SUPREMO AULAE REGIAE PRAEFECTO, REGIAE ACADEMIAE ABOËNSIS CANCELLARIO, ORDINUM REGIORUM EQUITI, COMMENDATORI AC CANCELLARIO, CELSISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO COMITI, DOMINO

CLAUDIO EKEBLAD,

MAECENATI SUMMO.

Ignosce mitis, quod mea pagina
Audet gerentem prǫ Patria graves
Curas, adire TE, TUOSque
Ante oculos male culta prodit.

Gazam conatur pandere sedula,
Amoena musarum arva colentibus
Sacram, TUO laetis favore
Hic studiisque bonis dicatam;

Quam liberalis munere splendido
Auxisti, et almae pignora gratiae
Quae continet, TUAEque curae
Maxima tot monumenta servat.

Audaciam quod addidit et mihi
Sacrandae opellae, VIR, TIBI, MAXIME,
Nostrisque, MAECENAS, camoenis,
Usque pio celebrande plectro!

ILLUSTRISSIMAE EXCELLENTIAE TUAE

Cliens devotissimus
HENRICUS GAB. PORTHAN.

PRAEFATIO.

Quamquam neque multitudine librorum et praestanti delectu, nec pretiosorum gloria voluminum codicumve, Bibliotheca quam Regia possidet Academia Aboënsis, perpetua paupertate multisque saepe aliis conflictata malis, palmam caeteris, etiam intra Patriam, celebrioribus librorum collectionibus, dubiam reddere valet; unica tamen hactenus in his oris Bibliotheca publica, quae quidem ea digna sit appellatione, quin diligentius quam hucusque factum cognosci, eruditorumque quasi ante oculos collocari, multis nominibus mereatur, dubitari haud potest. Quamobrem non inanem, sed gratam potius literarum curiosis, et ad illustrandam Historiam Patriae Literariam pertinentem, nec ipsi etiam Bibliothecae nostrae plane inutilem susceptum iri operam putamus, si fata ejus faciesque luci breviter exponantur publicae; quo pacto occasio etiam simul habebitur opportuna, memoriae Augustorum, Illustrium, reliquorumque de re Literaria optime meritorum celebris hujus Lycei benefactorum, grates persolvendi debitas, qui sua munificentia atque liberalitate, ad librariam nostram supellectilem augendam ornandamque, et musas sic nostras immortali beneficio devinciendas, generose et laudabiliter contulerunt; qui quamvis non multi admodum hactenus fuerint, eo tamen majori a nobis veneratione mentisque gratissimae affectu coli merito debent. Susceperat itaque hanc telam diligenter pertexendam, Thesauri nostri hujus literarii non ita pridem Praefectus meritissimus, Cel. D. Mag. *Henricus Hylleen;* qui nisi ad aliam delatus stationem, gravioribus curis ab ea persequenda fuisset impeditus, dubium non est

quin eruditissime eam spartam fuisset ornaturus: sed cum illius a musis nostris discessu, spe ista excidissemus, atque per septem fere hos annos cum librario hocce penu arctius habens commercium, aliquam mihi suam fatorumque suorum notitiam comparassem, animum eidem consilio exsequendo, Historiaeque Bibliothecae nostrae enarrandae adjeci; cujus conatus fructum, virium referentem tenuitatem, benigno Lectoris judicio jam submitto. Dedi operam, ut nihil quod idoneis testimoniis firmatum, probatisque ex fontibus, Actis Consistorii Academici, et aliis tutae fidei monumentis, ipsaque librorum autopsi, haustum non esset, traderem aut affirmarem. Tribus Dissertationibus Academicis, quarum duae posteriores proximo intervallo autumnali, si DEUS vitam viresque largiatur, lucem adspicient, opellam edere constitui, has modo paginas, temporis angustia aliisque rationibus jubentibus, hac occasione praemittens.

§. I.

Fennos vetustissimos, ante introductam in has oras armis curaque Sveonum, circa medium saeculi XII, religionem Christianam (cujus suscepti operis notitiam, passim Historici nostri, tam Ecclesiastici quam Politici praebent) literarum tenuisse usum, ullaque adeo earum habuisse monumenta, nobis haud constat. Nulla enim illarum aut in lapidibus, cippisque sepulcralibus, aut in aliis vetustatis monumentis, reperiri potuerunt vestigia; multo minus suspicandi aliqua ratio est, libris majores nostros instructos fuisse. Ipsa conditio gentis, antiquissimis illis temporibus, quantum ex variis concludere rationibus, exterorumque de illa scriptorum testimoniis colligere possimus, nihil etiam tale sperare jubet. Atque haec sine dubio una ex gravissimis caussa est, cur vetustior Fennorum historia tam spissis et plus quam cimmeriis obducta jaceat tenebris, quarum unquam dispellendarum vel tenuis vel nulla plane spes remanet. Suppetit quidem in lingua nostra vox Kirja, et *librum* et *epistolam* significans, cujus natales ex qua lingua

extera repetam, non habeo; sed quo minus hinc concludamus, in literatura majores nostros antiquissimos aliquos fecisse progressus, obstat quod nec *literae* apud nos domesticum vocabulum occurrat. Quin tamen suas habuerint scientias suumque doctrinae cultum, ad rerum suarum conditionem adtemperatum, de quo hic pluribus disputare non vacat, dubitare omnino non licet. Christianis autem huc translatis sacris, et viros literarum peritos ad oram nostram commigrasse, et indigenas earum usum sensim docuisse, extra dubium est; quod necessarium etiam ad novam religionem propagandam, et homines linguae gnaros huic operi, majore cum fructu praeficiendos, sacrisque administrandis qui idonei essent, simul formandos, apprime fuit. Quamquam non admodùm magna in hoc negotio nec prudentia, nec diligentia, versatos fuisse homines, qui et pro sua indole et more saeculi in convertendis et illuminandis ethnicis vi atque armis quam argumentis et persuasione uti mallent, potiusque solerent, admodum probabile est. Necesse tamen fuit, ut ad literarum notitiam promovendam, paulatim aliqua instituta, ad hunc scopum tendentia, adhiberentur. Nec verosimilitudine caret, etiam hanc non levem fuisse caussam monasteriorum s. coenobiorum in hac regione condendorum, in quibus et pietatis et literarum studium simul promoveretur [1]). Quos autem in his literarum palaestris nostri homines facere potuerint progressus, ex caeterarum hoc aevo gentium, et Sveonum inprimis, qui suas huc apportabant literas, eruditione, quae quidem valde tenuis erat, judicium fieri potest [2]). Conabantur tamen sine

[1]) Cfr. de his omnibus quae egregie disputat Reverend. RHYZELIUS *Monasteriol. Sveogoth.* L. VIII p. 287 sqq. Vid. etiam *Historiae Academiae Aboēns.* sub Praesidio Cel. D. Professoris BILMARK editae Part. I §. 1.

[2]) Cum de doctrina medii aevi in genere, tum de insigni quem monasteria in ea tuenda tenebant loco, consuli possunt plurimi, et nostrates et exteri, Historiae tam Ecclesiasticae quam Literariae Scriptores: inter quos non est indignus qui nominetur Dn. JOHANNES ROLOTT, Gevaliensis, in Dissert. *De Professo-*

dubio pro virili sua ista studia urgere. *Raumensis* certe Schola, etiam post repurgatam religionem florens, et *Collegii Raumensis* nomine celebris, atque *Wiburgensis*, cujus Rectoris D:ni *Johannis Erasmi* cum laude meminit Reverend. JUUSTEN [3]), nobiles atque praeclaros discipulos educarunt [4]); quibus Aboënsis, utpote quae ad templum Cathedrale et Episcopalem sedem viguit, palmam sine dubio non concessit [5]). Unde factum, ut jam hoc aevo Finlandia viros doctos habuerit, qui in exteris quoque terris eruditionis gloria clari fuerint; ceu ex *Chronico Episcopor. Finlandiae* Reverendissimi JUUSTEN, passim videre est. Atque ad has literarum sedes, aliquas etiam, pro temporis et institutorum ratione, librorum fuisse collectiones, ut de aliarum nationum coenobiis scholisque hujusmodi constat, Bibliothecarum licet vix nomine dignas, probabile est [6]); quin templum Cathedrale Aboënse, tali instructum fuisse librorum penu, luculentissimis testimoniis extra dubium ponitur [7]). Has tamen omnes Librarias jam pridem dissipatas esse,

---

ribus Academicis, Holmiae excusa 8:o, et Upsaliae ventilata a. 1682; Part. I praes. *Claudio Arrhenio*, Part. II praes. *Joh. Columbo*. Vide Part. post. Sect. III. Art. 20—24 etc. p. 111 sqq.

[3]) In *Chronico Episcopor. Finlandiae*, egregio antiquitatis nostrae monumento, apud illustrem Dn. NETTELBLADT, Schwediſche *Bibliothec*, Erſtes Stück p. 86.

[4]) RHYZELIUS l. c. C. III p. 299 sqq. et C. VI p. 308 sqq. Cfr. JUUSTEN l. c. p. 83 et 86.

[5]) RHYZELIUS l. c. L. VIII praef. et C. I p. 289 sq. Cfr. JUUSTEN l. c. p. 83.

[6]) Cfr. Nob. v. STIERNMAN Tal för Kongl. Wetenſkaps *Academien* om de Lärda Wetenſkapernas tilſtånd i Swea Rike under Hedendoms och Påfwedoms tiden, p. 121 sq. Celeb. NORRELII *Stricturae in Bibliothecae Upsaliensis Historiam* p. 26—35. Nob. CELSII *Bibliothecae Regiae Stockholmiensis Historia*, p. 3—6. Cl. ALNANDER *Historia artis Typographicae in Suecia* C. I §. 1. RHYZELIUS l. c. p. 299. ROLOTT l. c. etc.

[7]) JUUSTEN l. c. p. 70. de Episcopo Aboënsi *B. Hemmingo*, qui obiit a. 1367, haec habet verba: *Dedit Ecclesiae* (Cathedrali) *pretiosos libros Theologiae et Juris Canonici multos*, (Cfr. Reverend. SPEGEL Swenſka Kyrko-Hiſtorien Andra

penitusque destructas, non mirabitur, qui noverit quot infestis hostium incursionibus, quot incendiis, aliisque malis, et tota haec ora, et inprimis Urbs Aboënsis, vexatae atque afflictae fuerint [8]). Hinc enim factum, ut nulli jam libri, ante emendata feliciter Sacra, publicis istis consecrati collectionibus, superesse atque ex communi evasisse naufragio deprehendantur. Neque nova aliqua, insignior quidem, primo post reformatam religionem saeculo, in Finlandia collecta fuit librorum supellex: vix enim nominari meretur, quam Templum hujus Urbis Cathedrale possedit, sensim sine dubio comparatam rursusque flammis infestatam, cujus reliquiae in Bibliothecam tandem Academicam immigrarunt; ut nec pauci illi libri, quos Schola Aboënsis, post Sacrorum emendationem florere pergens [9]), sibi acquisivit, quorum itidem melior pars Bibliothecae Academicae cessit. Ad tempora igitur institutae hic Academiae, quae publica quoque, non multo post, Bibliotheca ornata fuit, in quam tenues isti rivuli confluxerunt, deinceps paucis describendi, statim nos transferemus; faventiorem tandem indagini nostrae feracioremque, desertis his peragratis, offensuri campum.

Del. 7 Bok. C. I p. 391) et de vere magno Episcopo *Magno Olai Tavast*, p. 74: *Hic plurimos Theologiae et Juris libros, ad usum Ecclesiae acquisivit.* (Vid. §. III not. 8).

[8]) Cfr. *Diss. D:ni* RENSTRÖM, *Historia Sveogothica deficiens et restaurata*, Praes. Celeb. Dn. SCARIN hic Aboae edita, C. II Sect. 2 §. 3. STIERNMAN l. c. p. 121—125. RHYZELIUS et ALNANDER ll. cc. De frequentissimis autem quae Aboam vastarunt incendiis, hostilibusque incursionibus, cfr. Reverend. JUSLENII *Aboa Vet. et Nova*, C. II §. 11 et 15, p. 38 et 42, sq. Nob. GYLLENSTOLPE *Epit. Descript. Sveciae, Gothiae, Fensingiae* etc. Lib. VII C. 6. MESSENII *Scond. Illustr.* Tom. X p. 19, 20, 21, 25, 26, 35. T. V p. 100 et 107. T. XV p. 116 et 117. et JUUSTEN apud NETTELBLADT l. c. passim, ut p. 69, 76, 77, 81, 85. Inprimis autem notari meretur quam p. 80 sq. describit crudelis Danorum irruptio, duce quodam *Ottone Ruth*, qui inter alia foeda et atrocia *spoliabant Ecclesiam Cathedralem — — — libris melioribus.*

[9]) Confr. *Historia Acad. Aboënsis* l. c. p. 4.

§. II.

Condita hic An. Dn. 1640, felicibus Auspiciis, favore Reginae, Litterarum amantissimae, deque earum in Patria flore immortaliter meritae, *Christinae*, hortatu et solicitatione excellentissimorum et meritissimorum virorum, celebri Christinaea Academia [1]), mox desiderabatur, Musis recens huc translatis voluptatem, usum, suppetiasque praebitura Bibliotheca bene instructa; sine qua in literis insignes progressus fieri, aut multa egregia praestari non poterant. Tradunt viri de Historia Patriae summis meritis clarissimi, Reginam idcirco statim post conditam Academiam, Bibliothecam quoque hic fundasse [2]), regalique mactasse munificentia: sed haec verba stricte nimis non sunt interpretanda; nihil enim primis sex annis nova Academia accepit, liberalitate Regia, librorum, nec nisi biennio post acceptum munus Stålhandskianum, libris duplis Bibliothecae Stockholmiensis aucta est, ut infra narrabitur [3]). Nullos alios initio nacta est Libros Academia, quam qui Gymnasii fuerant Aboënsis, (cujus in locum successit,) an. 1627 a Gl. Memoriae Rege *Gustavo Adolpho* hic instituti [4]), et quos omnes Schola Aboënsis, antea hic florens, cujusque fundamentis Gymnasium superstructum quasi fuit, possederat.

---

[1]) Cfr., ut caeteros multos taceam, WEXIONII *Natales Academiae Aboënsis*, et BILMARK *Hist. Acad. Aboënsis* l. c. §. 3.

[2]) Cfr. Viri Nobiliss. STIERNMAN *Aboa Literat.* p. 10. CELSIUS *Bibliothecae Reg. Stockh. Historia* §. XV p. 67 et ARCKENHOLTZ *Mem. concernant Christine, Reine de Suède* T. I. p. 309 not. *

[3]) Patet id satis, praeter ea quae mox adducentur testimonia, ex *Elencho libror. Bibliothecae Acad. Aboënsis*, a. 1655 fol. hic edito; cujus mentionem saepius facturi sumus.

[4]) Quem etiam in Academiam illud commutare cogitasse, narrat Rev. BAAZIUS *Inventar. Ecclesiae Sveogothor.* L. VII c. VI p. 760. De ejus institutione confr. WEXIONII *Natales Acad. Ab.* STIERNMAN *Ab. Literat.* p. 2. ARCKENHOLTZ l. c. JUSLENIUS l. c. §. 13 p. 41. BILMARK l. c. §. 2 p. 7, quamquam in anno institutionis leviter discrepant.

Nec tamen totam hanc supellectilem, haud sane lautam. Academia accepit. Dicit enim Nob. GYLLENSTOLPE *Orat. de Bibliothecis in genere, et in specie de Bibliotheca Regiae Acad. Aboënsis*, (impressa Aboae 1657 fol., de qua plura infra): *Primitus ex libris non multis Gymnasio, quod hic Aboae ante fundatam Academiam floruit, dicatis, pauci saltem Academicae Bibliothecae destinati fuere, caeteri Scholae inferiori relicti sunt* [5]). Paucos vere dicit, qui Academiae vindicati sunt: erant enim 21 tantum volumina, 16 in folio, 2 in 4:o, 3 in 8:o; ut in Catalogo Bibliothecae an. 1655 hic typis vulgato, de quo postea loquemur, recensentur [6]). Neque hi multi erant pretii, ut ex eodem videre licet Catalogo. Accesserunt Globi insuper duo, unus coelestis alter terrestris, diametri unius circiter pedis [7]). Omnia haec servat adhuc Bibliotheca Academica. Adscripta fronti aut margini librorum, annotatio, docet eos *Scholae Aboënsis* fuisse, et ab an. Dn. 1606, ad an. 1627 emtos, aut dono acceptos [8]). Nulla itaque post Scholam in Gymna-

[5]) Hi quot qualesve fuerint, ignoramus, quod omnes perierunt: sine dubio tamen primis tironum usibus erant accommodati.

[6]) Cfr. BILMARK l. c. P. III §. 7 p. 48.

[7]) [Notandum, Globos hos nequaquam tantae fuisse magnitudinis, sed formae minimae, qui jam circa praesentis seculi initium plane erant corrupti; ut ex Actis recensionis Bibliothecae a. 1709 institutae (vid. §. XI et not. 20) liquet, itaque emti sunt majores, de quibus §. XI et not. 25) agitur.]

[8]) Ad memoriam conservandam praeclarorum virorum, qui literarum in patria sua promovendarum studio, hos Libros Scholae Aboënsi donasse reperiuntur, opemque forte aliquam illis, qui Historiae nostrae literariae illustrandae operam consecrare voluerint, adferendam, contenta annotationum istarum hic adponemus: Munsteri Cosmographiam (Bas. 1572.) *Scholae Aboënsi in Testamentum M. Marcus Henrici (Helsingius), ejusdem olim Rector meritissimus legavit An. 1609 in Januario*; qui eundem librum emerat *Vittebergae* 1592. Ex ejus suppellectili libraria *ejusque in memoriam, Scholae Aboënsi in testamentum* etiam relictus fuit Tilem. Heshusii Comment. in Psalmos etc. (Helmst. 1587) 1609 *6 Julii.* Gregorii Nazianzeni opera, Lat. (Bas. 1571) eidem Scholae donavit *cum hypodidascalatu quadriennali*

sium commutatam, libraria illius supellex cepisse videtur incrementa. Libri hi omnes a medio saeculi XVI ad initium XVII impressi sunt.

§. III.

Quod autem brevi sentirent Patres Academici, quam difficulter, tanta librorum penuria laborantes, literas, eo quo decebat ardore excolere, bonarumque artium studia urgere possent, mature de Bibliotheca augenda curam fovere consiliaque agitare coeperunt. Itaque jam an. 1640 Dn. Mag. *Johanni Olai Dalekarlo (Stjernhöök)*, Juris Professori, Stockholmiam d. 16 Decembris proficiscenti, in mandatis dabat Senatus Academicus, ut apud faventissimum vereque Maximum hujus Academiae Maecenatem Illustriss. Comitem *Petrum Brahe*, Regni Senatorem etc., *de Bibliotheca adipiscenda ageret* [1]). Item an. 1643 Dn. Doctori *Æschillo Petraeo*, Theolog. Professori Primario, ad Comitia Stockholmiam eunti, commissum fuit, *ut exquireret an aliqua alicubi repe-*

---

abiret, et in Germaniam iter institueret Gabriel Petri Melartopaeus Rimitinsulanus, 1606 XVI Calend. Junii, quibus musis Aboënsibus solenniter valedixit; qui Rector deinde ejusdem Scholae, manu sua testatus est *Horatium* (cum comment. Cruquii et Dousae, ex offic. Plant. Raphelengii 4:o 1611) *emtum esse in Usum Scholae Aboënsis 3 Thaleris sumtis ex aere D. Annae Beronis ad* Harfwila *Testamentario, An. 1621, 9 Julii.* Cfr. de hoc viro merit., Episcopo demum Wiburgensi facto, RHYZELIUS *Episcoposc. Sviogoth.* L. IX c. 2, qui locus hinc opem aliquam accipere potest. Scapulae Lexicon, (Bas. 1594.) *post obitum Dn. Joh. Clementis Mentz, Pastoris olim Cumoënsis, ab haeredibus illius Scholae Aboënsi legatum esse in Testamentum An. 1606, testatur Joachimus Stutaeus, Ostrob.* Virgilius, (cum Comment. Donati et Servii Bas. 1551) *ex testamento M. Gregorii Teiti accessit Scholae Aboënsi, procurante M. Joach. Stutaeo, Rectore Scholae ejusdem An. 1615, d. 19 Maji.* Apiani Cosmographiam (Col. 1574 4:o) *Johannes Abamnaeus M. Marci Henrici filius, olim Aboënsis Scholae Rectoris Annos decem et quatuor, pro institutionis suae gratitudine et memoria Scholae Aboënsi dono dedit An. 1627, IV non. Aprilis.*

[1]) Protoc. Consist. Acad. an. 1640, d. 12 Decemb.

riretur Bibliotheca, qua illic locorum carere posset publicum, huic Academiae insigni emolumento et ornamento futura [2]). Scilicet moris tum fuit Ducibus Imperatoribusque nostris, victricia per Germaniam etc. arma circumferentibus, inter bellorum strepitus de Literarum in Patria flore commodisque promovendis, natalique solo hostium spoliis etiam literariis ornando cogitare, et integras Bibliothecas, belli jure captas, in Sveciam transmittere; quare suspicabantur Academici nostri, talem aliquam latere adhuc alicubi, qua hoc Lyceum ornari, adeoque in partem praedae istius literariae, qua Upsaliensis et Stockholmiensis Bibliothecae tam insigniter auctae sunt, posset venire. Sed successum aliquem his moliminibus adhuc respondisse, non apparet. An. certe 1645, nullo adhuc augmento librariam Academiae nostrae supellectilem locupletatam fuisse reperimus [3]). Quamobrem neque Bibliothecario aliquo hactenus opus fuit, neque peculiari atrio libris servandis dicato, qui in loco, Consistorio Academico habendo adhibito, una cum Archivo Consistorii, interea asservabantur [4]). Patet tamen ex Actis Consistorii, a. jam 1644 duos fuisse Professores Typographiae et *Bibliothecae Inspectores* constitutos, *Doct.* nempe *Aesch. Petraeum*, et *M. Johannem Olai Dalekarlum* [5]). Curam etiam in id intendebant Patres Academici, ut *liber ex Charta pura eleganter compactus pararetur, in quem inscriberentur libri omnes, cum Gymnasio* (Scholae) *Aboënsi olim dono dati, tum quos Academiae postea donatum iri* sperabant [6]). Qui liber in 4:ta forma compactus, adhuc superest, sed paucorum tantummodo Pastorum Eccl. maxime Ostrobotniensium, nominibus ornatus (ut postea docebitur); nec libri Gymnasio aut Scholae donati in eum inscripti reperiuntur. Reticendum autem non est, quod cum liber iste perfectus Consi-

[2]) Protocoll. An. 1643 d. 23 Sept.
[3]) Vide Protoc. Consist. Acad. An. 1645 d. 5 Mart.
[4]) Ibid. l. c.
[5]) Protoc. d. 22 Maji 1644.
[6]) Protoc. An. 1644 d. 30 Octob.

storio Academico exhiberetur (An. 1645 d. 5 Mart.), decreverunt Patres *ut Notarius* (Secretarius) Academiae *cum eodem visitaret Generosiss. D. Supremi in Finlandia Dicasterii Praesidem (Joh. Kurck), aliosque majoris dignationis viros, qui ex aliis oris huc advenire possent* [7]); sine dubio, ut ad musarum nostrarum inopiae succurrendum, et librariam augendam nascentis Academiae supellectilem, permoverentur: quod tamen consilium an exsecutioni datum sit, non constat. Mansit certe Bibliothecae conditio aeque paupera et tenuis, usque dum anno sequenti Generosiss. Dn. *Stålhandskii* eximia liberalitate sublevaretur [8]).

---

[7]) Locum totum de hac re agentem, animi caussa, ex *Protocollo Consistorii Acad. an. 1645 d. 5 Mart.* transscribemus: Dito Fridric Ellers Acad. Bokbindare hafwer för the gamle papper som han hädan ifrån Consistorio tagit hafwer, stänkt och gifwit til Acad. Bibliothek en anſenlig och förgylt bok in 4:to, theruti alle böcker skola inſkrifwas, som för detta här in Consistorio liggia, eller frambeles til Academiens Bibliothek gifwas och skänkias kunna. Med hwilken bok Notarius Academiae skal beſökia H. M. Praesidenten och andre förnämlige som hit ifrån andra orter ländа kunna.

[8]) Quoniam favore Reverendiss. Episcopi atque Pro-Cancellarii D:ni D. *Car. Frid. Mennander* indicem nactus sum ex *Libro Ecclesiae Aboënsis*, in Reg. Antiquitt. Archivo asservato, descriptum, librorum istorum *multorum et pretiosorum*, quos Episcopum B. *Hemmingum* Ecclesiae Aboënsi dedisse narrat Rev. JUUSTEN, (vid. supra §. I, not. 7, p. 6), rarum hoc apponere haud praetermittam, antiquioris nostrae rei librariae monumentum:

„*Collacio librorum facta Ecclesie Aboënsi per D:num Hemingum episcopum Aboensem.*

Noverint universi, quod Nos HEMMINGUS, miseracione Divina Episcopus Aboensis, donamus Ecclesie Aboensi infrascriptos libros, circa annum domini millesimum trecentesimum quinquagesimum quartum: videlicet, Postillas Lirae super totum vetus Testamentum, in quatuor voluminibus, et per totum novum Testamentum, in duobus voluminibus, et unum volumen morale super utrumque Testamentum. Item libros Juris Canonici, videlicet, Decretum, Decretales, Sextum et Clementinas, cum glossis ordinariis. Item Archydiaconum et Johannem Andree super Sextum. Item Katholicon cum Rosario, et quandam summam magnam, quae vocatur Astensis. Item textum sententiarum, cum duobus scriptis super illas, videlicet uno Hunibaldi de ordine

§. IV.

Primum igitur donatae Regio huic Auraico Lyceo collectionis librariae, quae quidem *Bibliothecae* nomine insigniri posset, laus sine controversia *fortissimo* debetur *bellatori, Equitatus Duci Generali, nec non Cohortis unius Equestris et Pedestris Tribuno, Generosissimo D:no Thorstano Stålhandske, Haereditario in Hummelsund, Öfverby et Alten* [1]); qui, cum felicibus armis causam Patriae assereret, belli jure copiam librorum haud spernendam nactus, conditae nuper in natali solo Academiae memor, Musas nostras gratissimo hoc munere ornare, benefice decrevit. De-

Predicatorum et postea Cardinalis super totas sentencias, et alio satis diffuso super quartum tantum. Item moralia Gregorii super Job in duobus voluminibus. Item in uno volumine quatuor libros Damasceni, Ysidori de summo bono, Jeronymum super Marcum, undecim libros Anshelmi, Pastoralem Gregorii et Ambrosium de officiis. Item in uno volumine librum de consideracione Bernardi, et Epistolas suas diversas, cum omelia sua super missas. Item librum de proprietatibus rerum. Item Racionale divinorum officiorum. Item sermones Jacobi de Lansanno. Item Holkot super librum sapiencie. Item Innocencium super Decretales. Item summam Gamfridi cum cavillacionibus Magistri Johannis de DEO, et summa super officia advocacionis in foro ecclesiastico, et summa Egidii cum notabilibus decretalium et textu Clementinarum sine glosa, in uno volumine. Item antiquum Psalterium cum glosa ordinaria. Item *Bibliam*. Item librum de divinis officiis. Item formularium de diversis formis literarum et processuum. Item summa Decani Upsalensis. Item summam distinccionum fratris Nicolai de Gerham, de ordine fratrum Predicatorum. Item Manipulum florum. In cujus donacionis evidenciam sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum A:o ut supra." *Åbo Copie-Bok* in Archiv. Antiquitatum, folio 14.

[1]) Inclyti hujus Herois memoriam, pluribus hoc loco persequi, eo minus est nobis necessarium, quod eam peculiari Dissertatione, se auspice, explicatum iri, nobis significavit Cel. Dn. Prof. *Bilmark;* hauriendam tantisper, ut alios scriptores eorum temporum praeteream, (inprimisque vitae enarrationem, *Personalia*, concioni super ejus mortem funebri adjectam), ex *Oratione* Nob. GYLLENSTOLPE *de Bibliothecis in genere, et in specie de Bibliotheca R. Academiae Aboënsis*, de qua mox plura.

esse spolia docet, bello quod ultimo vitae suae tempore *Stâlhandskius* in Slesvicia Jutiaque gessit, ut videtur, comparata, cum eas regiones, *Torstensonio* duce, Svecica arma

---

blice pro Doctoratu in Theologia obtinendo defendebat in Reg. Acad. Hafniensi a. 1634, die 22 et 25 Oct. (alterius Respondentis spartam ornante D. M. *Johanne Erasmo Brochmand*, S. S. Theol. in Reg. Acad. Hafniensi Profess. Ord.) a. D. *Casp. Erasmo Brochmand*, S. S. Theolog. Doct. et Profess. Ordinar. Regio jussu editam *Refutationem caussarum quibus inductus Dux Christianus Wilhelmus, Marchio Brandenburgensis etc. (Administrator Episcopatus Magdeburg.) a Lutherana defecit, et se Ecclesiae Pontificiae mancipavit.* Hafn. 1634, 4:o; cujus itaque quod 4 Exemplaria Bibliotheca ejus habuit, non est mirum, in nostrum inde Acad. librorum penum translata: in hujus operis fronte vocatur D. M. *Martinus Matthias. Strabonis Geographiae*, (Atrebati 1587 fol.) quae itidem inter *Stâlhandskianos* libros occurrit, haec adscripta leguntur verba: *Debiti animi τεκμήριον Viro Reverendo et Clarissimo D:no Mag. Martino Matthiae, Aulae Regiae Pastori fidelissimo, amico jugiter prosequendo, transmittit Hafnia d. 18 Maji 1625. Michaël Christiern.* Praeter supra memoratum documentum amicitiae, viro huic docto cum Cel. *Meursio* intercedentis, aliud offert haec epigraphe *Clementis Constitutionibus S. Apostolorum etc.* (Venet. 1563 4:o) adjecta: *Viro Reverendo et Praestantissimo Martino Matthiae, Artium Magistro et Serenissimi Principis Christiani V, Electi Daniae Principis Concionatori, amoris et observantiae pignus l. m. d. d. Joannes Meursius.* Haec, quae suo loco adferre, levis error exscriptionis me impedivit, hic adjicio, ad illustrandam Historiam Viri doctissimi pertinentia, cujus jam bonis fruimur; debemus sane hunc illi favorem, quem ipse fere sibi expetiit (fatorum quae libros suos manebant tum ignarissimus), hoc tetrasticho *Meursii Glossario Graeco-Barbaro* (Lugd. Bat. 1614, 4:o) una cum nomine suo adscripto:

Salve quem Dominum veneratur hic author, eundem
Quondam scire velis sicce fuisse meum.
Praedecessoris Tu nec memor esse gravere,
Da votum, Tua sic posteritatis erunt.

Diligentem librorum suorum fuisse lectorem, adscriptae illis passim annotationes docent.

De Episcopo Arhusiensi *Martino Matthiae* cfr. PONTOPPIDANI *Annales Eccles. Danicae* 3 Th. p. 170 sqq. et JENS WORMS Forſög til et Lexicon over Danſke, Norſke och Islandſke Iaerde macnd T. II p. 25 sq.]

infestarent. Magnas in hoc bello *Stålhandskium* nostrum egisse partes, tota peninsula Jutiae initio anni 1644 occupata, notissimum est. Verosimilitudine itaque non caret, eum Arhusiae, Episcopi Bibliotheca ablata, maximam saltem partem horum librorum, novae in Patria Academiae usibus consecrandam, cepisse; quamquam nec negamus, et plures in his oris Bibliothecas idem fatum potuisse subire [6]), et bellatorem nostrum jam in Germania initium aliquod hujus collectionis forte fecisse. Mediocris tamen voluminum numerus, et pauci libri dupli, unius potius viri docti, cujus etiam indicant nomen, penum, quam multorum spolia, prodere videtur. Nullum *Manuscriptum codicem* tota haec Stålhandskiana Bibliotheca continebat; et Theologicae eruditioni, ut muneris studiorumque ferebat pristini possessoris ratio, maxime fuit accommodata. Integram fere adhuc, paucis tantum injuria temporum amissis voluminibus, supellex Academiae nostrae literaria servat; illustre monumentum datoris in musas nostras beneficentiae.

Aucti hoc thesauro Patres Academici, de loco porro idoneo eidem prospiciendo, solliciti fuerunt. Adhibitum huic usui *Templum* sic dictum *Germanicum* (Tyſk-Kyrckan), ex Actis Academiae reperimus, in quod ut libri quam primum transportarentur et apto collocarentur ordine, fuit decretum [7]). Eandem hanc fuisse aedem, quae hodie *ludo palaestrico* est destinatus (Fäktſalen), in qua ad recentiora usque tempora Bibliotheca Academica collocata mansit, firmis

---

[6]) *Viti Theodori Annott. in N. Test. Francof.* 1545, 4:o, adscriptum legitur: *Liber emptus duobus marcis Danicis, a Johanne Thomae Ludimagistro Rip. in usum Scholae Ripensis perpetuum*, fallaci vaticinio, s. a nostris inde ereptus fuit, s. antea jam in privatam Bibliothecam transiit. Adjiciam etiam hoc loco, *Apuleji Asino Aureo*, Paris. 1512 fol., esse in fronte libri inscriptum nomen *Gustavi Trolle;* recentiori vero manu, sed ita tamen, ut idem nomen (quod quia margini nimis propinquum antea fuerat, a Bibliopega in libro iterum compingendo est laesum et decisum, ut legi amplius nequeat) restitutum videatur.

[7]) Protoc. Consist. Acad. a. 1647, d. 1 Junii. Cfr. BILMARK l. c.

rationibus demonstratur [8]); non enim mutatum fuisse Bibliothecae locum, ante proximam ejus ad novas aedes, in quibus hodie asservatur, translationem, ex actis Acad. colligitur, et viciniam turris Templi Cathedralis, ut infra narrabitur, graviter aliquoties sensit. Ob humilem vero situm, minus commodum libris servandis hoc atrium fuisse, quibus non potuit aëris humiditas non nocere, et eo viso facile intelligi potest, et ex actis abunde constat. Cura librorum in novo loco disponendorum, Inspectoribus, hoc anno, Bibliothecae, Dn. M. *Joanni Elai Tersero,* Theol. Prof., et Dn. M. *Michaeli Wexionio,* Phil. Pract. Prof., demandata; quibus hunc in finem vacatio a praelectionibus publicis hebdomadalis fuit concessa [9]). Adesse etiam jussus Academiae *Notarius* s. *Secretarius,* D. M. *Michael Jurvelius,* in quem Bibliothecarii partes munusque conferre Senatus Acad. decrevit, salariumque illi ex *pecuniis* sic dictis *diligentiorum,* aut aliis Academiae reditibus, destinavit [9]). Licet hoc quidem consilium, ut mox patebit, deinde factum sit irritum. Neque Bibliothecae designationem tam cito absolvere, librosque ordinare, Inspectores valebant, quod Catalogum ipsi simul conficere necesse haberent, nullo tali, cum ad opus accederent, subsidio instructi [10]). Et interim novis auctibus Bibliotheca crevit. Tacendum autem nobis non est, de pia in benefactorem mente declaranda, mox quoque Academicos cogitasse. Designatus enim fuit Dn. M. *Johannes Terserus* Junior, Eloqu. Professor, qui *Orationem de Bibliotheca quam Gen. Stålhandske conjuxque ejus Academiae donaverant, conscriberet* [11]); licet ille, mortem sequenti anno obiens, recepto in se officio functus esse non videatur. Praestitit autem, quod ille imperfectum reliquerat, sexennio post Nob. *Gyllenstolpe,* habita a. 1654 die 9 Maji, cum ipsi Rectoratus in sequentem quoque annum prorogaretur, *Oratione de*

[8]) Cfr. BILMARK l. c.

[9]) Protoc. Consist. Acad. a. 1648, d. 15 Martii; cfr. Protoc. d. 1 Junii a. 1647.

[10]) Protoc. a. 1648, d. 26 April.

[11]) Protoc. a. 1648, d. 5 Mart. et 26 April.

Bibliothecis in genere, et in specie de Bibliotheca Regiae Academiae Aboënsis, atque quomodo haec a. p. m. fortissimo quondam Heroë, Generos. Dn. Torstenio Stålhandske etc. ejusque relicta vidua Generos. Dn. Christina Horn etc. laudatissime aucta et amplificata fuerat, a nobis jam citata, in qua praecipua hujus herois praeclara facta percurrit. Excusa est an. 1657 hic Aboae a *Petro Hansonio* Acad. Typogr. in folio. Pari pietatis officio, ex Senatus Acad. decreto, defunctam Gen. *Stålhandskii* conjugem prosecutus est Cel. Dn. M. *Daniel Achrelius,* Acad. tum Secretarius, Eloqu. postea Professor, cujus exstat *Elogium tumulo Illustriss. Dn. Christinae Horns, Baronissae in Lämpälä, Dominae in Runogård etc. publico nomine dicatum,* typis expressum Aboae apud *Joh. L. Wallium* A. T. in folio, eodem sine dubio anno, quo, (die 29 Junii), proclamatum esse, ex praemisso Programmate Acad. tum Rectoris, Maxime Rever. Dn. M. *Jacobi Flachsenii,* Theol. Professoris, discimus, nempe 1672 [12]).

§. V.

Multum vero adhuc abfuit, ut librorum apparatu, qui publica dignus esset bonarum artium officina, justisque musarum nostrarum desiderіis satisfaceret, Academia esset instructa. Itaque apud Reginam faventissimam, novi hujus Lycei fundatricem, et Illustrissimum Cancellarium, submisse agere pergebant Patres Academici, ut Regia gratia supellex sua libraria augeretur. Demandatum fuit hoc negotium inter caeteras de Academiae commodis curas, an. 1647, D. M. *Simoni Kexlero* Mathem. Profess. Stockholmiam proficiscenti [1]), tam felici successu, ut aestate sequente ad has oras adveniens Illustr. Comes, Regni Drotzetus et Senator, Academiaeque hujus Cancellarius, Dn. *Petrus Brahe,* ipse

[12]) Cum non dubitemus, quin Illustr. hujus Academiae nostrae, non uno nomine, benefactricis memoriam, una cum Conjugis sui egregiis factis, explicaturus sit Cel. Dn. Prof. Bilmark, eam hoc loco pluribus non attingimus. Conf. not. sup. [1]).

[1]) Prot. Cons. Acad. a. 1647, d. 14 Aug.

secum 87 volumina, Historici omnia argumenti, donum Reginae Serenissimae, ex Bibliotheca Regia Stockholmiensi, quae insigni librorum duplorum abundabat numero [2]), adduceret [3]). Decreverunt itaque Academici, ut Catalogus librorum Academiae conderetur, ita adornatus, ut primum recenserentur volumina a Regina donata, deinde Stålhandskii munus; cui usui peculiaris liber erat adaptatus [4]). Missis porro an. 1650 ad Comitia, Coronationique Regiae interfuturis D. D. *Aesch. Petraeo* et D. M. *Mich. Wexionio*, non oblitus est Senatus Acad. inter caetera desideria hoc etiam diligenter commendare, *ut de augmento Bibliothecae impetrando* supplicarent [5]). Dum autem his curis Patres invigilabant, accepit, quae jam ad aliquam molem creverat librorum collectio, Regio favore peculiarem Praefectum. Eodem enim hoc anno D. M. *Axelius Kempe*, Ostrobotniensis, *Depositoris* antea ad hanc Academiam munere ornatus, Stockholmiam profectus, apud Illustriss. Cancellarium, de commodis Academiae promovendis maxime sollicitum, effecit, ut Diplomate die XVIII Decembris dato, primus *Bibliothecarius* constitueretur; quo etiam stipendium illi simul CL Thalerorum Argent. Regia liberalitate assignabatur. Novum hoc munus initio sequentis anni capessivit, thesauro sibi concredendo ab Inspectoribus ejus rite prius percensito, certoque librorum confecto indice; et dignitatis locum inter Adjunctos Academiae nactus est [6]). Atque laetiore

---

[2]) Conf. Nob. CELSII *Bibliothecae Reg. Stockh. Historia* §. XV pag. 67.

[3]) Prot. Cons. Ac. a. 1678 d. 23 Junii; et *Elenchus Libror. Acad. Ab.* impr. 1655.

[4]) Alius ut videtur, ab eo cujus supra §. III fin. mentionem fecimus, de quo etiam mox; et forte idem qui in actis recensionis Bibliothecae an. 1726 factae describitur, tum adhuc superstes, in folio ligatura Gallica compactus; hic enim, ab initio conditae Bibliothecae adornatus ibidem dicitur, primisque tantum 87 foliis catalogum librorum continebat. Cfr. Protoc. Consist. Ac. an. 1648 d. 6 Sept.

[5]) Protoc. Cons. an. 1650 d. 27 Junii.

[6]) Prot. Consist. Acad. a. 1651 d. 29 Jan., 9 Mart., 25

sic Bibliothecae nostrae adblandiente fortuna, ne domesticarum musarum careret laboribus, et sensim illam aucturis, et gratam posteris praebituris materiam de superiorum temporum studiis judicandi, laudabiliter fuit sancitum, ut omnium Dissertationum Academicarum ad hoc Lyceum edendarum exemplar, in Bibliothecam publicam inferretur [7]); quamquam eventus huic consilio non respondit, partim quod neglectum postea fuit, partim quod multa horum scriptorum Bibliotheca amiserit, quorum itaque, ut et aliorum ad Historiam Academiae pertinentium monumentorum, Programmatum, Orationum etc., magna jam penuria laborat, difficillime tollenda. De Catalogo etiam Bibliothecae, publica impensa typis exscribenda decretum factum fuit [8]), aliquot serius annis, ut mox videbimus, effectui datum. Et ne ullum consilium, quod thesauro huic augendo inservire posset, inexpertum omitteretur, novus Bibliothecarius, magno flagrans studio de concredito sibi penu bene merendi, privatorum quoque nonnullorum liberalitatem tentavit [9]), Pastorum scilicet Sacellanorumque quorundam, nec non Ecclesiarum, maxime Ostrobotniensium; itineris, ut videtur, ad natalem hanc suam terram, fine anni 1651 et sequentis initio instituti, opportunitate usus: testatur liber ex charta pura in 4:ta compactus forma, adhuc superstes, in quem nomina sua et libros a se datos, aut pecuniam collatam inscripserunt [10]), eum hac ratione summam LXXXII Thalerorum cu-

Jun., 17 Sept. et a. 1652 d. 17 Mart. Postulante Senatu Acad. ut Bibliothecarius sponsores praestaret, antequam libri suae fidei committi possent, res ad Cancellarium relata fuit, nescio quo eventu; sequentium autem Bibliothecariorum quidam non alia conditione hujus Thesauri curam nacti sunt.

[7]) Protoc. a. 1651 d. 17 Sept.

[8]) Ibid. CL tantum ejus exemplaria imprimenda esse, Consistorio Acad. placuit; unde mirum non est, rarius eum jam esse obvium. Cfr Celsius l. c. p. 68. Tota hujus rei cura Bibliothecario commissa fuit.

[9]) Cfr. Protoc. Consist. Ac. a. 1688 d. 27 Sept.

[10]) Eundem esse conjeci de quo supra §. III p. 14 et favet titulus, qui habet, Latine et Svetice: *Nomina Illustrissimo-*

preorum, numeratae pecuniae, et XXXV volumina librorum collegisse, exigui sane pretii, quorum indicem IV voluminibus, nescio unde datis auctum, exhibet saepe laudatus Catalogus s. *Elenchus* Bibliothecae Aboënsis a. 1655 editus. Sed locupletiora subsidia a Reginae faventissimae munificentia et in hanc a se conditam Academiam benignitate, Bibliothecae nostrae, Patres Academici sperare pergebant. Itaque rursus D. D. *Michaeli Gyllenstolpe,* a. 1652 Stockholmiam eunti, in mandatis dabant ut supplex hac de

---

rum Principum et Comitum, Perillustrium et Generosorum Baronum, Reverendissimorum et Nobilissimorum Dominorum, aliorumque praeclarorum Virorum, bene de Republica literaria sentientium, qui in Dei ter Opt. Max. laudem, et commodiorem juventutis informationem, ad Bibliothecae Aboënsis instaurationem aliquid contulerunt. Nulla tamen nomina, praeter Pastorum etc. horum, in medio fere libro occurrentia, inscripta reperiuntur; quod primae quidem destinationi non convenit; et quod in actis recensionis Bibliothecae a. 1726, (Rectore Illustri Celsiss. D. Comite *Ekeblad,* Regni deinde Senatore etc.) facta habetur de libro Chartaceo, 4:tae formae, *ligatura Gallica, continente Catalogum librorum, Bibliothecae, diversis temporibus a superioris inferiorisque conditionis viris, donatorum,* in hunc quadrare non videtur; sed neque fit nisi unius hujuscemodi mentio libri. Nomina quae in superstite jam libro exstant, quoniam pauciora sunt, adponemus: Ecclesia Lojoënsis dedit 4 Thaleros Cupreos, et ejus Pastor Sveno Torchilli Joachimicum; Eccles. Kumoënsis 4 voll., Pastor Simon Bartholdi 1 vol., Ecclesia Ulfsbyensis 2 voll., Pastor Gregorius Thomae 7 voll., Eccles. Lappfierdensis 6 Thal. Cupr., Pastor Andreas Kempe (Pater Bibliothecarii) 3 voll., Sacellanus Laurentius Joh. Rivelius 1 vol., Eccles. Nerpensis 12 Thal. Cupr., Pastor Elias Petri Holmius (Socer Bibliothecarii) 4 voll., Eccles. Ilmolensis 6 Thal., Laihialensis 6 Thal., Pastor Haquinus Nicolai Laihialensis 1 vol., Eccles. Malaxensis 1 et dimid. Imperialem, Pastor Olaus Magni Arenius 3 Thal., Eccles. Storkyroënsis 8 Thal., Vöroënsis Pastor Gabriel Matthaei Gammal 1 vol., Eccles. NyCarlebyensis 8 Thal., Pastor Jacobus Jacobi Carlman cum filio Canuto 5 voll. et Sacell. Gregorius Raumannus 1 vol., Eccles. Pedersörensis 8 Thal., Eccles. Cronobyensis 6 Thal. et Pastor Jac. Brenner 2 voll., quibus addendi Paulus Bhoom qui 2, et Joh. M. Bruunlöff qui 1 vol. dederunt. Metienda haec sunt ex temporum et benevolae voluntatis ratione.

re ageret [11]); et postquam is Regiam Majestatem votis Academiae benigne annuere rescripsisset [12]), ablegatus est aestate sequenti Bibliothecarius Stockholmiam, publicis impensis [13]), literis munitus commendatitiis et ad Illustr. Cancellarium, et ad Cel. *Naudaeum* Bibliothecarium Regium, ut auxiliatrices ei hoc in negotio manus praeberent [14]). Cujus itineris is successus fuit, ut rediens 315 volumina (diversa scripta sive tractatus 295 continentia), secum adferret, inter quae multa erant egregii pretii; ut Catalogus saepius citatus ostendit. Ex libris duplis Bibliothecae Regiae, haec iterum nobis accessio contigit; unde etiam instrumenta Mathematica sequentia Academiae nostrae tradita idem docet Catalogus, nempe: Globum terrestrem et coelestem in majori quantitate [15]), (quorum nihil jam superest, nisi Horizontes lignei pedesque illos sustinentes, et meridiani orichalchini), Sphaera Ptolemaica, Sphaera Copernicaea, et altera itidem Copernicaea qua triplex terrae motus demonstratur; quae pariter temporis violentiam effugere non potuerunt. Rariores libros, hujus ut et *Stålhandskiani* muneris, infra, cum Bibliothecae nostrae universae faciem describemus, indicabimus. Hoc loco notasse sufficiat, ex Regia Bibliotheca tum etiam Academiae nostrae concessum fuisse, quod adhuc servat, exemplar *Grotiani de Jure Belli et Pacis* operis, (Paris. a. 1625 impressi, 4:o), quo ipse vir summus fuerat usus, et quod adscriptis in marginibus au-

[11]) Protoc. C. a. 1652, d. 29 Maji.

[12]) Protoc. a. 1652 d. 2 Aug.

[13]) Literis Illustr. Cancellarii Comitis *P. Brahe* a. 1653 d. 3 Aug. datis, Senatus Acad. jubetur ex pecuniis fisco et Bibliothecae concessis sumtus resarcire quos et hac aestate et superiori vice Bibliothecarius fecerat Stockholmiae, Bibliothecae commodis invigilans, librosque inde transferendis necessarios.

[14]) Protoc. a. 1653 d. 3 Julii.

[15]) Diametri ultra 1 cubiti. Hi ante superiorem fugam, ob ingruentem vim Russorum susceptam, jam damnum ingens passi, ut ex actis liquet, hujus calamitatis incommodis resistere non potuerunt.

xerat adnotationibus [16]). Multi horum librorum, qui aut insignibus titulisque Principis *Petri Vok Ursini, Domini de Rosenberg* ornantur, aut quos *Cardinalis et Principis a Dietrichstain* [17]), nec non *Collegii Soc. Jesu Olomucensis, s. Conventus Regii Olomutii ad Hesh.* fuisse, adposita epigraphe docet, belli Germanici se esse spolia, satis ostendunt [18]); uti etiam nomina *Messeniorum* [19]), non paucis, et *Christiani*

---

[16]) (Cfr. STJERNMAN *Ab. Lit.* p. 10). Fronti adscriptum legitur: *Auctoris;* et paullo superius: *In hoc exemplar ad marginem annotavi loca ex Historiis recentioribus, unde exempla eorum quae dicuntur depromi possunt.* Sed sunt tamen et multae alius generis annotationes.

[17]) Inter hos est *Jo. Heurnii praxis Medicinae nova ratio,* Lugd. Bat. 1587 4:to, cui etiam impressa sunt insignia et nomen *Jacobi Conradi Praetorii,* et haec verba praeterea fronti adscripta: *Sum ex libris J. C. Praetorii Anni 1591 prid. Calend. Octobr. Vienna Austriae secum per Pannoniam, Serviam, Bulgariam, Macedoniam, Thraciam, usque Constantinopolim portatus, inde demum anno s. 93 VII Cal. Mart. per Bithyniam, Pontum, Asiam, Phrygiam, Icariam, Lycaoniam, Lydiam, Galatiam, Pisidiam, Lyciam, Pamphiliam, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, usque magnum fluvium Euphratem. Porro redeundo per Phoeniciam, terram et civit. sanctam, Cyprum insulam, Aegyptum, Arabiam, Lybiam, in Alexandriam, Candiam, Zazint. Corcyram, Venetias, demum iterum Viennam a. s. 1694, V Id. Aug. ab eodem salvo et incolumi, sic volente Deo, reportatus.* Manet hic vir mihi hactenus ignotus; sed partem saltim librorum suorum in Bibliothecam D:ni *Patri Vok Ursini de Rosenberg* transiisse, reliquiae in Bibliotheca Acad. servatae testantur.

[18]) Cfr. omnino Nob. CELSIUS l. c. §. XI p. 40 sqq., §. XII p. 46. Datum nuper Bibliothecae nostrae dono volumen (varios continens Historici maxime argumenti tractatus minores, 4:o) a Praeposito et Pastore Cronobyensi Adm. Rev. et Praecl. D:no M. *Gustavo Juslenio,* Principis illius *P. Ursini* nomen, arma atque titulos solita forma adscriptos gerens, ostendit aut non totam hujus Maecenatis Bibliothecam in possessionem Reginae *Christinae* cessisse, aut, quod fata varia Bibliothecae Regiae Stockholmiensis haud abnuunt, non integram in dominio publici mansisse.

[19]) Cfr. CELSIUS ibid. §. V p. 20.

Ravii Berlinatis [20]), quibusdam libris praescripta, pristinos indicant possessores.

Praeter felicia haec incrementa, maxima quae Bibliothecae nostrae contigerunt, (quae post laeta satis haec initia cum fatis deinde colluctata est minus faventibus), aucta est ad a. 1655, 16 adhuc voluminibus, sive emtis, sive liberalitate ignotorum nobis ejus amicorum acceptis. Totum vero literarium, quem sibi hactenus comparare Auraicae valuerant Musae, thesaurum, cognoscendum nobis praebet hoc anno luci commissus publicae Catalogus, quem toties jam laudavimus, Historiam Bibliothecae nostrae ad ea usque tempora pulcherrime illustrans, ex Senatus Academici decreto, ut monuimus, typis expressus; in quo primum libri qui Gymnasii fuerant Aboënsis, et Academiae novae vindicati sunt, recensentur, deinde muneris Stålhandskiani omnia volumina adferuntur, tum quae liberalitate Regia, partim a. 1648, partim a. 1653 Academiae tradita sunt, distincte exhibentur; quibus adjecta demum cernuntur quae Bibliothecarii cura accesserant; omnia secundum scientias et formas librorum, ordine alphabetico disposita. Hoc Catalogo nisi adjuti essemus, (licet suis non careat naevis [21]), parum nobis nota essent Bibliothecae nostrae primordia, multisque tenebris et dubiis involuta. Titulus habet: *Bibliotheca Academiae Aboënsis, sive Elenchus, quo non modo certus scriptorum et librorum cujusque Facultatis numerus ordine alphabetico continetur; sed etiam ex quo initio, quibus incrementis, quorumve liberalitate et munificentia Bibliotheca haec Academica, ad tantam, qua nunc est, excreverit molem, paucis indigitatur. Adjectis ubivis forma, loco et tempore impressionis. Aboae excusus apud Petrum Hansson Acad. Typog. a. 1655* (in folio).

---

[20]) Cfr. Id. l. c. §. XXIX p. 129.

[21]) V. g. quod interdum libri secundum Auctorum praenomina, alias secundum eorum nomina aut cognomina disposita adferantur.

§. VI.

Nihil praeterea effectum aut actum ad Bibliothecam augendam reperimus, quamdiu ei praefuit Dn. *Kempe* [1]), cui, ad Professionem Historiarum et Philosophiae Practicae a. 1658 promoto [2]), successor anno sequente datus est D. Mag. *Andreas Petraeus,* (filius Episcopi *Aesch. Petraei),* qui Acad. Notarii s. Secretarii hactenus munere functus erat [3]). Neque eum curam, commissi fidei suae thesauri incrementa promovendi, penitus neglexisse, testantur acta, ex quibus patet, hoc consilio illum, venia Senatus Acad. Stockholmiam a. 1660 profectum, ut Bibliothecae ampliora subsidia peteret [4]); nullo vero successu. Neque ulla fere adsunt vestigia, auctae, eo praefecto, Gazae nostrae literariae [5]). Suis vero negotiis nimis intentum, muneri minus diligenter sequentibus annis vacasse, querelae Academicorum docent [6]);

[1]) Qui Regio jussu, munere stipendioque Adjuncti in Fac. Philos. a. 1653 simul auctus erat. Lit. Reg. d. 13 Nov. 1652. Cfr. Prot. Cons. Acad. a. 1653 d. 30 Mart.

[2]) De vita primi hujus Bibliothecarii, ut et successorum ejus, Amanuensiumque Bibliothecae, quorum opera usi sunt, infra accuratius, quantum rescire potuimus, exponemus; quae ad ipsam Bibliothecae administrationem propius pertinent, hic tantum allatis.

[3]) Prot. Cons. Acad. a. 1659 d. 16 Junii; cfr. Prot. 1656 d. 25 Sept.

[4]) Ibid. a. 1660 d. 23 Junii.

[5]) *Aldrovandi* tamen *Historiam Animalium* in usum Bibliothecae emtam fuisse a. 1662, prot. ejus anni, d. 19 Febr. indicare videtur.

[6]) Versabatur Stockholmiae ab aestate anni 1662 ad autumnum anni sequentis, Bibliothecae et Patrum juventutisque incommodo, muneris sui cura nulli interim alii commissa; quare decrevit Senatus, ut quarta aut quinta parte stipendii mulctaretur, et D. Prof. *Kempio* Bibliotheca interim administranda tradebatur; quin postquam annum fere cum dimidio abfuisset, ad Illustr. Cancellarium, ut munere privaretur, se scripturos patres minabantur. Itaque domum se contulit, resque sopita fuit. Prot. Cons. Acad. 1662 d. 1 Oct., 12 Nov., 3 Dec. 1663, d. 11 Febr., 3 Aug., 10 Sept., 12 Nov.

cum quibus non semper illi bene conveniebat [7]). Effecit tamen, ut literis Cancellarii, Senatu Acad. caussam ejus commendante, Bibliothecarii dignitas, in hac uti in aliis Academicis, prout verba habent, Professoribus aequaretur [8]), simulque assessor Consistorii Academici ipse a Senatu receptus est; permissum ei etiam iisdem literis, ut aliquem ex studiosis eligeret diligentioribus, qui auxilio sibi esset, in negotiis ad Bibliothecae curam pertinentibus, cui salarii loco stipendium in suprema classe Illustr. Cancellarius voluit assignari. Patres itaque Adjunctum illi in Bibliotheca, hac conditione, constituebant D. *Johannem Alanum* [9]); quo vero, ut officio suo minus diligenter satisfaciente, non contentus, D. *Petrum Kolckenium* in ejus locum sibi dari voluit, Senatu id, antequam *Alanus* ipse huic stationi renunciasset, non permittente [10]). *Kolckenio* tamen a. 1667 stipendium, ut *Amanuensi Bibliothecarii* tributum esse reperio [11]); sine dubio postquam *Alanus* Adjuncti in Facultate Philosophica munere auctus esset [12]). Bibliothecario monente, Senatus quidem Acad. literis, tam ad Rev. Episcopum Stockholmiae versantem, quam ad Illustr. Cancellarium datis commendatitiis, petiit, ut dignitati auctae congruenti, stipendii quoque augmento ornaretur [13]); sed conatu irrito. Neque multo post, *Petraeus* ad Professionem Physices admotus, successorem in Bibliotheca curanda nactus est D. M. *Petrum Laurbecchium*, Philosophiae antea Adjunctum, qui ex commendatione Senatus Acad. Matheseos simul Professor Extraordinarius, et Assessor Consistorii Academici

[7]) L. c. Cfr. Prot. a. 1663 d. 21 Nov., 16 Dec., 1664 d. 29 Mart.

[8]) Literae Cancellarii Illustr. Comitis *Petri Brahe*, Stockh. d. 20 Nov. a. 1663. Cfr. Protoc. Cons. a. 1664 d. 4, 20 et 22 Apr.

[9]) Prot. a. 1663 d. 2 Dec.

[10]) Prot. a. 1664 d. 7 Dec.

[11]) Cfr. Prot. a. 1668 d. 19 Febr.

[12]) Prot. a. 1665 d. 15 Nov. et 1666 d. 7 Nov.

[13]) Prot. a. 1665 d. 3 Maji et 19 Jul.

constitutus est [14]). Exiguis admodum, eo curam Bibliothecae gerente, incrementis eam fuisse ditatam, invenimus [15]). Fratrem, D. *Benedictum Laurbecchium* a. 1668 *Amanuensem* nactus est [16]); sed eodem fere tempore Poëseos Professionem ipse adiit [17]). In *Laurbecchii* locum, Bibliothecae, diplomate dato praefecit Illustr. Cancellarius D. *Samuelem Gyllenstolpe* [18]), (*Michaelis* filium, admodum juvenem) qui a. 1671 Historiarum et Politices Professioni admotus [19]), hanc spartam non diu ornavit. Successorem habuit D. *Nicolaum Alanum* [20]) (*Georgii*, Archi-Praepositi et Prof. Primarii filium); qui quamquam de provincia sua bene administranda non indiligentem fovisse curam reperitur [21]), Jurisprudentiae ta-

[14]) Prot. a. 1665 d. 15 Nov., 1666 d. 16 Maji et 22 Oct. Retinuit simul stipendium quod Adjunctus Fac. Philos. habuerat. Cfr. Litt. Cancellarii d. 21 Aug. 1666 et 30 Jul. 1667.

[15]) Benevolentiam tamen experta est Illustr. Regni Senatoris D:ni *Matthiae Björneklou*, et Rev. Episcopi D. D. *Joh. Gezelii*, Patris; quorum ille *Waltoni Bibliis Polyglottis*, VI voll. eleganter compactis, hic *Theatro Genealogico Hier. Henninges* (Magdeb. 1598, 2 voll. fol.), eam auxit. Protoc. Consist. a. 1667 d. 15 Nov. et 1669 d. 25 Mart.

[16]) Prot. a. 1668 d. 13 Mart. et 22 Apr.

[17]) Prot. a. 1668 d. 31 Mart.

[18]) Non probavit consilium Illustriss. Cancellarius, quod quibusdam arrisit, postea adoptatum, ut Bibliothecarii munus cum Professorio conjungeretur. Vid. ejus Lit. d. 29 Maji 1668 datas, et ipsum Diploma quo Dn. *Gyllenstolpe* Bibliothecarius constitutus fuit. Cfr. Prot. Cons. a. 1668 d. 5 Julii.

[19]) Prot. a. 1671 d. 15 Sept.

[20]) Prot. a. 1671 d. 1 Dec. Etiam hac occasione de conjungenda Bibliothecarii provincia cum Professione aliqua agitatum, sed non placuit Illustr. Cancellario. Cfr. Prot. a. 1671 d. 11 Oct. Hoc anno ad testandum suum in Bibliothecam nostram favorem, dono ei idem dedit Illustr. Heros librum: Norrlands Chrönika och Beſkrifning ꝛc. Wisingsborg 1670 fol. Prot. ej. anni, d. 13 Dec.

[21]) Vid. Prot. Cons. a. 1673, d. 9 Oct. et 19 Nov. Volebat ut libri, qui hactenus eodem ordine quem primus Catalogus impressus exhibet, dispositi fuerant, donationum nulla habita ratione secundum argumenta tantum formasque collocarentur, et index novus conficeretur; sed non placuit adhuc Senatui; quere-

men magis delectatus studio, supremo quod hic Aboae floret Dicasterio Regio nomen dedit [22]), Academiaeque 1675 valedixit. M. *Benedicto Laurbecchio,* Amanuensis munere decedenti, a. 1672 successor datus D. *Johannes Aschlinus* [23]). Infructuosa Bibliothecae nostrae haec fuere tempora, de quibus parum quod ad Historiam ejus spectet, vel dicere vel investigare potuimus. Paulo rursus laetiora, brevi licet intervallo, deinceps persequemur ejus fata.

§. VII.

Tradita est relicta ab *Alano* cura Bibliothecae a. 1675 D. *Gabrieli Wallenio, Westmanno* [1]), qui per XV illam gessit annos, et Pastor simul erat Arcis Aboënsis. Eodem fere tempore, post *Aschlinum* Amanuensis Bibliothecae (s. ut audire coepit Vicarius Bibliothecarius) constitutus fuit D. *Petrus Hahn,* Smolandus [2]). Qui deferbuisse quasi videbatur ardor Academicorum, de augenda, publica liberalitate, Bibliotheca sua, diligentius agendi, XX ultimis hujus Saeculi annis revixit rursus; quare Patres et a. 1680 operam Rever. Episcopi, Stockholmiae degentis, hac in re efflagitasse reperiuntur [3]), et anno sequente D. D. *Joh. Gezelio, filio,*

batur de negligentia Typographi, qui Bibliothecae debita exemplaria non tradidisset, ex Constitutionum tenore; de amissis libris inquiri volebat etc.

[22]) Prot. a. 1673 d. 31 Oct. et 1675 d. 14 Apr.

[23]) Prot. a. 1672, d. 13 Jul. et 4 Sept. Qui minus probabatur Bibliothecario, sed in statione sua tamen conservatus fuit, ut curatius officio suo fungeretur, admonitus. Prot. a. 1673, d. 9 et 31 Oct.

[1]) Prot. Cons. Acad. a. 1675, d. 17 Maji et 12 Jun. Sponsores ab eo Senatus Acad. exegit, quos et praestitit. Sed itineris occasione, quod in Russiam a. 1676 suscepturus erat, ut Legato, Regni Senatori et Dicasterii Aboënsis Praesidi D. Lib. Bar. *Ernesto Joh. Creutz* a Sacris, Sponsores ejus fide sua se exsolvi volebant. Prot. a. 1676 d. 26 Apr. Quare novos sponsores praestare jussus est, ibid. a. 1677, d. 10 Mart. et 4 April. Quos tamen an praestiterit, non liquet.

[2]) Prot. a. 1675, d. 14 Oct.

[3]) Prot. a. 1680, d. 5 Nov.

Th. Professori, iter in Sveciam suscipienti, in mandatis dedisse, ut librariae Academiae supellectili suppetias peteret [4]), sive librorum adhuc in Regia Stockholmiensi Bibliotheca duplorum copia superesset, sive alia ratio rebus musarum nostrarum angustis subveniendi, posset invēniri. Nihil quidem his moliminibus actum; sed privata munificentia *Centurionis Cohortis Equestris* (Ryttmäſtare) Nob. D. *Patricii Ogilvie*, librorum aliquam copiam Bibliothecae Academicae a. 1680 accessisse, ex Actis liquet [5]); quorum indicem conficere Bibliothecarius jussus est, et pro quibus gratias Senatus Acad. literis ad D. *Ogilvie* datis, debitas egit. Quot aut quibus ille libris penum nostrum ditaverit, certo investigare non potuimus; in eo autem numero fuisse libros circiter XX Anglicos, in recentiori typis impresso Catalogo (de quo mox) adductos, qui in superiori non comparent, probabile est, quorum uni nomen etiam sua manu inscripsisse deprehenditur [6]). Anno sequente suum in musas nostras amorem libris quibusdam bonis largiendis, Rectoratu abiens, declaravit etiam Maxime Rev. D. D. *Johannes Gezelius, filius, S. Theologiae* tum *Professor*, Episcopus deinde Aboënsis meritis suis eminentissimus [7]); cujus muneris non

[4]) Prot a. 1681, d. 24 Jun.

[5]) Prot. a. 1680, d. 3 Mart.

[6]) Scil. *A Commentarie of M. Dr. Luther upon the Epist. to the Galathians.* Lond. 1635 4:o. Cui haec verba adscripta leguntur: *I hawe reteaned this book in memoriall from my loveing friend Richard Andersson at Riga d. 10 of Nov. a:o 1643. Patrick Ogilvie.* Notum est hanc familiam ex Scotia huc accessisse (Cfr. Nob. STJERNMAN Matrickel öfwer Swea Rikes Riddarskap och Adel, 1 Del. p. 337). Hujus autem Bibliothecae nostrae fautoris fata curatius resciscendi, occasionem hactenus non habui.

[7]) Protoc. a. 1681, d. 24 Jul. Praeter *Alcoranum* MS. dedit *J. G. Dorschaei Biblia numerata, Joh. Gerhardi Locos Theologicos*, Francof. et Hamb. 1657, fol. 5 voll., et *Francisci Archi-Episcopi Rothomag. Apologiam Evangelii pro Catholicis*, Paris 1625 fol. Dederat ante jam, pro promotione ad Extraord. Professionem Theologicam a. 1676, *Dionysii Areopagitae Opp. Gr. et Lat.*, Antv. 1634 fol. Uno praeterea et altero minore volumine Bibliothecam auxisse reperitur.

leve fuit ornamentum *Alcoranus Arabicus Manuscriptus*, in forma 8:a majore, et scriptionis et papyri elegantia insignis [8]), quem an. 1678 emerat Stockholmiae a. D. *Joh. Petro Kirstein* [9]) 100 Thaleris cupreis, ut hic, sua manu adjecta epigraphe, testatum reliquit. Tanto hic liber gratior erat, quod primus fuit codex MS. quem Bibliotheca nostra possedit, ornamento ejus adhuc integer superstes. Ejusdem quoque viri magni, tum Rectoris Academiae, consilio, paullo ante cum Curatoribus Ecclesiae Cathedralis (Kyrko-Rådet) actum est, ut libri qui in Templo Cathedrali nulli usui servabantur, in Bibliothecam Academicam, commodo studiosae juventutis inservituri transferrentur [10]), ubi (quibusdam exceptis, qui sub duplici fuga Russorum metu suscepta, aliisque Bibliothecae nostrae adversis fatis damnum passi perierunt) [11]) adhuc supersunt. Volumina erant LIX: scil. LII in folio, I in 4:o, VI in 8:o, haud multi quidem pretii [12]).

---

[8]) Lingua Turcica exaratum dicit STJERNMAN *Ab. Lit.* p. 10. *Postquam a:o 1681, d. 29 Maji ignis et aquae pericula evaserat, Bibliothecae Acad. Aboënsis publicae a se illatum* docet adjecta annotatone D. *Gezelius*.

[9]) Vid. de eo STJERNMAN *Matrickel öfver Ridd. och Ad.* 2 Del. p. 868.

[10]) Prot. Cons. Acad. a. 1681, d. 8 Apr. Mutui nomine primum datos patet ex Prot. ej. anni d. 25 Sept. 1689, d. 6 Sept. Cfr. Prot. a. 1682, d. 31 Aug. et 1689 d. 12 Sept. Jus autem in illos reservatum, deinde vindicatum esse, non reperio.

[11]) Ex. g. *Decretum Gratiani*, et *Duranti Rationale Officior. Divinorum*, Fol., veteres editiones.

[12]) In his libris fuit etiam *Matthei Vogelii* Schatzkammer Heiliger Göttlicher Schrift, Tub. 1581., Voll. IV. fol., cujus IV volumini haec verba adscripta leguntur: Dhenne Boch haffwer Hederlig och Höglärd Man M. Gregers Kyrkoherde och Prädikant här i Åboo Stadh länett mig, att jagh uthi mitt fengelse ther uthi studere och någon roo her aff och tröst haffwa kann. Gud wärdiges mitt hjertta uplysa, att sådantt må ske, Hans heliga nampn til åhra, och migh til ewigh salligheett. Amen. Dat. Åboo then 12 Martzii a. 1601. Jörenn Päpe til Hellekis. Superest adhuc index omnium horum ab Ecclesia Cathedrali Bibliothecae Acad. concessorum librorum, et a. 1681 d. 18 Maji in Bibliothecam translatorum.

Bibliotheca his (aliisque forte [13]) auctibus locupletata, consultum Senatui Acad. visum fuit, Catalogum ejus renovatum publicae rursus luci committere [14]), quod factum initio anni 1683, quamvis titulus a. 1682 praeferat [15]). Bibliothecario haec cura commissa; in consilium tamen dato ei D. M. *Laurbecchio* Poës. Professore [16]). Ordinem etiam librorum immutari, ita ut neglecta donationum serie, secundum disciplinas tantum et voluminum formas alphabetico ordine recenserentur, Senatui nunc placuit [17]), sapienti quidem ratione, sed quae Bibliothecae nocuit historiae. Integer Catalogi Titulus est: *Bibliotheca Regiae Academiae Aboënsis, sive Elenchus: in quo ejusdem scriptorum et librorum cujuscunque Facultatis, certus numerus ordine Alphabetico continetur; Expressis quoque forma, loco et tempore impressionis. Aboae Fennorum excus. apud Johannem L. Wallium, Acad. Typog. anno MDCLXXXII*, fol. Collatione inter hunc et superiorem instituta, patet XXX fere hoc annorum intervallo, 234 tantum circiter voluminum accessione Bibliothecam crevisse, quorum etiam magna pars, ut ex mox allatis constat, tribus proximis annis accessit; tristis sane publicae Bibliothecae fortuna, tantoque gravior, quod hujus quoque pauxilli augmenti insignis portio nullius esse pretii deprehenditur. Periisse etiam, inprimis incendiis a. 1656 [18]) et 1681 urbem vastantibus, privatis commodatos

---

[13]) Nisi per errorem ex priori Catalogo omissa fuerunt, hoc intervallo accepit Bibliotheca Acad. etiam *Gradualis Danici*, Arhus. 1637 impressi 6 Exemplaria; quae emta non esse, satis patet, adeoque aut a D. *Ogilvie*, aut aliunde, muneri data. *Hutteri Bibliis Hebr.* quae etiam post editum primum Catalogum accesserunt, adscriptum reperitur: *Reverendiss. et Clariss. Viro D:no Davidi Chytraeo, S. Theol. Doctori etc. Domino suo honorando d. d. Elias Hutterus m. p.*

[14]) Prot. 1682, d. 31 Aug.

[15]) Cfr. Prot. 1683, d. 24 Jan. STJERNMAN *Ab. Lit.* p. 10.

[16]) Prot. 1682, Oct.

[17]) Prot. a 1682, 31 Aug.

[18]) Quamvis et magna urbis pars, et aedes etiam Academiae hoc incendio devastarentur, Bibliothecam tamen nullum pas-

XII circiter libros, qui in primo Catalogo recensentur, et Catalogorum collatio, et acta Academiae docent; non multi valoris, et quorum plerique saltem, aliis eorum loco oblatis voluminibus, repensi videntur [19]).

§. VIII.

Nulla deinde Bibliothecae nostrae, quoad apud hunc praefectum ejus mansit cura, augmenta accessisse reperio. Non neglexit quidem de libris novis coëmendis, exemplo antecessorum suorum, Senatum Acad. monere, ut aliquanto lautior musis nostris penus sensim appararetur; sed censum Academiae his consiliis obstare, Patres querebantur [1]). Occasione, ut videtur, itineris Russici a Bibliothecario suscipiendi [2]) arrepta, qui promta nimis spe lautioris obtinendi muneris deceptus, spartae renunciaverat suae [3]), D. *Hahn* diploma Illustr. Cancellarii sibi paraverat (datum a. 1677, d. 27 Junii), quo in ejus locum sufficiebatur; eoque munitus, hujus Provinciae curam poposcit: quam tamen *Wallenius* Senatus Ac. opera retinuit [4]). Non autem usquequa-

---

sam esse damnum, Acta et Catalogi docent, (cfr. Lit. Cons. Acad. ad Episc. *Terserum* an. 1662, d. 29 Nov. inter acta Rector. a. 1661 et 1662): quae etiam gravissimi incendii a. 1681 urbem affligentis periculum salva evasit, licet tectum aedis Bibliothecae laesum sit, inprimis ruina turris templi Cathedralis; quod damnum, ut ex aere Ecclesiae illius resarciretur, Senatui Acad. aequum visum fuit. Cfr. Prot. a. 1681, d. 2 Jun. 1688, d. 1 Septembr.

[19]) Prot. a. 1683, d. 24 Jan. 1686, d. 4 Nov. 1694, d. 27 Jan.; cfr. tamen prot. a. 1691, d. 12 Oct. et 1693, d. 13 April.

[1]) Protoc. a. 1688, d. 27 Sept. Etiam antea, a. 1680, (cfr. Prot. d. 28 Jun.), monuisse Patres legitur de Bibliotheca augenda, *quae tam longo intervallo nulla acceperat incrementa.*

[2]) Cfr. supra § VII not. [1]).

[3]) Scripto D. Magistro Hahn dato; a quo vero vicissim promissum exegerat, scripto consignatum, ne antequam ipse aliam obtinuisset stationem, provincia se deturbaret.

[4]) Prot. a. 1679, d. 16 Dec. 1680, d. 3 Mart., 24 April, 5 Maji.

que diligentiam ejus in sparta sua ornanda, Patribus fuisse probatam, deprehendimus [5]). D. M. *Hahn* ad Professionem Physices promoto, Amanuensis Bibliothecae a. 1681 constitutus est D. M. *Andreas Merthen* Aboënsis [6]); cui deinde, cum solus fere Bibliothecarii partes per aliquot sustineret annos, (ordinario praefecto aut morbo, aut curis suis Sacerdotalibus impedito, aut nescio quas ob caussas Bibliothecae negotiis minus intento) decreto Senatus Acad. primo quintam, et mox dimidiam Stipendii ejus partem tributam invenio [7]); Illustr. Cancellario, et Regia quoque Majestate hoc decretum confirmante [7]). Quin ex commendatione Consistorii Acad. successio quoque in locum Ordinarii Bibliothecarii, quam primum is statione sua decessisset, illi promissa [8]). Lites vero inter hos Bibliothecae nostrae praefectos hinc ortas, severis literis Illustr. Cancellarius ita tandem diremit, ut ordinario totum stipendium relinquendum decerneret, si partibus muneris sui ipse fungeretur [9]). Itaque ab eo rursus tempore illius in se curam diligentiorem recepit [10]). Post multos conatus, multasque acceptas commendationes, cum a. 1689 Pastor demum in *Girista* et *Gryta* Uplandiae *Wallenius* noster esset constitutus [11]) (quamquam

---

[5]) Prot. a. 1680, d. 28 Jun. (Inprimis incuriae ejus imputatum, quod globus major caelestis graviter laesus esset, quia humidas situ Bibliothecae aedes non satis frequenter aperto liberoque aëri permeandas permisisset: culpam autem in tectum aedis fatiscens, cujus incommodis, diuturno detentus morbo, et ab Amanuensi suo parum adjutus, mederi non potuerat, a se amovit). Cfr. Prot. ej. a. d. 7 et 10 Jul. 1682, 27 Jun. 1684, 7 Jul.

[6]) Prot. a. 1681, d. 16 et 23 Mart.

[7]) Prot. a. 1684 d. 12 Mart., 1685 d. 21 Jan., 7 Febr., Apr., 27 Jul., 1686 22 Jan., 10 Febr., 1687 5 Oct., 5 Nov., 2 Dec., 1688 28 Mart., 27 Sept., Cancellarii Lit. a. 1685 31 Mart., Regium decret. 1685, d. 23 Jul.

[8]) Prot. a. 1685 d. 11 Febr., 6 Maji, 1687 21 Jan., 12 et 22 Jul.

[9]) Lit. Canc. a. 1688, d. 20 Mart.

[10]) Prot. a. 1688 d. 27 Apr. etc.

[11]) Prot. a. 1690, d. 21 Maji.

mansit tamen hic Aboae Bibliothecaeque praefuit usque ad annum sequentem, quo morte defunctus est) successit ei in Bibliothecae praefectura D. M. *Petrus Hahn*, Physices Professor Ordinarius; cui haec Provincia assignatumque administratoribus ejus stipendium, ad spartam Professoriam adjectum; quia ob imperitiam linguae Fennicae curam Ecclesiae alicujus, earum quae Academicis, ad reditus eorum augendos concessae sunt *(Annexe-Pastorater)*, suscipere non posset [12]). Atque ab hoc tempore diu deinde unus Professorum Bibliothecarii quoque muneri simul praefuit. Defuncto, initio anni 1690 D. *Merthen*, in ejus locum Amanuensis Bibliothecae suffectus est D. *Johannes Flachsenius* [13]), (filius Archi-Praepositi et Professoris Primarii D. D. *Jacobi Flachsenii)*, cui salarii loco duplex in suprema classe stipendium [14]), ut et successoribus deinde ejus, concessum; quo vero ad exteras oras a. 1692 proficiscente, haec sparta D. M. *Gabrieli Thauvonio*, Facultatis Philosophicae simul Adjuncto, demandata fuit [15]). Qui adjecto honore Professoris Philosophiae Extraordinarii, a. 1694 ad officium Academiae Secretarii admotus [16]), curam tamen Bibliothecae simul retinuit, donec a. 1698 Pastor Ecclesiae Nerpensis in Ostrobotnia factus [17]), Academiae valedixit.

§. IX.

Ut pateat, quam ob caussam, tot annis, tam exigua, eaque etiam fortuita, Bibliotheca Acad. habuerit incrementa, de reditibus, quibus et conservari et augeri debuit, paucis

[12]) Prot. a. 1689, d. 14 Maji. Et quia D. *Merthen*, ob fractas animi corporisque vires, huic muneri diligenter obeundo amplius par esse non censebatur; cujus tamen necessitatibus se prospecturum, D. Professor *Hahn* promisit. Cfr. Prot. a. 1690, d. 21 Maij, 25 Jun., 10 Jul., 19 Aug.

[13]) Prot. a. 1690, d. 1 et 4 Febr., 19 Aug.

[14]) Prot. a. 1690, d. 19 Aug.

[15]) Prot. a. 1692, d. 5 Jul.. 14 Dec.

[16]) Prot. a. 1694, d. 27 Mart.

[17]) Prot. a. 1698, d. 2 Nov.

jam exponendum. Initio, primisque sex post fundatam Academiam annis, de Bibliotheca eidem comparanda nulla publice capta sunt consilia. Deinde vero, a. 1646, Responso Regio ad Academicorum postulata dato, 200 Thalerorum argent. annui reditus, ex praediis hunc in finem Academiae concessis percipiendi, Fisco Academico clementissime assignabantur, tam aedium Academicarum reparationi, quam Typographiae et *Bibliothecae augendae,* insumendi [1]); (quare etiam Bibliothecarius D. *Kempe,* Thesauri sibi commissi augendi singularem fovens curam, a. 1652 petiisse a Senatu Acad. reperitur, ut eam frumenti partem, quae Bibliothecae deberetur, vendere sibi liceret, pecuniaque illa librariam hanc gazam augere, simul postulans, ut et superiorum annorum Bibliothecae debitorum ratio fructuum diligens exigeretur, vero suo usui impendendorum; quod tamen consilium Senatui minus probabatur, omnem hanc pecuniam in aerarium Acad. commune inferendam esse decernenti [2]). Verum ex hac liberalitate Regia parum ad Bibliothecam nostram redundavit utilitatis. Quum enim, quantum cuique esset

---

[1]) Kongl. Maj:tts Resolution på Åbo Academies Postulater, gifwen Stockh. d. 23 Oct. 1646 (vid. Acta Rectoratus an. 1640 ad 1660, fol. 8); ubi verba in § 9 haec sunt: På thet Academiae Byggningar få mycket bättre underhollas måghe, och Trycket **tillika med** *Bibliotheket* **kunna stå til at förbättra,** då hafwer Hennes Kongl. Maj:t årligen Tuuhundrade Daler Swenskt Silfwermynt welat dertil förordna ꝛc.

[2]) Prot. a. 1652, d. 17 Mart. et d. 7 Apr. quo posteriori loco ita verba jacent, quasi certa et definita frumenti portio Bibliothecae fuisset assignata, quod tamen et praxi et aliis Actorum locis repugnat; verba ipsa habent: Dito proponerade åter M. Axelius Kempe om den andel som af Staten faller til Bibliotheket, at den honom tilställes, och göres redo af honom som wederbör, för de förra åren. Härom sade Quaestor, at han för förra åren hafwer quittencer och wettskap opå, men det som för detta året faller til Bibliotheket, af fisco, säger han sig ej hafwa welat utom Senatus Zedel utlefwerera. Sent. S. Altså war Senatus Sentens, at Quaestor föryttrar och bortsäljer Acad. Bibliothekets spanmål efter Markgången, och lefwererar sedan penningarne Inspectoribus aerarii.

tribuendum usui, certis non esset terminis definitum [3]), Bibliothecae id demum cessit, quod aliis superesset necessitatibus, h. e. plerumque nihil [4]). Alii namque Academiae faciendi sumtus, multi erant magnique, ex hac sola pecunia erogandi; quae, si longe fuisset major, vix tamen illis omnibus suffecisset [5]). Publicae praeterea calamitates accesserunt, inprimis incendium urbis gravissimum, quo a. 1656, d. 13 Maji, aedes etiam Academicae deflagrabant; cui damno reparando, non modo omnem pecuniam Academiae publicam impendere, sed etiam, exhausto aerario, aes alienum grande conflare, Patres cogebantur [6]). Itaque praeter sumtus in aedes Bibliothecae primum instaurandas instruendasque factos, nec non in libros Stockholmia transferendos [7]), vix aliam fere opem a fisco res libraria accepit, quam quod damna tecti aedium, in quibus satis male libri conservabantur, saepius laesi, resarta esse reperiantur [8]). Reliqui conatus ad reditus Bibliothecae his temporibus augendos suscepti, aut minoris momenti fuerunt, aut successu carue-

---

[3]) Cfr. Prot. a. 1670 d. 7 Apr., 1689 d. 12 Sept. et 1692 d. 16 Nov.

[4]) Prot. a. 1688 d. 27 Sept., 1689 d. 12 Sept. et 1692 d. 16 Nov.

[5]) Prott. citt. Praeter eam pecuniam quae aedium Acad. reparationi et Typographiae necessitatibus insumebatur, ex fisco etiam stipendium alterius Praefecti reditibus Acad. exigendis, (Sogdens), Vic. Secret. Custodum etc. solvebatur. Nec fisci pecunia exacte semper rediit.

[6]) Cfr. Postulata Acad. a. 1664 d. 24 Jun. §. I et a. 1665 d. 30 Apr., ut et Literas Consistorii Acad. ad Episcopum Terserum a. 1662, d. 29 Nov. (inter Acta Rector. horum annorum).

[7]) Cfr. Lit. Cancellarii supra §. V not. [12]) allatas.

[8]) An. jam 1660 D. *Petræus* monuit de tecto Bibliothecae reparando (Prot. d. 23 Jun.); et scripto d. 4 Dec. exarato sequenti anno porro idem ursit. Vid. Acta Rector. a. 1661. Quod tamen a. 1662, fine anni adhuc perfectum non fuit (Prot. a. 1662, d. 1 Oct. et 12), magno Bibliothecae incommodo. Idem tectum rursus a. 1680 reparationis indiguit. Prot. d. 28 Jun. et 7 Jul. 1681, d. 2 Jun.

runt omni. Inter illos referas, quam supra tetigimus industriam D:ni *Kempe* in colligenda, privatorum liberalitate, tenui pecuniae summa; cujus exemplum imitari cupiit D. *Wallenius*, a Senatu tamen admonitus legibus hoc consilium repugnare [9]). Posterioris generis moliminibus annumerandum, quod in postulatis Acad. S. Regiae Majestati a. 1664 insinuatis, 2 §. Academici supplicarent, ut praedium Rusticum Pasfunda in paroecia Nummensi situm, quod per 40 annos incultum jacuerat, Bibliothecae augendae concederetur [10]); et quod a. 1679 *Depositoris* munus abrogari, reditusque ex hac caerimonia percipiendos Bibliothecae adjudicari volebant, Illustr. tamen Cancellarii approbationem non reportantes [11]). Itaque a temporaria et incerta privatorum liberalitate (praeter laudatum supra August. Reginae donum) Bibliothecae nostrae tota fere sors pendebat, parca ut vidimus, in hunc, ut et reliquos musarum Auraicarum usus.

§. X.

Laetiorem promittere in posterum Bibliothecae nostrae fortunam, ultimi exeuntis hujus seculi anni videbantur; nec fallaci plane eventu, quamvis nebulis tempestatibusque haec serenitas subinde fuerit intermixta. Itaque novam quasi ab hoc tempore inchoamus in Historia ejus epocham. In quaerendis a Regia liberalitate tenui suo thesauro librario subsidiis, Patres Academici non defatigabantur. Indicaverat illis Pastor tum primarius Stockholmiensis Max. Rev. Dn. M. *Matthias Iser*, Bibliothecam Legati defuncti Generos. D:ni *P. J. Coyet* [1]) esse venalem, suamque obtulerat operam in Regia Majestate oranda, ut illa publica emeretur impensa, et usibus Academiae clementer concederetur. Avide hoc consilium arripiebant Academici. Itaque et li-

[9]) Prot. a. 1688, d. 27 Sept.

[10]) Acta Rector. ejus anni.

[11]) Prot. a. 1680, d. 30 Aug. et 11 Sept.

[1]) De quo videri potest Nob. STJERNMAN *Matrickel* öfwer Sw. Rikes Ridd. och Adel, 1 Del. sid. 439 seq.

teris ad Dn. *Iser* missis, eum rogabant, ut promissum suum exsolvere non praetermitteret [2]), et aestate sequente, a. 1693, Stockholmiam profecturo Dn. M. *Thorstano Rudeen*, Poëseos Professori, ut ejusdem rei diligentem ageret curam, in mandatis dabant [3]). Ad Episcopum quoque Rever. Dn. D. *Johannem Gezelium*, Filium, ibidem tum morantem [4]), ut et Illustr. Cancellarium, Senatorem Regium Dn. Comit. *Laurentium Wallenstedt*, de hac re scriptum. Rescripsit ille, Coyetiana Bibliotheca aegre detecta, quae in aedibus Nob. *Hoghusen* delituerat, Regem Augustissimum Academicorum votis propitium videri, modo de pretio librorum conventum fuerit [5]), et literis praeterea ad Upsaliensis Academiae Cancellarium (Auraicarum paulo antea musarum Maecenatem) Illustr. Dn. Sen. Reg. et Comit. *Benedictum Oxenstjerna* datis jussisse, libros in Bibliotheca hujus Academiae ditioris duplos aut triplos, in quantum fieri posset, Aboënsi sorori pauperiori concedi [6]); de quo tamen Regio mandato exse-

---

[2]) Protocollum Consistorii Acad. a. 1693, d. 23 Febr.

[3]) Ibid. d. 22 April.

[4]) Ibid. d. 28 Junii.

[5]) Ibid. d. 18 Aug. Eandem spem redux confirmavit, et catalogum se hujus Bibliothecae inspexisse dixit. Prot. a. 1694, d. 27 Mart.

[6]) Protoc. a. 1693, d. 18 Aug. Lubet ipsas literas Regias, ex Apographo quod inter Acta Acad. superest, apponere: CARL med Guds nåde ꝛc. Wår ſynnerlige ynneſt ꝛc. Såſom hos Oß Biſkopen i Åbo Doctor Johannes Gezelius tillika med twänne Professorer, å Academiens wägnar derſammaſtädes en underdånig anſökning gjöra, at berörde Academie, ſom förtiden med mycket ringa och litet Bibliothek är förſedd, må blifwa underſtödd med de dupletter och tripletter ſom wid Academien i Upsala til öfwerflöds finnas; altſå är härmed til Eder Wår Nådige wilje och befallning, det J ſöke bemälte Academie uti ſådan deras åſtundan och nödtorft at willfara, ſå wida giörligit må wara, wiljandes ſynas at Academien i Upsala wäl lärer kunna umbära och afſåta de böcker ſom af enahanda ſlag der finnas til flere än et à tu exemplar. Hwarmed ſker det Oß til nådigt nöje länder. Och Wi befalle ꝛc. Af Carlberg d. 20 Julii 1693.

CAROLUS.

C. Piper.

quendo, non videtur esse diligentissime cogitatum, ut infra docebitur. Illustr. quoque Academiae nostrae Cancellarius Senatui Acad. respondit, se de Coyetiana illa Bibliotheca inquisivisse, sed neque de possessore neque de pretio ejus adhuc certi quidquam rescire potuisse; exspectare tamen responsum Dni. *Coyet*, Vic. Praesidis Tribunalis Wismariensis, qui possessor ejus perhibeatur, ad quem literas de ea re dedisset [7]). Justa igitur spe excitati Patres Academici, Dn. *Matthiam Swederum*, Juris Professorem, anno sequente Stockholmiam iter suscipientem, inter caetera Academiae negotia hoc etiam sollicite curare jusserunt, publico eam ob caussam sumtu subnixum [8]). Annuit quidem clementer Regia Majestas Academicorum petitioni [9]); sed ad exitum tamen perduci res non potuit. Quare Dn. Professori *Rudeen*, Stockholmiae versanti, a. 1695, haec cura rursus commissa, (sociam ei adjungente operam, dum ibidem degeret, Rev. etiam Episcopo [10]), qui eam ob caussam ad sequentem usque aestatem, anni 1696, ibi commoratus est, non sine nova Academiae impensa [11]). Scripsit ille quidem, Bibliothecae saepius nominatae percensendae *(inventering)* mox factum iri initium [12]), ut pretium ejus statui posset; sed non multo post significavit, non placere amplius Illustr. Cancellario Bibliothecam emi Coyetianam, ut corruptam, verum ad alias animum applicuisse [13]); qui ipse etiam literis Senatui Acad.

---

[7]) Litt. Cancell. a. 1693, d. 4 Aug.

[8]) Prot. Consist. Ac. a. 1694, d. 9 Maji et 15 Aug.

[9]) Kongl. Maj:ts Nådiga Resolution uppå de underdånigſte suppliquer och anſökningar, ſom å Academiens wägnar i Åbo åre blefne insinuerade. Gifwen Stockholm den 12 Octobris a. 1694, cujus 8 moment. ita habet: När Kongl. Maj:t blifwer underrättad, huru högt det til Academiens behof föreſlagne framlidne Ambassadeuren Coyets Bibliothek ſökes at utbringas, efter en ſtälig wärdering, will Kongl. Maj:t angående deß inlöſen för Academien, i Nåder resolvera och förordna.

[10]) Prot. Consist. Ac. a. 1695, d. 11 Dec.

[11]) Ib. a. 1695 d. 3 Nov., a. 1696 d. 14 Jan. et 26 Mart.

[12]) Ibid. a. 1696, d. 6 Febr.

[13]) Ib. d. 29 Apr.

datis rationes suas exposuit, docens res haeredum Coyetianorum ita esse implicatas, ut spes emtionis Bibliothecae istius propere concludendae, nulla adesset; dici praeterea libros esse male habitos atque corruptos: quamobrem cum significatum sibi esset Bibliothecam defuncti Historiographi Regni Nob. Dni. *Cl. Oernhjelm* venalem haberi, rogasse D:num *Rudeen*, ut ejus sibi conditionem perspectam redderet, quem ostendere probabilem esse et bene conservatam; itaque indice ejus confecto, quem brevi speret absolutum iri, pretioque inde constituto, Regem August. clementer dati promissi sui se non neglecturum admonere, nec dubium videri quin haec Bibliotheca Academiae condonetur [14]). Verum hoc quoque consilium, nescio ob quam caussam, irritum fuit. Itaque ut ex promissa et tam diu frustra sperata liberalitate Regia, aliquem tamen, quamvis exiguum, Academia fructum perciperet, literis ad Illustr. Cancellarium missis Patres Acad. supplicabant, ut Bibliothecam defuncti Professoris D:ni *Dan. Achrelii*, licet voluminum numero haud quidem insignem, Regiis sumtibus publico Academiae commodo comparare, sibi permitteretur [15]). Sed responsum de illa re non tulerunt [15]). Mutata erant tempora. Interveniente morte praematura Regis August. et bellorum gravissima tempestate ingruente, omnis tandem spes, quae ex publica ditescendi liberalitate Bibliothecae nostrae affulserat, penitus evanuit, cunctaque ad eandem augendam facta haec molimina, fatali quadam fortunae adversitate, incassum ceciderunt.

---

[14]) Litt. Cancell. a. 1696, d. 5 Maji.

[15]) Erat haec sub hasta vendenda, ut fides solveretur qua se pro Quaestore quodam provinciali (Landt-Räntmäſtare) Dn. Achrelius infeliciter obligaverat. Pluris vero aestimata non fuit tota ejus suppellex libraria, quam 1176 Thaler. mon. cupr. Prot. Cons. Ac. a. 1700, d. 14 Julii et d. 20 Oct., ut et Litt. ad Canc. d. 19 Julii.

[15]) Prot. cit. d. 19 Dec.

§. XI.

Iisdem vero his annis, quibus falsa haec spes supellectilem Academiae librariam lautiori munere locupletandi, Patres Acad. delusit, alia, tenuiori licet, attamen solidiori ope, suffulciri coepit. Nacta enim aliquando est reditus peculiares atque proprios, ad annua atque perpetua ejus incrementa impendendos, quae ex fisci pecuniis non plus deinceps quam hactenus, id est nihil, subsidii accepit. Sanciverat videlicet literis ad Illustrissimum Cancellarium Academiae Upsaliensis datis, ejusque Academiae in commodum, Rex gl. memoriae *Carolus XI*, a. 1692 die 2 Julii, in illa tum urbe commoratus, ut ad augendam Bibliothecam publicam, singuli in civitatem Academicam recipiendi Comites et Barones 2 Thaleros Imperiales (Rifsdaler), Nobiles 1 cum dimidio, et caeteri cives 1 Thalerum Imp. penderent. Ad munera praeterea Academica admoti, Professores, Bibliothecarii et Quaestores, eodem fruentes stipendio, librum 4 Thaler. Imper. pretii, Secretarii, Adjuncti et Linguarum Magistri 2 Thaleror. Imper. dare jussi sunt, ut et Doctoris in superioribus facultatibus titulo insigniti 4 Thaleros Imp. et Philosophica donati Laurea 2 Thaleros Imperiales. Delatum est Aboam aestate sequente Regiarum harum Literarum exemplum: et quamquam expressum aut peculiare nullum publice accessit mandatum, ut ab hujus quoque Academiae civibus haec lex observaretur, aequum tamen et consultum Rectoribus et Senatui Acad. visum, ut eadem hic quoque pecunia in usum Bibliothecae egentissimae penderetur; quod etiam ab a. 1693 sensim invaluit [1]). Negligentia autem erat non excusanda, aequissimi et utilissimi hujus instituti a summo Magistratu nullam expetiisse confirmationem aut sanctionem. Unde evenit, non modo ut Academia alterius praerogativae, Upsaliensibus camenis simul concessae, particeps non fieret, (ut nempe librorum

[1]) Prot. Consist. Ac. a. 1702 d. 12 Febr.; Litt. Consist. Ac. ad Illustr. Cancellar. a. 1705 d. 7 Oct.

et tractatuum omnium Stockholmiae, Upsaliae, Arosiae et Strengnesiae impressorum, exemplar Bibliothecae Academicae gratis traderetur [2]), sed ut in pecunia etiam illa colligenda, per multos annos, magno Bibliothecae damno, magna regnaret licentia et confusio. Nulla enim primo erat fixa et stabilis ratio, ut Literae tamen Regiae jubebant, eandem exigendi; sed pro suo Rector quisque egit arbitrio. Cum fisci (sic dicti) Rectoris pecunia, plerique confundebant; et 6 Thaleros cupreos (qui uno tum Thalero respondebant Imperiali) a novis civibus, Academiae nomen dantibus, exigentes, ad alias impensas publicas maximam, aut dimidiam saltim partem, plerumque insumebant, reliqua tantum parte in usum Bibliothecae attributa [3]). Atque haec quoque exigua pecunia, non semper suo reservabatur usui [4]). Neque etiam debita serveritate ab omnibus exigebatur; neque accurate rationes exactae pecuniae a Rectoribus poscebantur aut reddebantur [5]). Praeterea loco numeratae pe-

[2]) Statutum hoc, Regio edicto, dato Upsaliae, eodem die ac supra laudatae litterae, die nempe 2 Julii a. 1692.

[3]) Vid. Protoc. Consist. Ac. a. 1700 d. 14 Julii; 1701 d. 19 Julii; 1702 d. 12 Febr.

[4]) Sumti ex hac pecunia 300 Thaleri Cupr. ad sumtus Dni. *Svederi*, et rursus 300 ad impensas Dni. *Rudeen*, publica Academiae negotia Stockholmiae curantium, compensandas. Prot. Consist. Ac. a. 1694 d. 15 Aug. et 1696 d. 26 Mart. (Cfr. supra §. X.) Conquestus est a. 1698 d. 6 Jun. Dn. Professor et Bibliothecarius *Hahn*, 900 Thaleros Bibliothecae esse praeceptos, et ad alios usus insumtos. Prot. ejus diei.

[5]) Decretum quidem fuit jam a. 1700, d. 20 Jun. (cfr. Prot. hujus diei et etiam d. 14 Aug.) ut Rectores pecuniam a Novitiis Studiosis ex praescripto Litt. Reg. pendendam exigerent, et Bibliothecario, rationes deinde acceptae et expensae redditurо, traderent; sed factum accurate non fuisse, ex querimoniis Bibliothecarii frequentibus patet. Prot. a. 1701, d. 3 Apr. Scripto igitur die 19 Julii rursus monuit, ut qui ab a. 1693 Rectores fuissent, nec adhuc pecuniae hujus rationes reddidissent, id quamprimum facere juberentur. Assensit Senatus Acad. et diem illis praestituit; utcunque itaque huic officio plerique satisfecerunt (neque tamen omnes), quorum rationes examinatae etiam sunt. Prot. a. 1701 d. 19 Jul. et 9 Oct. Litt. Episc.

cuniae a se collectae, libros quosdam Bibliothecae, e suis, nonnulli tradebant, non illos quidem semper optimos et carius saepe aestimatos [6]). Quae omnia ex rationibus mancis, adhuc superstitibus, patent. Aegre etiam ab iis qui vel honoribus vel muneribus aucti fuerunt Academicis, symbola Bibliothecae debita rediit [7]). Deficiente justa Magistratus sanctione, liberae fere cujusdam instar collationis, non tributi imperati, omnis haec Bibliothecae solvenda pecunia habebatur; cujus exigua satis pars, quae Bibliothecario tandem tradita fuit, nec ab eo diligentissime administrabatur. Eodem usus more, libros ex suis, nec delectissimos nec aequissimo pretio, interdum Bibliothecae intulisse, rationesque minus diligenter quam par erat fecisse, reperitur [8]). Itaque mederi his incommodis statuit Academiae Cancellarius, Senator Regius etc., Illustr. Dn. Comes *Gabriel Falkenberg*, magnam in ea re adhibens curam et severitatem. Cujus fidei cum flos salusque Academiae a. 1704 d. 12 Apr. fuisset commissa, anno sequente a Senatu Ac. edoceri, inter alia, de statu, reditibus et administratione Bibliothecae voluit, Catalogum ejus, cum indicato pretio, loco emtionis, et libri cujusque conditione, unaque ra-

---

Laurbecchii ad Senat. Ac. datae d. 9 Sept. in actis hujus anni. Prot. a. 1702 d. 12 Febr., anno 1704 d. 21 Jun. questus est rursus Dn. Prof. et Bibl. *Hahn*, magnam hujus pecuniae partem restare apud Rectores. Prot. ej. diei. Cfr. Prot. a. 1708 d. 22 Jun. et 17 Jul. Ita ut pateat, non diligentissimum in his rebus obtinuisse ordinem.

[6]) Decretum quidem fuit, ut Rectores non pro arbitrio, sed consulto Senatu libros Bibliothecae emerent (Prot. a. 1697, d. 13 Jan.); satis autem validum hoc remedium non fuit, contra illud quod indicavi malum.

[7]) Prot. a. 1701 d. 19 Jul., 1702 d. 12 Febr., 1708 d. 15 et 22 Jun., 31 Aug., 15 Dec.

[8]) Cognovisse tamen saepius pretia librorum ab eo emtorum et venditorum, Senatum reperimus. Minutum quorundam pretium a. 1701 d. 26 Sept. Decretum ut examinaretur a. 1704 d. 14 Jun., 1705 d. 27 Jan. et 2 Jun. Cfr. prott. Rationes etiam reddidisse Senatui, a. 1704, invenimus, ejus scil. pecuniae quae sibi tradita esset. Prot. 1705 d. 2 et 22 Jun., 1708 d. 17 Jul.

tiones accepti et expensi, sibi mitti jubens [9]). Paruit huic mandato Senatus Academicus, et tam rationes a Bibliothecario confectas [10]), quam Indicem typis impressum, ejusque supplementum manu scriptum, libros qui postea accesserant exhibens, sensim in debitum ordinem collocandos, transmisit; quorum etiam pretium et locus emtionis adpositi; (nam superiores libri, typis exscripto exhibiti catalogo, dono, ut vidimus, accepti plerique erant.) Simul etiam ostensum, nullos alios fuisse Bibliothecae reditus, quam qui a civibus Academiae, vi Literarum Regiarum, Upsaliensis Acad. Cancellario a. 1692 d. 2 Julii datarum, conferrentur: quarum observantiam, nullo quidem expresso mandato hujus quoque Lycei membris injunctam, apprime tamen et aequam et necessariam visam, adeoque inculcatam fuisse; verum ita, ut ne rei novitate juventus deterreretur, duris praesertim Patriae temporibus [11]), dimidia tantum pars summae praescriptae, initio fuerit exacta. Petebat porro Senatus Ac. ut haec lex, posthac in nostris quoque oris perpetuo observanda, publica auctoritate confirmaretur [12]). Satisfactum esse primum hoc responso Illustr. D:no Cancellario videbatur. Verum triennio post, cum interim non multo accuratius res Bibliothecae administrarentur, aliis literis, quo et in ordinem Bibliotheca debitum redigeretur, et graviora in posterum mala praeciderentur, inventarium librorum a Bibliothecario confici justum completumque jussit, et rationes acceptae pecuniae expensaeque sibi mitti, documentis testimoniisque firmis munitas, ut tuto colligere ex illis posset, qua fide thesauri hujus sibi commissi curam gesserit [13]);

[9]) Litt. Cancell. a. 1705 d. 20 Jun.

[10]) Quales scil. Senatui paulo ante reddiderat; qua occasione quidam libri, aut inepti aut nimis care aestimati, a Senatu rejecti fuisse videntur, ad quos resumendos paratum se esse declaravit. Prot. a. 1705 d. 23 Jun.

[11]) Propter annonae saevitiam, ultimis exeuntis seculi annis, et mox secutas belli gravissimi procellas.

[12]) Litt. Senatus Acad. ad Cancell. a. 1705 d. 7 Oct. datae.

[13]) Litt. Cancellarii ad Senat. Ac. a. 1708 d. 9 Jun. Premebat hoc mandatum non solum Bibliothecarium, sed etiam eos

eandemque rem iterato mandato, non multo post, graviter ursit [14]). Significavit itaque Bibliothecario Senatus Acad. ut ocius haec mandata exsequeretur [15]); qui cum et rationes et catalogos, ejusdem ac superiores indolis, Senatui Acad. tradidisset, una cum exemplo literarum quas triennio ante ad Illustr. Cancellarium datas esse diximus, ad eundem transmissi sunt [16]). Sed non erant hujusmodi ut Dn. Cancellario approbarentur; itaque rescripsit mox sibi minime placere: quod in rationibus, non satis distincte digestis, neque demonstratum accurate esset in quos usus omnis pecunia Bibliothecae debita fuerit insumta, neque ullis firmatum testimoniis quid aut redierit quotannis, aut redire debuerit, et an suo quisque debito satisfecerit, sed indicatum solummodo quid a quoque Rectore Bibliothecario sit traditum. His itaque defectibus ut medela adhiberetur, po-

---

qui Rectoris munere proximis 12 annis functi fuerant. Suspicari se indicavit Dn. Prof. et Bibliothecarius *Hahn*, inimice se ab aliquo rursus apud Illustr. Dn. Cancellarium esse delatum, et in Rectorum negligentiam, qui pecuniam Bibliothecae nec accurate exegerant, nec sibi tradiderant, magnam a se culpae partem amovit. Prot. Consist. Ac. a. 1708 d. 22 Jun. Quin aperte, alia occasione, a Dn. Prof. *Nesselio* hanc sibi invidiam conflatam esse conquestus est, qui privatis inductus offensis, fidem suam apud Illustr. Cancellarium labefactaverit. Prot. a. 1709 d. 13 Apr.

[14]) Litt. Cancell. a. 1708 d. 13 Jul.

[15]) Litt. ad Cancell. a. 1708 d. 20 Jul. et ad Prof. et Bib. *Hahn* eod. die scriptae.

[16]) Litt. ad Cancell. a. 1708 d. 14 Sept. Cfr. Prot. a. 1708 d. 22 Jun. et 31 Aug. Occasione tamen hac, rursus de pecunia Bibliothecae accuratius sibi tradenda, Bibliothecarium monuisse, quamvis non magno successu, reperimus. Prot. a. 1708 d. 15 et 22 Jun., 17 Jul., 31 Aug. Decretum etiam prudenter fuit, Rev. Episcopo et ProCanc. monente, ut Rectores, quam a novitiis studiosis collegissent in Bibliothecae usus pecuniam, statis temporibus, quater quotannis, Bibliothecario traderent numeratam, liberque pararetur in quem et studiosi singuli datae, et Bibliothecarius a se acceptae summam, propria manu inscriberent. Prot. a. 1708 d. 17 et 20 Jul., sed exsecutioni minus diligenter fuit mandatum. Cfr. Prot. a. 1708 d. 11 Novemb.

stulavit. Inventarium autem omnium librorum completum accuratumque denuo poscebat; quod ut confici posset, e numero Professorum certos eligi jussit, qui Bibliothecam diligenter percenserent, libros omnes emtos accurate aestimarent, justumque in ordinem redactum librorum omnium indicem, suisque subscriptis nominibus firmatum, sibi transmitterent; qui si ineptis aut inutilibus libris oneratam Bibliothecam reperiissent, pretio repetito, illis qui tradiderant eosdem redderent [17]). Ob dies breviores obscurioresque, haec Bibliothecae percensio ad vernale tempus anni sequentis rejecta est [18]), et deinde D:nis D. *Petro Hielm* Medic., *Israeli Nesselio* Eloq. et *Abrahamo Alano* Ling. S. S. Professoribus, hoc negotium commissum [19]), qui aestate proxima, a. 1709, illud perfecerunt [20]). Quod autem ante finem hujus anni, nec rationes quas postulaverat accuratiores, nec acta institutae recensionis, cum Illustr. Cancellario communicarentur, longius illi res trahi videbatur; quare severis literis ut maturaretur monuit; in quibus addidit, ut et amissorum librorum ab iis ratio posceretur, quorum culpa perierant, et

[17]) Litt. Cancell. a. 1708 d. 8 Dec. Unde verba sequentia, quibus mentem suam de ratione Bibliothecam nostram sapienter augendi, explicat graviter, adponere lubet: Hwarwid måſte observeras, at et Academiſſt Bibliothek förnämligaſt derföre är inrättadt, at deruti må finnas de böcker ſom kunna wara de Studerande til nytta, jämwäl ock at ſådane böcker icke fåfängt för Bibliothekets contante medel dit ſamlas, ſom hwar och en Professor och studerande ſjelfwe kunna äga, utan faſt mera bör eftertracktas, at til Bibliotheket uphandlas de nödigaſte och nyttigaſte böcker ſom finnas kunna, och ſåledes deß ringa medel wäl och nyttigt anwändas til det ſom bäſt kan behöfwas.

[18]) Litt. Consistorii Acad. ad Illustr. Cancellarium d. 15 Dec. a. 1708 et Prot. ej. diei.

[19]) Recusare quidem hanc provinciam voluit Dn. Prof. *Nesselius*, sed postulante inprimis Bibliothecario injuncta illi fuit. Prot. a. 1709 d. 8 et 24 Apr. et 28 Maji. Paratum se esse ad libros recipiendos qui rejicerentur, Dn. Prof. et Bibliothecarius *Hahn* dictitavit. Prot. a. 1708 d. 15 Dec., 1709 d. 8 et 13 Apr.

[20]) Mense Junio et Julio. Cfr. acta hujus recensionis, quae supersunt.

Bibliothecarius deinceps ad rationes accepti et expensi accuratas, ex tenore Constitutionum Academicarum quotannis reddendas, adigeretur [21]). Curam igitur acriorem injecit Senatus Acad. ut ad exitum haec res perduceretur, et rationes tandem Bibliothecarii diligentiores, a se examinatas probatasque [22]), una cum indicibus librorum accuratis, ad Illustr. Dn. Cancellarium transmisit; simul docens, et quibus membris suis curam Bibliothecae percensendae dedisset, et quid ab illis praestitum: scil. totam Bibliothecam fuisse diligenter perlustratam, pretia librorum et emtorum et perditorum accuratius aestimata, inutiles et ineptos repudiatos, eorumque loco alios meliores receptos [23]). Atque etiam qui huic negotio praefuerant, literis ad eundem datis, operae suae rationem reddebant [24]). Docent haec acta,

[21]) Litt. Cancell. a. 1710 d. 15 Febr.

[22]) Cfr. Prot. Consist. Ac. a. 1710 d. 18 Apr., 25 et 30 Jun. Superest harum rationum exemplum authenticum; ex iis liquet, pecuniam aut libros constituti in Regiis literis valoris, Bibliothecae ab iis debitos qui muneribus Academicis admoti fuerunt, aut Doctoris titulo condecorati, ab anno usque 1693, satis accurate hac occasione fuisse praestitos; a Magistris, ab anno demum 1700; a novitiis, quod ante aestatem anni 1695 collectum fuit, omissum est; ab eo enim demum tempore, ad aestatem anni 1709 quod intercessit intervallum, hae rationes complectuntur. Quid interim quovis anno a novitiis redire debuerit, non demonstratur; tantum quid a quovis Rectore acceperit, Bibliothecarius certis documentis probat. Indicavimus supra, quam incerta lege haec pecunia initio exigeretur. Itaque jam summus rigor aut accuratio locum amplius habere non potuit. Suam tamen opem Senatus Acad. Bibliothecario ad eam pecuniam, quae in Bibliothecae usum collecta fuerat, nec sibi adhuc tradita, accipiendam, praestitit. Prot. a. 1710, d. 15 Apr.

[23]) Moram autem excusavit, quod quibus haec cura fuit commissa, aliis praeterea laboribus distinerentur. Litt. Senatus Acad. ad Cancell. a. 1710 d. 30 Jun.

[24]) Excusabant se, quod omnes inutiles libros severissime rejicere non potuissent, quia difficile fuit tam longo tempore perturbatam rem, uno conatu in ordinem debitum restituere; uti nec libros omnes, ante plures jam annos Bibliothecae traditos et usu deinde tritos, pro praesenti illorum conditione, Bibliothecario renitente, aestimare potuerunt. Omnia tamen haec judicio Illustr.

rationesque adhuc conservatae, ex quo reditus hosce Bibliotheca habere coepit, ad aestatem anni 1709, adeoque sedecim annis integris, in ejus usum incrementumque cessisse Thaleros cupreos 3728 cum quadrante; tenuis sane summa, et qua magna quidem librorum copia comparari non potuit. Accessisse autem hac pecunia reperimus volumina circiter 190, (scil. 83 in fol., 72 in 4:o, 33 in 8:o et 2 in 12:o) praeter Globum coelestem et terrestrem, diametri unius prope pedis, et Radium Astronomicum [25]). Hic igitur jam nostrae Bibliothecae ex proprio fundo fructus fuit; duplo utique uberior futurus, si hi reditus accurate exacti administratique fuissent. Verum spinis initio ager obsitus erat. Tantum autem abfuit, ut hac opera vel Bibliothecarii vel delegatorum ad Bibliothecam in ordinem redigendam Professorum, Illustr. Cancellarius contentus adhuc esset, ut severiora etiam ad scopum suum attingendum adminicula, adhibenda esse censeret. Datis enim ad Rev. Episcopum et Pro-Cancellarium literis, non modo conquestus est se rationes a Bibliothecario obtinere quales poposcerat non potuisse, sed etiam significavit, se utrique Theologiae Professori, D:nis M. M. *Ingemundo Bröms* et *Hermanno Ross*, in mandatis dedisse, ut in auxilium adscito Vice-Bibliothecario M. *Johanne Pihlman*, Bibliothecam sollicite recenserent, eoque peracto opere,

---

Cancellarii subjiciebant. Inventarium novum se non confecisse narrabant, sed typis impressum secutos catalogum, cui adjectum accuratum supplementum; quae vero ad librum quemque annotanda essent, in Protocollo observasse, quod una ad Illustr. Cancellarium mittebant. Litt. Professorum D. *Petri Hielm*, *Isr. Nesselii et Abr. Alani* ad Canc. d. 7 Julii a. 1710.

[25]) Qui jam, temporis injuria confractus est, et Globi isti in usum Scholae Cathedralis nuper ex decreto Senatus Academici venditi. Libri partim, ut diximus, a Rectoribus et Bibliothecario e suis traditi, partim ex defunctorum Professorum D. D. *Eliae Tillands* et *Magni Steen* relictis librariis emti; pauci a Bibliopolis Germanis, merces suas huc transvehentibus comparati. Opera quidem nonnulla, nova inprimis, egregia sunt; sed multa etiam levis pretii, et quibus facile Bibliotheca publica caruisset.

rationes a Bibliothecario accuratas, firmis munitas atque sufficientibus documentis (verificationer) exigerent, et donec eas praestitisset, pecuniam Bibliothecae omnem, quae vel apud ipsum superesset, vel interim reditura foret, administrandam reciperent, cujus diligentes deinde ab illis reddendae essent rationes [26]). Haec eadem etiam literis ad dictos Professores Fac. Theol. missis explicuit, illisque injunxit; ex quarum principio liquet-, ansam hujusmodi consilii ipsos Illustr. Cancellario dedisse, et de administratione Bibliothecae minus diligenti aliquid ad eum retulisse [27]). Consultum sibi videri iisdem significavit literis, libros inutiles et ineptos, quibus Bibliotheca laboraret, omnes vendi, et pecunia inde collecta alios utiliores praestantioresque comparari; quo vero commercio non multum sane Bibliothecae res fuisset aucta. Ut jussui Illustr. Cancellarii satisfieret, sub feriis aestivalibus opus aggredi, constituti censores decreverunt, literisque datis et exemplo adjuncto mandatorum Ill. Cancellarii, eam rem D:n Prof. et Bibliothecarium *Hahn*, infirma valetudine ruri in praedio suo detentum edocuerunt, ut et praestituto tempore, si per valetudinem liceret, ipse adesset rogantes (aut alium suo loco statueret), et rationes exactas accepti et expensi ab aestate a. 1709, quam primum conficeret, sibique una cum pecunia collecta, ad novos quosdam libros maxime necessarios emendos insumenda, quantocius traderet [28]); quibus, fidem suam multis contestatus et de inimicorum questus acerbitate, se obsecundaturum respondit [29]). Verum hac aestate nihil tamen actum, morbo ut videtur D:ni *Hahn* impediente [30]). In

---

[26]) Litt. Cancell. ad Episc. et Pro-Canc. D. D. *Joh. Gezelium*, datae Stockh. a. 1712 d. 30 Febr.

[27]) Ab anno enim 1709 Bibliothecarius nullas rursus rationes reddiderat; nec ulli libri accessisse videntur. Quare de hac re sine dubio conquesti sunt.

[28]) Litt. Facultatis Theol. ad D. Prof. et Bibl. *Hahn*, datae a. 1712, d. 29 Apr.

[29]) Supersunt hae literae, datae Maji a. 1712.

[30]) Acta mox indicanda. Cfr. Prot. Consist. Ac. a. 1722 d. 26 Maji.

fine anni tandem convenerunt delegati, in aedibus Bibliothecae, novumque et diligentius adornatum catalogum condere, atque proximo mense Januario libros recensendi operam inchoare, decreverunt; D:no quoque Bibliothecario, rationes requisitas se quamprimum prolaturum, promittente [31]). Laudabili etiam industria eos opus fuisse aggressos, testis superest Catalogi novi, secundum classes et genera scientiarum disciplinarumque diligenter dispositi, principium, (Theologos et ad apparatum Theologicum pertinentes libros in Folio, partemque librorum hujus classis in 4:o complectens) quem absolvere hostilis vis in has oras ingruens, et musas nostras solum vertere initio sequentis cogens aestatis, prohibuit; quam caussam fuisse laboris sui interrupti, in annotatione huic fragmento, die XV mensis Maji A. 1713 subscripta, laudati supra docent Professores. Itaque scopum suum propius attingere Illustr. Cancellarius non potuit; cujus postea severitatis aciem calamitas publica obtudit. Neque rationes alias superiorum annorum, quam quas supra memoravimus, obtinere potuit; quae pro annis quoque quatuor ante fugam Academicorum proximis, tardius redditae, et more sine dubio simili fuerunt [32]); parumque ex his Bibliotheca lucrata est Academica [33]). Majorem utique *ἀκρίβεια*

[31]) Acta hac occasione, d. 15 Dec. a. 1712 consignata.

[32]) Protoc. Cons. Acad. a. 1713 d. 13 Maji nullas adhuc tum rationes a Bibliothecario post a. 1709 fuisse redditas, indicat. Confectas tamen postea fuisse, et 500 aut potius 206 thaleros cupreos, quos se Bibliothecae debere agnovit, apud Quaestorem Acad. depositos, rursus vero Stockholmiae, sub fuga, auctoritate D:ni Prof. *Ingemundi Bröms*, Acad. tum temporis Rectoris, Bibliothecario traditos, narratur in Litt. Consist. Acad. ad Illustr. Cancellarium, datis a. 1723 d. 4 Apr. et a. 1724 d. 5 Febr. Cfr. Prott. a. 1723 d. 20 Nov. a. 1724 d. 10 Jan. et 25 Aug. Mortuo D:no Prof. et Bibl. *Hahn*, de hac pecunia repetenda consilia quidem fuisse capta, post reditum in Finlandiam Academicorum, reperimus; quo autem successu, nescimus: aes enim grande alienum reliquerat. L. L. c. c. et Litt. Cons. Acad. ad Direct. Dn. *Joh. Pihlman* d. 18 Julii a. 1723.

[33]) Nescio an quatuor nova volumina his annis coëmta. Quaedam contra Bibliotheca amisit, pro quibus an pretium re-

Illustr. Cancellarii Bibliothecae nostrae et efficaciorem promittere opem videbatur, quam sic quidem re ipsa experta fuit. Jecit tamen fundamenta accuratioris in posterum administrationis, et majori forte cum fructu in futuris averruncandis malis, quam superiori vixque jam reparabili damno resarciendo, acrior statim defigenda fuisset cura. Id mirari maxime subit, Literarum Regiarum, quae fundamentum horum Bibliothecae redituum erant, diligentiorem observationem non fuisse inculcatam, aut de exigenda hac pecunia accuratius explicatiusque praeceptum, ut ita prima caussa morbi tolleretur. Verum neque huic malo medela sine dubio fuisset defutura, nisi tristes Civitatis res Camoenis etiam nostris silentium et exilium interim indixissent.

§. XII.

Ex Fisci Academici pecunia, quæ ad alios semper usus impendebatur [1]), nihil opis Bibliotheca aut hoc intervallo aut postea accepit. Privatae etiam liberalitatis pauca admodum eaque tenuia, experta fuit documenta. Nominandi tamen nobis sunt Pro-Tribunus Fortissimus atque Nobiliss. Dominus *Christophorus Horn* [2]), Collegii Antiquitatum Asses-

---

stitutum sit, ignoro. Scripto monente vic. bibliothecario Dn. M. *Joh. Pihlman*, ut pecunia Bibliothecae debita, quae adhuc apud quosdam restaret, accurate exigeretur, decrevit Senatus Acad. exspectanda esse feliciora tempora. Prot. d. 10 Jun. a. 1713.

[1]) Vid. §. praeced. IX. cfr. Prot. d. 20 Nov. 1723 et d. 10 Jan. a. 1724.

[2]) Dono misit ille Bibliothecae nostrae V Volumina Russica in folio, ad Liturgiam ejus Ecclesiae omnia pertinentia, quae armis, inter reliqua hostium spolia, occupaverat. Adjecta illis haec epigraphe sua manu reperitur: Dieſes Buch habe ich unterſchriebener in der blutigen action und glorieusen victorie, ſo der Hochwohlgebohrne Herr General-Major und Vice-Gouverneur Graff *Adam Ludvig Lewenhaupt* wieder den Moſcowitiſchen General Feld-Marſchallen *Knees Boris Petrovitz Scheremetthoff* bey Gemauerthoff auf der gräntze von Curland d. 16 Julii A:o 1705, tapfer und heldenmüthig befochten, erobert, welches zu Gottes und der Königl. Aboſchen Academie Ehre, zum beſtändigen andenken ſchicken wollen.

sor Nobil. D:nus *Elias Brenner* [3]), et libris sub hasta divendendis Stockholmiae Praefectus (Bok-Auctionist) Dn. *Richardus von der Hardt* [4]), qui singuli de re nostra libraria atque adeo de musis nostris bene mereri, laudabiliter studuerunt. Vestigia tandem reperimus librorum intra Patriam impressorum, vi mandati Regii nostrae quoque Bibliothecae Academicae gratis transmissorum [5]); ex quo concesso sibi jure, nostrum quidem Lyceum neque primis his annis neque postea unquam plenum percipere fructum potuit, maxima inde jactura mulctatum. Tarde etiam illud vindicatum esse invenio. Quamquam enim anno jam 1699 legebatur in Senatu Academico decretum Regium, quo Lundensi Academiae idem tributum fuit Privilegium quo Upsaliensem septennio ante ornatam fuisse indicavimus [6]), nullum tamen initum consilium videtur, nostris quoque Camoenis illud asserendi, antequam Litteris Cancellariae Regiae anno 1707 die 16 Febr. datis, singulis 4 Regni Academiis expresse vindicaretur; cui itaque favori illam quam tetigimus, quinquennio post et semel tantum factam, exiguam sine dubio, accessionem, Bibliotheca nostra debuit.

Christer Horn von Liesniemi, Commandirte Obriſt-Lieutenant von Obriſt *Clodts* Regiment, in der Bataillon Gemaurt-hoff. Vid. etiam Prot. Cons. d. 5 Sept. a. 1705. et Litt. Senatus Ac. ad Nob. D:num *Horn* eod. d.

[3]) Misit opus suum *de Nummis Sveo-Gothicis*, et *Jos. Thun vitam Palmsköldii*. Prot. d. 11 Nov. 1708. Litt. Cons. ad Ass. Brenner dat. eod. d.

[4]) Auxit ille Bibliothecam nostram primum 17 voluminibus (quibus, nescio), Prot. Cons. d. 17 Jul. a. 1708 et Litt. Cons. Ac. ad eundem d. eod. atque deinde mox 6 aliis libris Theologicis in 4:o. Prot. ej. a. d. 9 Oct. et Litt. Cons. ad eund. eod. d. eo contra mactatus favore, prout ipse petiverat, ut exemplar singulorum librorum et dissertationum acciperet, quae ex Typographia Academica prodirent.

[5]) Prot. Consist. Ac. d. 10 Maji a. 1712, et Litt. Senat. Ac. ad Secretarium Reg. Nobiliss. Dn. *Palmsköld* datas ej. mensis die 22, quibus gratiae ei aguntur quod libros et tractatus varios domi impressos, vi edicti Regii Bibliothecae Acad. transmisisset.

[6]) Supra §. XI. p. 43.

§. XIII.

Praefuit toto hoc tempore Bibliothecae Dn. Professor et Bibliothecarius *Hahn*, ita tamen ut maximam curae partem Amanuensibus, s. ut vocabantur Vic. Bibliothecariis, relinqueret. Hi autem hoc ordine hanc ornarunt spartam. Dn. *Thauvonio* successit Dn. M. *Wilhelmus Wargentin* [1]), qui a. 1702 Sacellanus Ecclesiae Cathedralis Svecanae hic Aboae factus, successorem habuit Dn. M. *Gustavum Haks* [2]). Cum per quinquennium hac esset functus cura, Quaestor hic Academiae a. 1708 constituitur [3]); moxque suffecit in ejus locum Senatus Acad. Studiosum Dn. *Erlandum Ståhlfoth;* quod tamen cum minus placeret Illustr. Cancellario, ejus auctoritate cessit haec provincia Dn. M. *Johanni Pihlman* [4]), cujus fidei curaeque concredita mansit, donec saevissimi belli fluctibus paullatim subsidere incipientibus, exules nostrae musae a. 1720 de reditu in Patriam, reparandisque rebus suis afflictis, cogitare coeperunt. Auctus interea etiam fuit, anno 1713, simul dignitate et munere Secretarii Academiae [5]), et utramque spartam diligenter ornavit. Qui antea quotannis constitui solebant e Professoribus Inspectores Bibliothecae [6]), minus jam necessarii, monente Bibliothecario, ha-

---

[1]) Prot. Consist. Ac. d. 2. Nov. a. 1698.

[2]) Prot. C. Ac. d. 18 Dec. 1702, et d. 14 Febr. a. 1703.

[3]) Prot. d. 15 Jun. a. 1708.

[4]) Cum et hic et D:nus *Pihlman* suam in hac provincia administranda operam simul offerrent, favit Senatus Ac. illi, qui itaque aggressus jam fuit muneris curam. D:nus autem *Pihlman* Notarius Stipendiariorum constitutus fuit. Re vero ad se evocata, quod fieri antea solitum non erat, Illust. Cancellario convertere hunc ordinem placuit. Prot. Consist. Ac. a. 1708 d. 17 et 26 Julii, et 9 Octobr. Cfr. Litt. Cancellarii ad Senat. Ac. d. 13 et 22 Sept. a. 1708. Decrevit hac vice Senatus Ac. ut etiam Vic. Bibliothecarius fidejussores praestaret, nec antequam id promisisset, ad muneris curam admissus est D:nus *Pihlman*. Prot. Consist. a. 1709 d. 26 Apr. et 28 Maji. An revera praestiterit, nescio.

[5]) Prot. d. 20 Jan. a. 1713.

[6]) Cfr. supra §. III. et IV.

bebantur, cum ex Professorum ordine unus Bibliothecae ordinarie praeesset [7]); adeoque hic mos cessavit. Catalogo non alio Bibliotheca toto hoc tempore instructa fuit, quam illo typis impresso cujus supra mentionem fecimus [8]), non illo quidem commodissimo [9]); adjectae huic sensim appendices, libros postea comparatos complectebantur. De appendice hac typis imprimenda, aliquoties quidem decretum fuisse reperio [10]); sed mansit tamen res infecta. Quod idem accidit consilio postea capto, de toto Catalogo prelo rursus subjiciendo [11]).

---

[7]) Prot. d. 22 Jun. a. 1699 et d. 26 Jun. a. 1700.

[8]) §, VII. p. 32.

[9]) Iisdem laborat incommodis, quae in primo reprehendimus typis evulgato Bibliothecae nostrae Catalogo, supra §. V. not 21); sub alienis interdum nominibus auctores adferuntur; quaedam Scripta quae cum aliis eodem compacta volumine reperiuntur, omissa plane sunt; ita ut non maxima diligentia in eo conficiendo fuerit adhibita.

[10]) Prot. a. 1700 d. 14 Julii, et a. 1701 d. 8 Jan. Incrementum Bibliothecae insignius non fuerat, quam ut una plagula (arf) novis libris enumerandis suffectura videretur.

[11]) Prot. a. 1708 d. 9 Oct. Hujusmodi interim, partim impressos et partim scriptos Catalogos, ita ut indicavimus confuse confectos, et Illustr. Cancellario (cfr. supra §. XI. p. 45 et 46) transmissos reperimus, et Cel. D:no *Eliae Obrechto*, Professori Skyttiano Upsaliensi, cui generalem in omnes Bibliothecas Regni Inspectionem Sacra Regia Majestas mandaverat (cfr. Nob. Celsii Reg. Bibliothecae Stockholmensis Historia §. XXXVIII.), et qui itaque ut diligentes hujus quoque Bibliothecae indices et Catalogi sibi mitterentur, literis ad Senatum Acad. die 6 Febr. a. 1695 datis, rogaverat. Prot. Cons. Ac. d. 12 Mart. et 4 Apr. a. 1695. Non tamen nullam de supellectili nostra libraria curatius administranda Senat. Ac. fovisse curam, docet Prot. Cons. d. 19 Jul. a. 1701, ubi decretum legitur, ut Bibliotheca perlustraretur, et Catalogus in meliorem ordinem redigeretur. Monuerat etjam antea Rev. D. Episcopus et Pro-Cancellarius, cum de confuso librorum Bibliothecae ordine Patres querentur, eos in singulis facultatibus debere suis numeris quosque notari, et ab ipso Bibliothecario in Catalogum referri. Prot. d. 13 Maji a. 1699. Sed effectus tamen nullus haec consilia consecutus est.

§. XVI.

Hostium interea adventum metu remoto, et periculo non jam e longinquo Academiae huic sedem minitante, de Bibliotheca Academica in tutiorem transportanda nemo cogitabat. Nihilo minus Senatum Ac. de hac re [illegible] Majestatem [illegible] anno jam 171[illegible] regnans, ut cum Aula agerent quod Ipsi Boreae Dicasterii loco transferendae navis potestas esset concessa, Patres de [illegible] Academiae ob quae supellectili librariae imperandum, apud Illust. Cancellarium mature agerent, asseresque illorum cistis in quibus libri conderentur, pararent. Probavit consilium ejus Senatus Ac. et literis ad Illustr. Cancellarium datis illum ejus exploravit [1]; qui responso suo hanc etiam Senatui Acad. injunxit, ut ipse statueret in quam partem, sive in Ostrobotniam, sive in aliam regionem tutam, thesaurus Academiae literarius prudentissime esset asportandus; itaque Bibliothecarii ea res diligentiae et fidei fuit commissa [2]. Neque tamen necesse fuit hoc exsequi consilium, antequam aestate anni 1713 nulla amplius spes superesset Lostibus resistendi; quibus ad urbem appropinquantibus, a Dno *Pihlman*, praesente Dno Professore *Brima*, secundum ordinem Catalogorum libri in cistis hunc in finem fabricatis repositi sunt, et navi Stockholmiam salvi atque incolumes transvecti [3]).

---

[1]) Protoc. Consist. Acad. a. 1710 d. 20 Jul. Litt. Consist. ad Cancell. eodem die datae.

[2]) Protoc. d. 28 Sept. a. 1710.

[3]) Prot. a. 1720 d. 18 Mart. et 26 Maji. Falso itaque rumore deceptus est Maxime Reverend. Dnus Dr. NORDBERG, qui in *Historia* sua *Regis Caroli XII. partis post. Cap.* 17. §. 86. praedae hostibus cessisse Bibliothecam nostram narrat, et Petropolim abductam. Det förnämsta bytet, inquit, som de (Russi) gjorde, war Academiens Bibliotheque, hwilket förde til Petersborg. Atque in eodem errore audivi alios etiam esse nonnullos. Certum autem est, ne unicum quidem librum Bibliothecae Publicae, in hostium venisse potestatem. Observat etiam Nob. ARCKENHOLTZ *Mem. de la Reine Christine* T. I. p. 309 not. *.

Hic in quadam aedium urbis publicarum (Stads-Huſet) depositi, dispersis mox Academiae membris, cistis suis inclusi per integros annos septem, intacti manserunt, humiditate loci, situque, ingens interea passi damnum [4]). Paucissimi Professorum, neque illi perpetuo, Stockholmiae versari potuerunt, adeoque huic malo medelam adhibere, defectu inprimis aedis commodioris in qua collocari libri et exsiccari possent: praeterea adversis victi rebus, et exules aegerrime ipsi vitae subsidia invenientes, animum despondebant; publica Academiae res luctu et squalore obtecta jacuit.

§. XV.

Diuturno et tristissimo bello paullatim desaeviente, cum pacis spe animus musis quoque nostris rediit, et spes patrios aliquando lares revisendi. Congregari itaque rursus Academici nostri, dispersi hactenus, et rei suae publicae agitare curas coeperunt. Convenientibus Stockholmiae, initio anni 1720, Professoribus nonnullis, mox primis illorum consiliis Bibliothecae conditio materiem praebuit. Praefectus ei ante paucos dies fuerat D:nus M. *Andreas Pryss*, poëseos Professor et Senior Facultatis Philosophicae [1]), loco demortui Professoris et Bibliothecarii *Hahn*. Novo huic Bibliothecario, cujus in gazam nostram librariam eximia sunt merita, auxilio vice-Bibliothecarius sive Amanuensis constitutus est Studiosus Dn. *Carolus Arosius* [2]), Dn. *Pihlman*, cum supplendus esset ordo Professorum, ad Professionem Historiarum et Philo-

---

[4]) Prot. d. 18 Mart. a. 1720.

[1]) Diplomate regio, dato die 7 Jan. a. 1720, quo die VI etiam novi Professores constituebantur, in locum eorum, qui tempore fugae aut obierant, aut ad musas Upsalienses etc. transiverant. Respicere scil. rursus coepit Regia Majestas camoenas nostras afflictas et exules, belli finiendi spe propius relucente. Prot. Consist. Acad. a. 1720. d. 26 Jan.

[2]) Quia praesens Stockholmiae esse potuit. Prot. d. 17 Mart. a. 1720; cfr. Litt. Consist. Ac. ad Illustr. Cancell. die eod. datas.

sophiae Practicae paullo ante promoto [3]). Hi ut situ et humiditate infestatae subvenire possent Bibliothecae, loco erat aptiore et spatiosiore opus, ubi libero exponi aëri atque explicari libri possent; qui jacuerant hactenus, uti indicavimus, cistis suis inclusi, in loco humili et solo vicino, aedis publicae, in suburbio australi sitae. Ad necessarias itaque pro Bibliotheca conservanda impensas, fundis omnibus atque reditibus propriis spoliati, a Regia Majestate per Illustr. suum faventissimumque Cancellarium (Dn. Senatorem Regni, Comitem *Carolum Gyllenstjerna*) pecuniam rogabant Academici; summamque, quam petierant, 600 Thalerorum cupreor. impetrarunt [4]). Itaque in borealis suburbii parte (på Labugårdslandet) aedes conductae sunt commodiores, in maris vicinia, ut et ab incendiis essent tutiores, et ad Bibliothecam in Fenniam aliquando transportandam aptius sitae; in has libri aestate ejusdem anni translati sunt, et in repositoriis hunc in finem confectis collocati; situ absterso, madidisque voluminibus exsiccatis. Demandata quidem fuit D:no *Joh. Thorwöste,* Phys. Professori nuper creato, et Stockholmiae constanter versanti, provincia Bibliothecam accurate, una cum Praefectis ejus percensendi; illo autem hunc refugiente laborem, soli hi libros secundum Catalogum typis impressum recensuerunt, et quod index nullus jam haberi posset voluminum quae postea accesserant, novum condere aggressi, quotquot reperierunt, in illo typis vulgato non observata, in hunc retulerunt [5]). Atque hoc loco res erant Bibliothecae

---

[3]) Prot. d. 17 Mart. a. 1720. Non multo autem post pauperibus et exulibus nostris musis valedicens, ad aliam proficuamque magis stationem migravit, Director factus instituti navibus per brevia et syrtes ducendis Stockholmiae dicati, (Directeur wid Lots-Contoret). Prot. a. 1722 d. 16 Apr. Litt. Cons. Ac. ad Ill. Cancell. d. 5 Feb. a. 1724.

[4]) Prot. d. 18 Mart. a. 1720 et 20 Nov. a. 1723. Litt. Consist. Ac. ad Ill. Cancell. d. 22 Sept. a. 1721. Acta recens. Bibliothecae a. 1726 factae.

[5]) Acta Recens. Bibl. a. 1726. Quos in veteri typisque impresso Catalogo memoratos libros, ob confusionem hujus Catalogi (supra §. XIII. not. [9]) reperire nescientes, deperditos pri-

nostrae, donec aestate anni 1722 Aboam transveheretur [6]); ubi in Templo, ut videtur, urbis Cathedrali, cistis recondita suis asservabatur, donec aedes Bibliothecae, ab hostibus male habita, repararetur [7]); in quam tandem, post longum et triste exilium, nescio utrum eodem aut sequente demum anno illata, et in pristinum diligenter fuit redacta ordinem. Damna interea haud levia fuisse passam, ex dictis facile colligitur. Nihil de eo dicam, quod per integrum novennium nullis neque reditibus neque incrementis aucta fuerat; plurimi praeterea libri graviter laesi, alii penitus corrupti fuerunt [8]); quod fatum experti etiam sunt Globi isti insignes, quibus Augustae fundatricis liberalitas Lycei nostri librarias auxit opes [9]).

§ XVI.

Ut igitur haec repararentur damna, de novis fractae calamitatibus rei suae librariae lucrandis incrementis, non minus sollicitam, quam de veteri suo conservando penu, Patres Academici curam injecerunt. Cum itaque Pernaviensis Academia eodem ac nostra perculsa fuisset procella, nec

---

mum putabant, eos (exceptis qui Aboae jam antea perierant) D:nus *Pihlman* adesse, sensim demonstravit, cui ob alias muneris occupationes praesenti esse constanter, non licuit. Acta citt. Rationes quoque acceptae et expensae, posterioribus annis quibus D:nus *Hahn* Bibliothecae praefuerat, pecuniae, Senatui idem Academico exhibuit, et quae ad hanc rem illustrandam porro pertinerent, communicavit. Prot. a. 1724 d. 10 Jan. Litt. Consist. Ac. ad Illustr. Cancell. a. 1724 d. 5 Febr.

[6]) Navem publicam (en Kron=Galiot) ad Bibliothecam transvehendam, curante Illustr. suo Cancellario, Academici, ut petiverant, acceperunt. Vide Prot. d. 16 Apr. a. 1722. Litt. Consist. ad Ill. Cancell. eod. die datas, et Litt. commeatus (Paß) ab Illustr. Cancellario d. 3 Jul. ej. anni datas D:no Professori et Bibl. *Pryss* atque D:no Vic. Bibl. *Arosio* (qui eadem navi transvecti sunt), inter Acta Consist. servatas.

[7]) Prot. a. 1722 d. 16 Apr.

[8]) Acta Recens. Bibliothecae a. 1726. Cfr. supra §. VII. p. 31 not. ([11]).

[9]) Cfr. supra §. V. p. 23. not. ([15]).

ullo jam restitutionis spe teneretur, de supellectili ejus libraria, Holmiam itidem transvecta, in solatium perpessarum aerumnarum obtinenda, suasu Reverend. Episcopi et Pro-Cancellarii D. D. *Hermanni Witte,* qui et suam in hac re illis pollicitus est operam, apud Illustr. suum Cancellarium egerunt; eo has aequiore jure sibi concessum iri sperantes similis naufragii tabulas, quod Regium jam antea promissum Monarchae gl. memoriae *Caroli XI.* acceperant, non adhuc impletum, de Bibliothecae nostrae inopia clementer sublevanda (cfr. supra §. X. p. 40. not. [9]). Retulit Illustr. Cancellarius rem ad S. Regiam Majestatem; sed repulsam tulit, hac addita ratione, quod cum Regia Stockholmiensi Bibliotheca Pernavienses libros conjungere Regiae Majestati placuisset [1]). In memoriam sibi aliud deinde decretum Academici nostri revocabant, in musarum nostrarum favorem ad eodem Rege gl. m. factum, (supra itidem a nobis memoratum, §. X. p. 39, not. [6]), ut libris duplis triplisque Bibliothecae Academicae Upsaliensis, nostra sublevaretur res libraria; itaque et Rev. Episcopus atque Pro-Cancellarius, Upsaliam proficiscens de hac re se diligenter acturum spopondit, et Illustr. Cancellarius, votis Senatus Acad. annuens, cum Upsaliensium camoenarum Maecenate Illustr. D:o Comite et R. Senatore *Gustavo Cronhjelm,* nostrorum Patrum petitionem literasque communicavit; sed nullus alius erat horum moliminum fructus, quod facile praevideri poterat, quam ut Upsalienses ignotum sibi esse Regium quo nostri niterentur decretum responderent, et duplos suos triplosque libros partim esse jam divenditos, partim in usus Bibliothecae suae necessarios, propediem divendendos [2]). De libris

---

[1]) Prot. Consist. Ac. a. 1721 d. 22 Sept. Litt. Consist. ad Illustr. Cancellar. eod. die exaratae, et responsum ejus d. 27 Oct. ej. anni datum. Item Decretum Regium d. 16 Oct. ej. anni factum. Cfr. Nob. CELSIUS l. c. §. XLIV. p. 187 seqq. ubi de pretio quoque et conditione Pernaviensis hujus Bibliothecae edocemur; quam anno jam 1717 Regiae Stockholmiensi adjunctam fuisse ibidem ostendit.

[2]) Prot. Consist. d. 22 Sept. a. 1721. Litt. Consist. ad

tandem duplis Bibliothecae Regiae Stockholmiensis obtinendis, omnes in penu nostro librario exiguo augendo industriae nervos intendentes, Patres nostri, diu intermissum rursus suscitabant consilium; sed aeque infelici successu [3]). Impressorum intra patriam librorum, quosdam tamen Bibliotheca accepit nostra, licet non sine labore [4]); sed exiguis

---

Cancell. d. 16 Octob. a. 1721. Litt. Comitis et Senat. Reg. D:ni *Cronhjelm* ad Consist. Acad. Aboense d. 25 Nov. a. 1721 dat. Quod in dubium vocare viderentur Upsalienses fidem Litterar. Regiar. saepe laudatarum, quas nostri urgebant, de originali earum investigando sermo quidem fuit injectus; sed iis vel maxime repertis, parum inde emolumenti erat sperandum. Cfr. Prott. a. 1721 d. 12 Oct, et 1724 d. 18 Febr.

[3]) Quamvis acriter hoc consilium urgerent, D:o Episcopo et Pro-Cancellario etiam studia eorum excitante. Prot. d. 1 Dec. a. 1726. Litt. Senat. Acad. ad Episc. D. D. *Witte* dat. die 26 Oct. ej. anni, quo die etiam ad Dn. Bibliothecarium Reg. *Henr. Brenner* de adjuvando eodem consilio scripserunt. Cfr. Prot. d. 24 Jan. a. 1727. Ad Illustr. quoque Cancellarium similiter literas de eadem re miserant d. 18 Apr. a. 1728, qui rescripsit d. 3 Maji ej. a. Regiam Cancellariam decrevisse libros duplos Bibliothecae Regiae esse auctione vendendos, ut ea pecunia alii possent comparari, eidem Thesauro librario augendo utiles. Tamen a. 1731 de eadem re apud S. Regiam Majestatem agebant rursus, et postulatis suis ad Comitia ejusd. anni hoc petitum adnectebant; sed decreto Regio, die 15 Maji a. 1732 dato, repulsam ferentes, dimittere hanc tandem spem sunt coacti.

[4]) De historia et antiquitatibus Patriae, sub finem superioris seculi, publica partim auctoritate et impensis, edita opera, qvotquot distracta adhuc non erant, nonnullosque alios minoris momenti libros, Illustr. Cancellario Regiaque Cancellaria favente, et operam quoque conferente Nobil. tum Archivi Regii Secretario Dn. *Joh. Fred. von Schantz*, accepit tandem a. 1725 Bibliotheca Academica. Prot. d. 20 Dec. a. 1725. Cfr. Litt. Ill. Cancell. d. 10 Dec. ej. a. Fugae tempore nihil hujusmodi opis accessit afflictae Academiae. De hoc jure suo consequendo, et in postulatis ad Comitia anni 1723, et in litteris ad Ill. Cancellarium datis a. 1724, d. 11 Mart. Academici supplicaverant. Rescripsit hic quidem (d. 11 Maji), Regiam Cancellariam Typographos officii sui admonuisse; sed nihil effectum, antequam novis literis Academici, sequentis anni d. 19 Oct. rursus caussam suam Ill. Cancellario commendarent. De Typographorum quorundam con-

his non multum crevit subsidiis. Parcissima fuisse in rem nostram librariam privata quoque reperitur liberalitas, toto quo D:nus *Pryss* Bibliothecae praefuit triginta prope annorum intervallo; praeter immortalia enim et Musis Auraicis desideratissima nomina Illustrissimorum Comitum et Regni Senatorum D:nor. *Claudii Ekeblad* et *Caroli Gustavi Tessin*, quorum ille Rectoratu decedens elegantissima *Taciti* operum editione [5]), hic Cancellariatus curam auspicans nitidissimorum Auctorum Classicorum Latinorum collectione [6]) gazam nostram librariam ditavit, tria tantum adferre valeo, Celeberrimi D:ni D. *Hermanni Dieterici Spöring* [7]), Medicinae Professoris ad Regium hoc Lyceum meritissimi, et Adm. atque Max. Reverendorum D.ni M. *Gregorii Arctopolitani* [8])

---

tumacia et inertia querebatur Dn. *von Schantz* in responso suo dat. d. 26 Nov. ad Regiae Cancellariae Litt. dat. d. ej. mens. 19. Deinde diu nihil rursus, aut raro certe accepit harum rerum Bibliotheca; ut ex Litt. Consist. ad Ill. Canc. d. 27 Jan. a. 1728, postulatis ad Comitia a. 1731, Litt. Cons. ad Ill. Canc. d. 23 Mart. 1738 et d. 10 Dec. 1739 patet. Anno vero 1741, adjuvante Nob. D:no *And. Ant. von Stjernman*, Archivi Regii Secretario, Cancellaria Regia monente, aliquid accessit tandem nobis rursus, Prott. 16 Maji a. 1740, et d. 7 Jul. a. 1741. Itaque penuria laborat Bibliotheca scriptorum quae superioribus annis intra patriam prela subierant.

[5]) Venetiis 1707 et 1708, voll. IV. 4:o (in usum Delphini). Sua manu in margine testatus est. Cfr. Protoc. d. 18 Jun. a. 1726.

[6]) *Phaedri Fab.* Lutetiae Paris. 1742, *Lucretius* ib. 1744, *Virgilius* ib. 1745, voll. 3, *Horatius* ib. 1746, omnes in 12:o sumptibus Coustelierii; *Sallustius* ib. 1744, *Cornelius Nepos* ib. 1745, sumptibus Mich. Steph. David. *Catullus, Tibullus et Propertius* Lugd. Bat. 1743 eadem omnes forma et nitore. Cfr. Prot. a. 1746, d. 16 Jul. et Litt. Ill. hujus nostri Cancell. dat. d. 27 Jun. ej. anni.

[7]) Intulit Bibliothecae MS:tam suam Descriptionem Metallorum Hercynicorum (Beſkrifning öfwer de Harzſke Bergwärken) Fol. Prot. d. 10 Dec. a. 1739.

[8]) Bibliothecae dono dedit editiones duas Bibliorum Hebraicorum *Eliae Hutteri* cum Cubo Alphabet. Hamb. 1587 et 1596 fol. (quorum prius exemplar, ab editore dono datum Ce-

Praepositi et Pastoris Lojoënsis atque D:ni D. *Georgii Nordberg* [9]) Pastoris Eccl. St. Clarae Stockholmiensis, quibus gratam ob auctam suam supellectilem Bibliotheca nostra debet memoriam.

§ XVII.

Quod post relictos domesticos lares et perpessa sub exilio suo tot incommoda, Bibliothecae conditio publico nomine accurate adhuc non fuisset examinata, necessarium Patribus visum est a. 1726, Rectore tum Academiae Illustri Comite D:no *Claudio Ekeblad,* (Senatore deinde Regis Regnique, et Academiae nostrae Cancellario) hunc tandem laborem suscipere. Datum itaque fuit hoc negotium D:nis M. M. *Algotho Scarin,* Hist. et Phil. Practicae, atque *Nicolao Hasselbom,* Matheseos Professoribus [1]), qui diligenter illud perfecerunt; ut ipsa Acta, quae supersunt, demonstrant. Patuit tunc, quam gravia incommoda ex superioris temporis calamitate librarium quoque nostrum penu sensisset, quibus medelam adhibendam, laceris et affectis voluminibus reparandis, ostenderunt; nonnullis quae omne respuerent auxilium, ex Bibliotheca rejectis. Remisit hac occasione D:nus *Arosius,* qui munere et stipendio Adjuncti Facultatis Philos. nuper fuerat auctus [2]), (quod utramque ei concedere simul nollet Illustr. Cancellarius Provinciam), eam curarum Bibliothecae partem quae Amanuensi incumberet, D:no *Johanni Ross,* filio Archi-Praepositi et Primarii Theol. Professoris D:ni M. *Hermanni Ross* [3]); quem Consistorii quoque Aca-

lebri Theologo D. Chytraeo olim fuerat; supr. § VII p. 32 not. [13]), ubi hoc exemplar cum altero ejusd. editionis, per errorem confusum fuit) et *Joh. Clajі* Evangelia annivers. quadrilinguia Lips. 1593 8:o (Prot. a. 1740, d. 16 Maji) cum annot. margini Biblior. edit. posterioris adscripta.

[9]) Historiae suae de rebus gestis R. *Caroli XII* exemplar nitide compactum misit. Prot. a. 1741, d. 15 Jul.

[1]) Cfr. Prot. d. 18 Maji a. 1726.

[2]) Acta Recens. Bibl. a. 1726. Prot. ej a. d. 5 Jan. et 26 Febr. Litt. Cancell. d. 11 Febr. a. 1726.

[3]) Prott. et Litt. citt.

demici Amanuensem s. Vic. Secretarium anno sequente Patres constituerunt [4]). Sed vitam haud multo post cum morte commutavit. Successorem itaque in cura Bibliothecae nactus est Dn. *Andream Pryss,* filium Professoris et Bibliothecarii natu maximum, [5]) qui ultra viginti annos in tenui hac statione mansit. Renovatus interim fuit Patris et filii conjuncta cura operaque vetustus librorum Bibliothecae Catalogus, et Appendices omnes in unum tandem hunc universalem fusae Indicem [6]); qui paullo ante mortem Bibliothecarii repetita industria perfectus absolutusque, quantae eo decedente fuerint Bibliothecae opes, quibusque sub ejus administratione accessionibus locupletatae, liquido demonstrat [7]). Praeter hunc Catalogum, alphabetico ordine libros secundum quatuor sic dictas Facultates (Historicis tamen peculiari etiam assignata classe) exhibentem, neque a vitiis superiorum typisque impressorum immunem Indicum [8]), alium etiam realem, ad imitationem Catalogi *Bibliothecae Thuanae* [9]), monente et sociam quoque operam offerente D:no Professore *Scarin,* Senatu Academico probante, ultimis vitae annis Dn. Prof. et Bibliothecarius concinnare coepit; quem tamen absolvere, morte senem intercipiente, prohibitus fuit [10]). Accurate de caetero habitam Bibliothecam, et administratam diligenter, hoc intervallo, acta confirmant [11]).

[4]) Prot. d. 27 Sept. a. 1727.

[5]) Prot. d. 16 Dec. a. 1727.

[6]) Prott. d. 17 Sept. et 18 Oct. a. 1746. Cfr. Acta Recens. Bibl. a. 1748; de quibus infra.

[7]) Collatus scil. cum vetusto catalogo, et indice librorum quos administrante D:no *Hahn,* Bibliothecae accessisse, ad a. 1709, rationes ejus demonstrant. Inter annos enim 1709 et 1720 non multum crevisse Bibliothecam certum est, adeo ut pauci libri qui accesserunt, non multum turbent calculos. Cfr. Acta Resens. a. 1748.

[8]) Supra § XIII p. 55, not. [9]).

[9]) Ab *Ismaële Bullialdo* digesti. Vid. MORHOFF *Polyhist. Liter.* T. I. Lib. I, c. 5, § 11.

[10]) Prott. a. 1744, d. 12 Mart. et a. 1748 d. 17 Mart. Acta recensionis Bibliothecae a. 1748 factae. Prot. a. 1748 d. 15 Dec.

[11]) Vide Acta citt.

§ XVIII.

Ab omni spe dejecti Patres nostri Academici, librorum insigniori accessione Bibliothecae suae promtius locupletandæ, ad fundum proprium, quamvis pauperem, excolendum, reditusque ejus qua possent diligentia augendos, animum appulerunt. Suadente igitur Bibliothecario, in postulatis Academiae ad Comitia Regni anno 1723 missis, inter alia petebant, ut privilegium exclusivum imprimendorum librorum Fennicorum, Academiae concederetur [1]), inde proventuro lucro rebus Bibliothecae angustis consulturi [2]). Verum opposuit se huic consilio Rev. Episcopus, eo ipse privilegio ornari, ut antecessor in munere suus, optans, et in partes suas Ill. quoque Cancellarium pertraxit [3]). Usus autem ea praecipue est ratione, quod sumtibus in hanc rem necessariis neque Bibliothecae neque Academiae opes suffecturae essent sustinendis; unde majorem hinc jacturam esse rei Academicae metuendam quam fructum sperandum contendit [4]). Et quamvis in proposito persisterent suo Academicorum plurimi, hujusque incommodi evitandi facilem esse rationem existimarent [5]), vicit tamen Dn. Episcopus [6]);

---

[1]) Quale antea obtinuerat Rev. Episcopus et Pro-Canc. D. D. *Joh. Gezelius* et quo tum fuit munitus Typographus Dn. *Merckell;* cujus vero opera, quod linguae ignarus vitiose admodum libros omnes ederet, minime contenti nostrates erant. Exspiraturum autem brevi erat ejus privilegium, Cfr. Litt. Ill. Cancell. ad Consist. Ac. d. 18 Mart. a. 1723 et Litt. Consist. Ac. ad Episc. et Pro-C. D. D. *Witte* d. 26 Mart. a. 1723.

[2]) Ipsa haec postulata, inter Acta hujus anni. Cfr. Prot. Consist. Ac. a. 1723, die 16 Febr.

[3]) Prott. Consist. Ac. dat. d. 26 et 30 Mart. Litt. Ill. Cancellarii ad Consist. Ac. dat, d. 18 Mart. a. 1723.

[4]) L. l. c. c.

[5]) Prot. Consist. d. 30 Mart. Litt. Consist. ad Ill. Canc. et ad Rev. Episc. d. 26 Mart. a. 1723. Litt. Cons. ad Dn. Prof. *Schulten* Stockholmiae versantem, d. 4 Apr. ej. a.

[6]) Privilegio hoc, (ut primum jus D:ni *Merckell* extinctum foret utendo) auctus fuit, die 9 Jul. a. 1723.

[7]) Cfr. Litt. Senatus Ac. ad Dn. Professor *Schulten* citt.

neque constat mihi an postulatum hoc eorum, ad Regiam Majestatem Ordinesve Regni relatum omnino fuerit [7]). Cessit autem postea, paullo ante mortem, sponte hoc privilegium Acad. nostrae Rev. idem Episc., relicta etiam ejus vidua hanc cessionem approbante; quapropter confirmationem Academici Sacrae Regiae Majestatis petierunt [8]). Denegata vero illis fuit [9]). Ex postea autem clementissime Academiae concesso privilegio, Typographiaeque Aboensi collato, Catecheses et Cantionum Sacrarum publicarum libros Fennicos imprimendi [10]), quamquam res Academica in genere fructum cepit, Bibliotheca tamen nihil nacta est emolumenti [11]). Sed hac licet prima spe Bibliotheca excideret, non segniore tamen de novis illi subsidiis quaerendis Academici laborare pergebant cura. Ad sequentia enim Comitia anni 1727 missis postulatis, a Bibliothecario rursus consignatis, petebant supplices, ut et alter Praefectus reditibus Academiae exigendis (Fogden), cui ex Fisco Academico, perpetua Bibliothecae jactura hactenus prospicere necessum fuerat (cfr. supra § IX p. 37 not. [5]), stipendio augeretur publico et tenuis sane illa pecunia, quae ex censu capitationis (Mantals-penningar) quotannis rediret, ab hominibus jurisdictioni Academiae subjectis, Bibliothecae nostrae sublevandae concederetur [12]). Annuere posteriori petitionis parti placuit Regiae Majestati Regnique Ordinibus, Illustr. Academiae nostrae Cancellario, Comite et Regis Regnique Sena-

quibus rogatur, ut si desideria Academiae Rev. Episcopus proferre nollet, is eadem Academicorum nomine produceret.

[8]) Litt. Consist. Ac. ad. Ill. Cancell. a. 1728 d. 28 Jun.

[9]) Decreto Senatus Regni d. 1 Oct. a. 1728, Rege Augustissimo tum absente, facto; ea adducta ratione, quod Gl. M. Rex *Carolus XII* d. jam 15 Maji a. 1715 statuisset nulla concedenda esse privilegia excl. imprimendorum Bibliorum, librorum Sacrarum Cantionum, publicarum etc.

[10]) Dato d. 20 Nov. a. 1741.

[11]) Quamquam, ut in Typographiam hactenus facti sumtus Bibliothecae commodo impendi possent, inter rationes hujus adepti privilegii, adfertur.

[12]) Ipsa postulata inter Acta hujus anni.

tore D:no *Arvido Horn* efficaciter rem promovente; unde 100 circiter Thaleror. Argenteor. annuus reditus Bibliothecae nostrae adfluxit [13]). Cum praeterea in lege recentissima Gymnasiis Scholisque Patriae regendis anno 1724 d. 4 Feb. lata, (Nya Gymnasii- och Scholе-Ordningen) ejusque Cap. V § 3 certi reditus a Clero Dioecesano conferendi, augendis Bibliothecis Gymnasticis essent assignati [14]), aequum visum fuit Academicis, ut cum nullum in Aboensi Dioecesi exstet Gymnasium, in commodum Bibliothecae Academicae haec pecunia insumeretur; Regiaqve hoc etiam consilium eorum auctoritate clementer fuit confirmatum [15]). Quin iisdem quoque Regiis Literis, (die 6 Febr. anni 1730 datis) mandatum fuit, ut 6 illi oboli monetae argent. (6 öre S:mt.), quos inscribendum Scholae Aboënsi Cathedrali quemque pendere puerum oportet [16]), in usum Bibliothecae nostrae cederent; quod jus cum vindicare Bibliothecarius Senatusque Acad. neglexissent, reprehensionem Regiae Camerae Revisionis non effugerunt [17]). Tenues hos reditus, Scholae quidem Cathedrali, ut maxime ipsi necessarios, Rectores ejus asserere conati sunt, Consistorio quoque Ec-

---

[13]) Regium Decretum d. 17 Aug. a. 1727 datum. Litt. Consist. Ac. ad. Illustr. Cancellar. d. 18 Apr. a. 1728. Cfr. postul. citt.

[14]) Ad munera videlicet promoti, Bibliothecae pendere debent Episcopi 12, Archi-Praepositi 4, Praepositi 3, Rectores Scholarum, Lectores, Pastores et paroeciarum et Legionum 2, Sacellani majorum Ecclesiarum 1 cum dimidio, minorum 1 Thaler. monetae argent. Ex libraria praeterea cujusque Praepositi et Pastoris demortui supellectili, mitti debet bonus liber; et sacris initiatus ordinibus quisque augere Bibliothecam debet 1 Thalero mon. arg.

[15]) Prott. Consist. Ac. a. 1728 d. 11 Maji, et a. 1729 d. 3 Nov. Litt. Consist. Ac. ad Ill. Cancell. datae d. 22 Nov. a. 1729. Decretum Regium dat. die 6 Febr. a. 1730.

[16]) Ex praescripto Novae Ordinantiae Gymnasticae et Scholasticae (Nya Gymn. och Schole-Ordn.) Cap. V § 3.

[17]) Prott. Consist. Ac. d. 8 et 15 Nov. a. 1740. Litt. Regiae Camerae Revisionis ej. a. d. 6 Oct. datae.

clesiastico illis favente [18]); sed nihil mutare Sacrae Regiae placuit Majestati [19]). Ex parvis his rivulis, (et quos supra § XI p. 42, indicavimus), omnes hactenus stati Bibliothecae nostrae reditus confluxerunt (de quibus infra accuratius et ex instituto), ex summa sua inopia et paupertate, rei nostrae Academicae literisque molestissima, nisi efficaciore liberalioreque publica suffulciatur ope, haud facile eluctaturae.

§ XIX.

Ne autem his etiam exiguis Bibliotheca, ut superioribus annis, defraudaretur reditibus, laudabili et Senatus Academici et Bibliothecarii prospectum est diligentia. Decreverunt itaque Academici, ut nemo posthac musis nostris initiandus, plena quam Literae praescribunt Regiae, pecuniae summa Bibliothecae pendenda, quod hactenus saepe factum fuerat, exsolveretur [1]). Monente etiam Rev. Episcopo et Pro-Cancellario [2]), jussit Ill. Cancellarius cistam

---

[18]) Prott. Consist. A. a. 1740 d. 11 Dec. a. 1741 d. 10 Febr. 4 Apr. et 19 Maji. Litt. Ill. Cancell. ad Consist. Acad. d. 14 Nov. a. 1755.

[19]) Litt. Reg. ad Cons. Eccl. Ab. d. 6 Apr. a. 1756, et Litt. Ill. Cancell. ad Consist. Ac. d. 4 Jun. ej. a.

[1]) Prot. Consist. Ac. a. 1726 d. 16 Jun.

[2]) D. D. *Herm. Witte,* qui ob motam sibi de privilegio imprimendorum librorum Fennicorum litem, minus placido hoc fecisse in Senatum Acad. et imprimis Dn. Bibliothecarium, animo videtur. Itaque defendit fidem administrationis suae, post reditum musarum nostrarum in Fenniam, Senatus Ac. egregie. Tres claves cistae, in qua asservanda esset pecunia Bibliothecae, fieri Dn. Episcopus voluit, earumque duas aut sibi aut duobus e numero Professorum tradi, et pecuniam omnem mox, ut reditura esset, in illam inferendam; sed Rectori merito hanc curam injunxit Ill. Cancellarius. Hoc autem ex hac lite commodi ortum est, quod nulla posthac talis metuenda fuit, qualis circa initium hujus seculi, licentia, cujus omnis etiam suspicio periculi sublata. Cfr. Litt. Ill. Cancell. a. 1723 d. 27 Maji, cui adjecta ipsa erant monita D:ni Episcopi. Prott. d. 11 Jun. et 11 Nov. ej. a. Litt. Ill. Cancell. d. 11 Dec. a. 1724. Litt. Consist. ad eund. d. 18 Jan. a. 1725 et Prot. ej. d.

confici, in aerario Acad. asservandam, duabusque aperiendam clavibus, quarum unam Rector Academiae, alteram Bibliothecarius custodire debuit; in qua bis quotannis, pecuniam Bibliothecae redientem, recondere Bibliothecarium oportuit, non nisi utroque conscio erogandam; rationes quoque ejus Rectori sua fide firmare injunctum, quae a Quaestore et Senatu Acad. examinatae, Regiae tanden Revisionis Camerae acri subjiciebantur censurae [3]). Qui modus Bibliothecae pecuniam administrandi accurate servatus est, donec totius sic dicti Status Academici ratione immutata emendataque, horum, ut et reliquorum Academiae redituum cura in Camerarium Academiae tota transferretur [4]). Eadem industria fideque, quae collecta fuit pecunia, libris partim novis coëmendis, partim cum Stockholmiae tum hic Aboae distractarum Bibliothecarum fragminibus excipiendis impensa est [5]), quibus sensim et facie laetior et usu fructuosior evasit, multum licet adhuc ab eo remota splendore librorumque praestantium copia, quae justis musarum nostrarum satisfaceret desideriis.

§ XX.

Quod autem situs humilis aedium, in quibus hactenus Bibliotheca Academica asservata fuerat, et aëris humiditas inde exsistens, libris plurimum nocuerat [1]); necessarium

[3]) Cfr. l. l. mox citt. et citanda.

[4]) Cfr. Cel. Dn. BILMARK *Hist. Acad. Aboënsis,* P. II. § VI p. 30 sq.

[5]) Libros emtos reperimus ex Bibliothecis Rev. D:ni D. *Iser,* (Litt. Senatus Ac. ad Dn. *Björklund* d. 9 Oct, et 1 Dec. a. 1725) Generos. Tribuni *Gyllengrip,* (Litt. Consist. Acad. ad Secret. Regium D. Bar. *Lillie* d. 3 Febr. a. 1737 et ad Dn. *Joh. Welin* die 26 Maji a. 1737) Celeberrimor. Professorum D:ni *Haartman,* Prot. Consist. Acad. d. 20 Aug. a. 1735 (cfr. Prot. d. 26 Apr. a. 1738) et D:ni *Björklund,* Prot. d. 10 Febr. a. 1747. Cfr. praeterea Prot. d. 27 Febr. a. 1725 et d. 15 Octob. a. 1726.

[1]) Cfr. supra § IV pag. 18 et § VIII p. 34, not [5]), Prot. Consist. Acad. d. 4 Apr. a. 1737. In Litteris itaque ad Illustr.

tandem, summo sane merito visum fuit, ut gravi huic incommodo, novis exstruendis aedibus, quantocius subveniretur [2]). Favit huic consilio, quod vicinum erat pristino Bibliothecae atrio Campanarium vetus Templi Cathedralis, inutile jam et aerario ejus oneri potius quam commodo. Hoc igitur, modica impensa pauperisque Academiae opibus accommodata huic usui aptandum, ut Academici a Concilio quod res Templi Cathedralis curat (Domkyrko-Rådet) peterent, Professores qui in Consistorio suffragia ferebant Ecclesiastico, auctores erant. Quo consilio probato, cum Gubernatore quoque Provinciae Aboënsis Generosissimo literis Patres egerunt, ut sua apud Senatum Urbicum commendatione et auctoritate interposita, rem adjuvaret [3]). Mole igitur illa vetere impetrata [4]), ab Architecto diligenter inspiciendam et una cum adjacente Bibliothecae camera delineandam, addita etiam novi quod meditabantur aedificii designatione, Academici curabant: quas figuras, cum totius consilii sui ratione diligenter explicata, ad Illustriss. Aca-

---

Dn. Cancellarium d. 2 Febr. a. 1738 datis, merito conqueritur senatus Acad. „huru ſom denne Academiens Bibliotheque af långliga tiber tillbaka warit och ännu är, uti ett hwalf wid Domkyrkan, myckét illa logeradt, i ſå måtto at böckerne til band och eljeſt tagit myckén ſkada af fuktighet, ehuru man ſådant beſlitat ſig om at förekomma; til at förtiga den olägenhet, hwilken dem uti et ſå fuktigt rum möter, ſom hafwa nödigt af Bibliothequet ſig at betjena."

[2]) Anno jam 1726 in deliberationem venerat, utrum aedes Bibliothecae libris servandis essent idoneae; sed ea quidem tempestate, furno ferreo parando et pavimento altius tollendo, incommodis posse obviam iri, Academici putabant. Prot. Consist. Acad. d. 4 Maji 1726. Repetitae querelae, de damno libris ex humiditate aëris in atrio depressiore, enato, consilium tandem de novis aedibus exstruendis extorsere. Vid. Protoc. Consist. Acad. d. 18 Jan. a. 1735.

[3]) Prot. Consist. Ac. d. 3 Jan. a. 1735, et Literae Senat. Ac. ad. Gen. Maj. et Gubern. Dn. Bar. *Uxkull* d. 12 Jan. ej. a.

[4]) Erant tamen primum qui proponerent, ut supra Sacrarium Templi Cathedralis (Sakerſtian) potius aedes novae, Bibliothecae cessurae, exstruerentur. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 12 Sept. a. 1735.

demiae Cancellarium transmiserunt, rogantes ut illud auctoritate sua vellet confirmare; materiam interim ad aedificandum necessariam, comparantes [5]). Approbatione muniti Maecenatis sui [6]), opus strenue aggressi sunt, cujus peculiarem suscepit curam D. M. *Nicolaus Hasselbom,* Matheseos Professor, tantaque maturabant industria, ut aestate proxima anni 1738, aedes fere usui paratae essent [7]), cum, gravi ex improviso calamitate incidente, labor impensaque omnis in fumum subito abiret. Fulmine videlicet turris Templi Cathedralis die 18 septembris vesperi fuit incensa; quo incendio non tectum modo templi conflagravit, sed novae etiam Bibliothecae aedes, cum proxima iis Schola Cathedrali, intra duarum horarum spatium haustae sunt. Nimia Templi Cathedralis vicinia etiam nunc aedibus Bibliothecae nocuit; turris enim collapsa, non tantum ruina sua tectum novi aedificii confregit, sed incendio quoque suo involvit. Insigni rei Academicae fortuna, nondum in novas aedes libri transferri potuerant, sed in Auditorio Maximo asservabantur, quo fervente aedificationis opere perlati fuerant; postea in Auditorio Mathematico, donec pro-

[5]) Prot. Consist. Ac. d. 17 Jan. a. 1738, et Litt. ad Ill. Cancellarium d. 2 Febr. ej. a.

[6]) Litt. Ill. Cancellarii d. 10 Mart. a. 1738, et Litt. Senatus Acad. responsoriae d. 23 Mart. ej. a.

[7]) Veteris Campanarii, tribus tabulatis constantis, altitudine paullum imminuta, forniceque ejus sive infima contignatione, Templi Cathedralis usibus relicta, super hanc et adjacentes ei pristinas Bibliothecae aedes atria duo exstructa sunt, laeta satis, angulum tamen, situ id loci postulante, inter se efficientia, exiguo interjecto vestibulo, in quod gradus e vicina assurgebant platea, quam fenestrae etiam spectabant omnes, nimia vicinia Templi Cathedralis, a cujus turris substructione, oppositus paries angusta via separabatur, lumini ab ea parte officiente. Ad eandem hanc ideam hodiernae etiam deinde aedes exstructae sunt; nec muro tantum solido, sed tecto etjam interiore coctis lateribus quadratis constrato (Brandtaf) contra ignis vim, simileque illi quod priores expertae sunt, periculum, quoad fieri potuit, munitae fuerunt. Cfr. Literae Senatus Acad. ad Ill. Cancellarium d. 2 Febr. a. 1738.

prias sedes repetere licuit, hospitabantur [8]). Interim domicilio certo aptoque Bibliotheca jam carebat, opes tenues Academiae exhaustae erant, nullaque affulgebat spes has angustias, nisi publicae munificentiae beneficio eluctandi. Itaque Illustr. Cancellarium suum Academici supplices adierunt, ut commendatione sua apud S. Regiam Majestatem, rebus musarum nostrarum afflictis subsidia pararet, petentes [9]). Rem ille benigne suscepit; quae cessit feliciter adeo, ut dono 2000 Thalerorum monetae argenteae, ab Ordinibus Regni sublevarentur [10]). Hoc successu erecti, animum ad aedificationem rursus Academici applicuerunt, materiam compararunt, opus urserunt, ita ut tandem, circa finem anni 1741, novis Bibliotheca inferri posset sedibus [11]), quas hodieque occupat. Satis quidem in illis hactenus laxe atque commode habitavit; si vero uberiora, quod speramus, capere pergit incrementa, brevi angustiores videbuntur. Viciniam praeterea turris Templi Cathedralis vehementer timendam esse, tristis docuit experientia [12]). Gravi etiam et utentibus et praefectis est incommodo, quod nullum adsit

---

[8]) Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 21 Sept. a. 1738. Prot. Consist. Ac. d. 28 Jun. et 2 Sept. ej. a.

[9]) Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 21 et 28 Sept. a. 1738. Insumtum fuerat in hanc infelicem aedificationem, et quod ex concessis a. 1727 ab Ordinibus Regni, in aedium Academicar. ab hostibus male habitarum reparationem, 1000 Thaleris monetae arg. superfuit, et quod ex ordinariis fisci Acad. reditibus, aliisque nonnullis subsidiis fortuitis confici potuerat. Cfr. Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 23 Mart. a. 1738. Prot. C. Ac. d. 22 Mart. ej. a.

[10]) Praeterquam quod ex silvis publicis, omnis qua opus fuit materia lignea gratis concederetur. Litt. Ill. Cancellarii d. 16 Febr. a. 1739. Cfr. Litt. Senatus Ac. ad. Ill. Cancellarium d. 2 Jan. ej. a.

[11]) Prot. Consist. Ac. d. 15 Nov. a, 1738 et d. 15 Febr. a. 1742. Vetus atrium Bibliothecae postea Scholae Palaestricae usui concessum fuit, conclavi exiguo excepto, quo pro aerario Academia utitur. Cfr. Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 5 Mart a. 1747, et Prot. C. Ac. d. 2 Dec. 1743.

[12]) Annorum 1681 (Cfr. supra § VII p. 33, not. [18]) et 1738.

conclave asperis nostris hiemibus calefaciendum; cujus penuria, vel sanitatis, vel studiorum, vel librorum damno jam est redimenda.

§ XXI.

Vix autem in novas aedes Bibliotheca publica immigraverat, cum novis procellis exorientibus novisque imminentibus periculis, emigrandum illi rursus, solumque adeo vertendum fuit. Bellum videlicet infaustum, cum Russis circa haec tempora susceptum, cum infeliciter adeo administraretur, ut ab hostium vi major indies metus ingrueret, timendumque videretur ne totam brevi Finlandiam inundarent, de Bibliotheca Academica conservanda atque in tutiorem locum transportanda, Patres Academici consilia inire coeperunt. Itaque non cistas modo quibus, si opus foret, condi libri possent, parari curarunt, sed et crescente magis magisque metu, iis eosdem includi [1]); atque cum in tanta civium multitudine qui se suaque in tutiora loca transferre parabant, navium penuria esse metuenda videretur, ad Illustr. Academiae Cancellarium scripserunt, ut publica aliqua navis, si necessitas postularet, ad penum Academiae librarium in Sveciam transportandam, quod et in superioris fugae calamitate contigerat, sibi concederetur [2]). Mox etiam tristis docuit eventus, metum Academicorum curamque intempestivam aut vanam non fuisse. Itaque Stockholmiam tota supellex nostra libraria iterum transvecta fuit [3]). Foeda autem tempestate, singulari Numinis beneficio, mox cessante, salva rursus ad pristinas sedes Bibliotheca Academica, cum Patrum civiumque integro coetu rediit, laetioribusque deinceps fatis, Divina in Patriam nostram beneficentia, usa est.

[1]) Prot. Consist. Ac. d. 10 et 26 Maji, nec non d. 12 Jun. a. 1742.

[2]) Prot. Cons. Acad. d. 26 Jun. a. 1742, et Litt. ad Ill. Cancellarium eodem die datae.

[3]) Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 3 et 14 Julii a. 1742.

§ XXII.

Rebus Academiae in consuetum coactis alveum, et tranquille ad votum fluentibus, facultas nata fuit Patribus, curam de augendo sensim publico suo sapientiae thesauro, feliciter continuandi. Pro redituum itaque tenuitate, praestantium numero librorum egregie crevit. Inprimis opportunitate itineris, quod apud exteros agebat Dn. M. *Carolus Abrahamus Clewberg*, designatus Linguar. S. S. Professor, peritus ipse librorum judex et conquisitor, ad Bibliothecam insigni accessione ornandam Academici usi sunt [1]). Sed interea e vivis excesserat meritissimus ejus hactenus Praefectus D. M. *Andreas Pryss* [2]), qui a Professorio munere vacationem nactus, Bibliothecae tamen curam retinuerat. Hanc postea, donec successor seni mortuo esset datus, administrandam suscepit, qui et aegrotante D:no *Pryss* eam jam aliquamdiu gesserat, Dn. D. *Hermannus Dietericus Spöring*, Medicinae Professor et Academiae eo tempore Rector; verum ipse gravi non multo post implicitus morbo, praemature vitam cum morte commutavit [3]). Novus itaque mox Bibliothecarius constituendus fuit. Sancitum autem fuerat in nova lege redituum Academiae disponendorum [4]), Ordinum Regni suffragiis et Regia confirmatione munita, ut Bibliothecae administratio posthac semper Philosophiae Professori primo, s. gesti muneris aetate maximo, committeretur, qui curam alicujus Paroeciae, illarum quibus ut Pastores praesunt nonnulli Academici (Praebende-pastorater), non suscepisset; cui, in aucti laboris mercedem L tantum thalerorum monetae arg. auctum stipendium annuum, assignatum fuit, e *C*L illis qui ad Bibliothecarium, vi primae

[1]) Prot. Consist. Ac. a. 10 Febr. a. 1747. Litt. Senatus Ac. ad D. Prof. *Clewberg* d. 10 Febr. et 20 Jun. ej. a.

[2]) Die 21 Oct. a. 1746.

[3]) Prot. Consist. Ac. d. 16 Febr. a. 1747, Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 20 Junii a. ej. et Prot. C. Ac. d. 17 Mart. a. 1748.

[4]) Åbo Academies Stat af den 22 Sept. år 1743.

institutionis pertinuerant [5]). Ordine itaque ad Dn. M. *Algothum Scarin*, Historiarum et Philos. Practicae Professorem, devoluto, Senatu Acad. commendante [6]), ille Diplomate ill. Cancellarii huic curae praeficitur [7]). Quamobrem ut conditio Bibliothecae, suae fidei committendae, diligenter antea examinaretur, a Senatu Academico petiit; quod negotium Dn. M. *Carolo Friderico Mennander*, Scientiae Naturalis, et Dn. M. *Carolo Mesterton*, Logices atque Metaphysices, Professoribus mandatur [8]). Itaque initio mox anni sequentis, die 23 Januarii, in aedes Bibliothecae convenientes, accuratum quidem ob tempestatem incommodam, librorum omnium recensum instituere non tum potuerunt, sed obiter tamen atque pro usu praesenti, lustrarunt. Questus est hac occasione novus Bibliothecarius graviter, ut saepe alias [9]), quod a praedecessore suo concinnatus sibique relictus non esset Librorum Catalogus qualem Constitutiones Academicae postulant, secundum disciplinarum ordinem accurate dispositus, qualem jussu Illustr. Senatoris et Comitis *Falkenberg* conficere coeperant D. D. Professores *Bröms* et *Ross* [10]), qualemque ad normam Catalogi Bibliothecae Thuanae concinnandi sociam ipse operam obtulerat [11]). Indicem etiam Auctorum Alphabeticum desiderari monuit; unico tantum, eoque parum commodo Catalogo, de quo supra § XVII p. 64 diximus, utriusque jam generis vicem male gerente. De *Indicibus* autem sic dictis *Realibus* inprimis laboravit; eorumque commode conficiendorum spe-

---

[5]) Cfr. supra § V p. 20.

[6]) Prot. Consist. Ac. d. 20 Jun. a. 1747, et Litt. Senatus Ac. ad Ill. Cancellarium d. 20 Jun. et d. 21 Sept. ej. a.

[7]) Litt. Ill. Cancellarii ad Senat. Acad. d. 21 Oct. a. 1747.

[8]) Prot. Consist. Ac. d. 19 Dec. a. 1747.

[9]) Prott. Consist. Ac. d. 16 Mart. et 20 Jun. a. 1747; d. 17 Mart. et 15 Dec. a. 1748, d. 25 Mart. a. 1751. Cfr. Prot. d. 15 Apr. a. 1751.

[10]) Cfr. supra § XI p. 51.

[11]) Cfr. supra § XVII p. 64. Adde Prot. Consist. Ac. d. 17 Sept. a. 1746.

cimen ostendit [12]), quod, ut et alia quaedam Bibliothecarii consilia, delegati probabant. Itaque sparsa nonnulla, ad

[12]) Quale etiam anno sequente (Vid. Prot. Consist. Ac. d. 31 Maji a. 1749) Senatui ostendit Academico, quo illud commendante, illustr. quoque Cancellarii meruit approbationem. Litt. ill. Cancellarii d. 13 Jun. a. 1749. Tribus autem voluminibus hunc Catalogum constare voluit; uno libros in folio (quod vocant), altero 4:tae formae, tertio 8:vae et minoris, complectente; posterioribus autem his II voluminibus 4:tam formam dedit, incommodo consilio, quod minorum librorum longe major est multitudo. Hos porro Catalogos ea ratione censuit concinnandos, ut novis libris accedentibus, suis quique locis commode possent inscribi; itaque plagulis e sede sua facile eximendis, novasque inter se porro admittentibus, confici voluit. Neque negare potest, commodam hoc consilio rationem institui, integras Bibliothecae in quovis disciplinarum genere opes distincte semper spectandas sistendi. Verum quod simul ursit, ut eodem etiam ordine libri in Bibliotheca collocarentur, minus placet; novis enim accedentibus voluminibus, subinde ordo Bibliothecae, perpetuo labore, mutandus esset; et ubi certi, perpetui, suisque numeris signati loci singulis libris non tribuuntur, repertu saepe erunt difficiles. Alphabeticus index nullum alium praestat usum, quam ut doceat librum in Bibliotheca haberi; locum ejus exacte indicare nequit. Realis ope Catalogi librum investigare, molesti saepe laboris est, dubiumque haud raro manet, ad quam classem et cohortem referendus sit relatusve fuerit, quod frequenter a judicio et arbitrio conficientis indicem, diverso ab ejus qui librum quaerit sensu, plurimum pendet. Nisi peculiare praeterea conditum fuerit Bibliothecae *Inventarium*, hujusmodi Reales Catalogi opes ejus haud praestabunt a dispereundi periculo legitime tutas; ad istius vero Inventarii ductum libri si collocentur, locum suum perpetuo servaturi, et facillimo negotio recensus Bibliothecae, quoties opus fuerit, institui potest, et Alphabetico Indice locum cujusque indigitante, libri promte investigari; potest etiam ligaturae diversae et externae speciei in libris collocandis ratio aliqua commode haberi, quoniam in publica ordinanda Bibliotheca, nec quid oculis magis placeat, negligendum prorsus esse videtur. Series autem librorum systematica et in quaque disciplinarum parte copia, cum ex Indice reali optime queat percipi, opus non est, ut eodem etiam ordine sint in Bibliotheca collocati. Caeterum supersunt hi a D:no *Scarin* inchoati Catalogi, in quos ipse partim, partim vicarii Bibliothecarii D:ni *Haartman* et *Hylleen*, ipso Bibliothecae curam gerente, libros sensim accedentes retulerunt. Ad totam vero Biblio-

fata Bibliothecae ejusque superiorem administrationem pertinentia compingi scripta atque documenta [13]) jubebant, Dissertationes Academicas hic Aboae editas, quarum paucissimis Bibliotheca gaudebat, diligenter colligi atque conservari, librum e charta pura commodum confici, in quo volumina Professoribus mutuo data atque ab iis restituta accurate annotari deberent, instrumentum vel signum (Stämpel) comparari pro idonea libris Bibliothecae deinceps accessuris nota imprimenda [14]) etc. Librorum intra patriam

thecam, hujusmodi Catalogorum conficiendorum consilium, extendere se velle quod saepe dixit, illud effectu caruit; non enim adornatus est ad hanc rationem Index ille Realis, (de quo mox), quem condidit Dn. *Haartman;* itaque nec plane sibi satisfacere significavit Dn. *Scarin,* sed aliis praeterea ad suam ideam concinnatis opus esse. Prot. Consist. Ac. d. 9 Jul. a. 1756. Nescio autem cur ad hanc mox rationem, quam sc. meliorem judicavit, adornari laborem D:ni *Haartman* non curaret; haud enim sane hic illum latuit. Postea nonnisi Catalogis his D:ni *Scarin* pro annotandis libris recentius comparatis Bibliotheca gavisa est; in quos postquam libros qui ad tempus absoluti novissimi recensus Bibliothecae, d. 29 Oct. a. 1773, ad Bibliothecam sensim accesserant omnes inscripsissem, paginasque suis numeris singulas signassem, filum per folia ductum atque sigillo Academiae munitum fuit; consilio capto his deinceps non utendi. Qui ante administrationem Bibliothecae a D:no *Scarin* susceptam, ad penum Academiae librarium pertinuerant libri, et ad *Pryssiani* Catalogi seriem in minori Bibliothecae atrio erant collocati, iis suo manere loco immotis permisit; sensim accedentibus voluminibus, in majus atrium translatis.

[13]) Decretum etiam fuit, ut ex Protocollis Senatus Ac. et Literarum vel Regiarum, vel quas ad Senatum Ac. dederunt Ill. Cancellarii, voluminibus, Amanuensis Consistorii Acad. ea transscriberet, in Bibliothecae usum asservanda, quae ad ejus res atque administrationem pertinerent; et adprobavit hoc consilium Senatus Acad. (Prot. d. 17 Mart. a. 1748), sed perfectum non fuit.

[14]) De hujus instituti usu jam ante monuerat Dn. *Scarin,* Prot. Consist. Ac. d. 19 Dec. a. 1747. Cura rei sibi commissa, tria hujusmodi instrumenta aurichalchina Bibliothecae comparavit, pro signandis majoris minorisve formae voluminibus, conspiciendam praebentia *Lyram Apollinis,* adjecta epigraphe: *Otium Sapientis.* Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 6 Aug. a. 1748 et Acta

typis excusorum paucis Bibliothecam ditatam fuisse, deprehensum est; aedes ipsas a Russorum dominatione parum damni cepisse [15]), etc. His omnibus Senatui deinde Acad. expositis, sua ille auctoritate Delegatorum acta confirmavit, duobusque supra indicatis Catalogis tertium etiam adjiciendum esse censuit, in quo libri quique unde, quando et quo pretio ad Bibliothecam accesserint, annotaretur [16]). Salubri quoque consilio et Bibliothecariis commodissimo, hac occasione Patres decreverunt, ut cura pecuniae quae ad Bibliothecam redit Academicam colligendae et asservandae, rationumque accepti et expensi conficiendarum, posthac omnis ad Camerarium Academiae, cujus fidei tota est commissa reliqua rei Musarum nostrarum pecuniariae ratio, deferretur [17]). Ita enim magnarum multarumque difficultatum, molestiarum et turbarum materia sublata fuit [18]). Autumno deinde proximo, iidem delegati, quam initio anni inchoaverant thesaurum Academiae librarium recensendi operam accuratius et ex instituto continuabant, singula ad ductum Catalogorum examinantes volumina, laesa annotabant, atque quantum fieri posset reparanda decernebant [19]), eorundem librorum altera et tertia exempla vendenda [20]),

recensionis Bibliothecae accuratioris ej. a. Postea tria nova hujusmodi signa, (Stämpfar) eandem figuram verbaque eadem exprimentia, dono Bibliothecae transmisit Ill. Musarum nostrarum Maecenas, Regis Regnique Senator etc. Dn. Comes *Tessin*, quibus adhuc utimur. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 28 Jul. a. 1761.

[15]) In minori Bibliothecae atrio hactenus omnibus libris satis fuerat spatii; cujus pavimento nocuerant Russi. qui pro horreo ad salsamenta servanda usi fuerant; sed leve damnum erat.

[16]) Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 17 Mart. a. 1748. et Acta ipsa hujus recensus Bibliothecae, ibi integra legenda.

[17]) Cfr. supra § XIX p. 69, qui locus hinc explicandus.

[18]) Cfr. supra § XI et Prot. Consist. Ac. innumeris fere locis.

[19]) Quod superioris fugae tempore damnum ceperant, nondum reparatum fuerat. Cfr. supra § XVII. et Acta ipsa posterioris hujus recens. Bibliothecae.

[20]) Adeo quidem rigide in hoc negotio versati sunt, ut quasdam etiam diversas editiones librorum, minoris pretii aut

incompleta autem opera supplenda sciscebant. Nullam librorum, post recensionem Bibliothecae proximam (cfr. supra § XVII), eandem passam fuisse jacturam, liquido constitit[21]). Haec etiam delegatorum acta, in Senatu Acad. postmodum recitata, approbationem ejus confirmationemque meruerunt[22]); plenamque jam Bibliothecarius suscepit hujus provinciae suae administrationem [23]).

§ XXIII.

Non multo post, qui Amanuensis sive vic. Bibliothecarii partes hactenus sustinuerat Dn. M. *Andreas Pryss*, hac decedens statione [1]), successorem habuit Dn. M. *Jacobum Haartman*, Episcopum jam Aboensis Dioeceseos Reverendiss. Academiaeque nostrae Pro-Cancellarium, qui diligenter atque accurate eandem per V annos spartam ornavit [2]). Ejus labore atque industria concinnatus tandem fuit desideratus toties Index librorum Bibliothecae plenus atque accuratus, secundum seriem disciplinarum formarumque, aetatem denique auctorum et editionum diligenter dispositus; e quo tuto simul cognoscere licet, quibus eo tempore Bibliotheca gauderet opibus, quibusque adeo, post *Pryssianum* Catalo-

momenti, ejiciendas judicarent. Sed adhuc divenditi superflui hi libri non sunt, e quibus venditis nec magna pecunia speranda est. Tantam autem si adhibere delegati voluissent severitatem, quantam inculcabant Literae Ill. Cancellarii Comitis *Falkenberg* (cfr. supra § XI, p. 47.), magna pars librorum superiori seculo et ante restauratam Academiam partorum, ejicienda fuisset; itaque donec meliorum copia ampliore ditata fuisset Bibliotheca, hos retinendos censuerunt. Cfr. supra §. XI, not. (24), p. 48.

[21]) Vid. Acta Recens. Biblioth. a. 1748, d. 6 Oct. seqq. institutae.

[22]) Prot. Consist. Acad. d. 15 Dec. a. 1748.

[23]) Juramentum tamen Bibliothecarii non praestitit nisi biennio demum serius. Prot. Consist. Ac. d. 13 Sept. a. 1750.

[1]) Postquam Conrector fuisset constitutus Scholae Cathedralis Aboënsis. Prot. Consist. Ac. d. 28 Augusti a. 1750.

[2]) Prott. Consist. Ac. d. 28 Aug. et 13 Sept. a. 1750; nec non d. 13 Sept. a. 1755. Cfr. Prot. d. 9 Jul. a. 1756.

gum confectum, creverit auctibus [3]). Merito itaque hic labor Senatui Academico, quo susceptus fuerat auctore, probabatur [4]). D:no *Haartman* a. MDCCLV de hac statione decedente, suffectus est ejus in locum Dn. M. *Henricus Hylleen* [5]), *Log. et Mataph. Docens*, qui eundem per IX annos occupavit. Ipse Dn. *Scarin*, aetatis ingravescentis pressus pondere, laborumque in juventute Academica assidue instituenda exhaustorum requiem tandem desiderans, vacationem utriusque muneris sui a. MDCCLXI a. S. Regia Majestate petiit, votique compos factus, ac Consiliarii etiam R. Cancellariae dignitate clementissime auctus [6]), reliquam aetatem sibi vixit.

---

[3]) Superiorum praeterea Catalogorum correctis vitiis, librorum tituli plene et diligenter exhibentur, tabulae aeneae et effigies adjectae numerantur etc. Ad *Thuanae Bibliothecae* rationem serviliter non est conformatus, sed pro nostrae usu Bibliothecae, commodiori adornatus consilio, classium ordinumque et coarctata et emendata distributione. Verum quod captum simul fuerat consilium, ut ad ejusdem indicis ductum libri quoque ipsi in pluteis collocarentur (cfr. supra §. XXII. not. 12) p. 76 sq.), illud hoc peperit incommodi, ut quoties temere olim plures in unum codicem compacti essent tractatus, diversi saepe argumenti, hi non nisi uno illo loco ad quem primus tractatus pertineret, recenserentur, adeoque aliqui in vera materiae suae sede frustra quaesiti, in aliena seriem systematicam interrumpant. Sed videlicet opus est, praeter *realem* hunc Catalogum, alio etiam *Inventario*, ad cujus seriem libri collocentur, ac ubi necesse fuerit, recognitio Bibliothecae commode instituatur. Vid. supra l. c.

[4]) Protoc. Consist. Acad. d. 13 Sept. a. 1755. Missum etiam exemplar ejus ad Cancellariam Regiam fuisse, docet Protoc. Consist. Acad. d. 9 Jul. a. 1756.

[5]) Placuit Senatui Ac. ut ille ad vices Secretarii Acad. gerendas, hac ope tum indigas, salarium tamen suum retinens transferretur, (quod et Illustr. Cancellario probabatur); nec multo post dignitate auctus fuit Professoris Extraordinarii Historiae Literariae. Itaque cessit prior sua sparta Dn. *Hylleen*, cui interim fuerat commissa. Prot. Cons. Ac. cit. Litterae Illustr. Cancellarii Acad. d. 16 Octobr. et Prot. Cons. Ac. d. 9 Dec. a. 1755.

[6]) Diplomate Regio d. 14 Sept. hujus anni dato. Stipendium etiam, quoad vixit, integrum ei concessum. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 1 Oct.

§ XXIV.

Nullum quidem vel per XIV hos annos, quibus ab illo res nostra libraria administrata erat Praefecto, vel postea etiam, consilium reperiri felix potuit, redituum unde amplianda ornandaque sit, valde tenuium augendorum [1]); sed hi tamen, diligenti prudentique adhibita cura, pulchre Bibliothecam locupletandi Patribus Acad. materiem pepererunt. Praeter libros recens editos undique coëmtos [2]), melior pars supellectilis literariae quam reliquerat vita decedens Dn. *Spöring*. Academiae comparata est [3]). Accessit quoque, ut

[1]) Cum de reditibus, qui ad Bibliothecam Acad. pertinerent, ut edoceretur postulasset Illustr. Cancellarius, huic suo obtemperantes mandato, ac ostendentes quam hi tenues essent, simul ut de ope aliqua iis paranda benignam foveret curam, rogabant. Litt. Senatus Ac. ad Illustr. Cancell. d. 16 Sept. a. 1746. et d. 20 Jun. 1747. Sed fructus hinc nullus provenit. Quod vero libri, ex librario penu quem Pastores Ecclesiarum Dioecesis Aboensis ex vita decedentes relinquebant, Bibliothecae nostrae debiti, partim negligentius traderentur, partim minoris essent usus, ac duplorum ac triplorum numerum frustra augerent; Senatu Acad. petente, Consistorium Ecclesiasticum literis ad Clerum datis huic persvasit, ut pretio dato, libros parandi curam Academicis permitterent, idque pretium locupletiorum Pastores paroeciarum 24 vel 30 thaleris cupreis numeratis solverent: sanxit praeterea, ut haec pecunia a Praepositis colligeretur, et ad Notarios Consistorii Eccl. transmitteretur. Quae ratio postea obtinuit. Litt. Cons. Acad. d. 31 Aug. et Respons. Cons. Eccles. d. 4 Octobr. a. 1758. Cfr. Prott. Cons. Ac. d. 17 Jan. a. 1751, d. 23 Mart. a. 1753, et d. 31 Oct. a. 1758.

[2]) Cum librorum ab exteris oris adportandorum pretium, vectigali pendendo (Consumtions-accisen), vehementer intenderetur, petentibus Academicis, Illustriss. Cancellarius a S. Regia Majestate nostris eandem ab hoc vectigali immunitatem obtinuit, quae Upsaliensibus jam antea, Litteris Regiis d. 3 Febr. a. 1748 datis, concessa fuerat. Cfr. Litt. Senat. Ac. ad Illustr. Cancellarium, d. 4 Apr. 1749; Litt. Regiae ad Cancellariam Regiam ac Collegg. Camer. et Commercior. d. 30 Maji 1749; et Litt. Illustr. Cancellarii ad Cons. Acad. d. 13 Jun. ej. a.

[3]) Pro libris his emendis, adjecta Collectione sua mineraum et conchyliorum, depensi sunt 1200 thaleri monetae cupreae. Prot. Consist. Ac. d. 21 Jun. 1749.

exemplo Serenissimae Reginae *Ludovicae Udalricae*, pro summo in musas favore, *Dactyliothecae Zanettianae* (Augusto Suo Nomini inscriptae) splendido munere librarium nostrum penum munifice augentis [4]), pulchro eum privata liberalitas studio complexa sit. Qui hoc tempore summae rei nostrae Academicae praefuit, faventissimus Maecenas, Illustriss. Regis Regnique Senator Dn. Comes *Carolus Gustavus Tessin*, non tenera modo gazae hujus literariae semper cura tangebatur [5]), sed elegantissimo quoque *Operum Q. Horatii Flacci*, aeneis tabulis incisorum exemplo, nitide compacto, ipse auxit [6]). Beneficentiam praeterea experta fuit Gubernatoris, ea tempestate, Ditionis Aboënsis et Björneburgensis, una cum Alandia, Praesidis jam R. quod rei Metallicae praeest Collegii, Illustr. Comitis Dn. *Johannis Georgii Lilienberg* [7]),

---

[4]) *Gemmae antiquae Ant. Mariae Zanetti. Antonius Franc. Gorius notis Latinis inlustravit; Italice illas notas reddidit Hieron. Franc. Zanettius. Venet.* 1750 Fol. c. Tabb. aen. LXXX. Exemplar splendide compactum. Cfr. Prot. Consist. Ac. d. 20 Aug. a. 1752.

[5]) Non modo edoceri cupiit de conditione Bibliothecae nostrae, ejusque reditibus, Catalogum librorum sibi mitti jussit, libros non nisi optimos emendos svasit, ac ut tenuis pecunia, usibus Bibliothecae destinata accurate colligeretur, (communicatis etiam cum Senatu Acad. Litteris Regiis d. 10 Mart. a. 1749 datis, Rectoribus hanc curam severe injungentibus) monuit, nec non ut magna in libris commodandis cautio et prudentia adhiberetur; sed consilio quoque et auctoritate ubique Senatui Acad. adfuit. Cum ex inspecto Catalogo Bibliothecae reperisset, librorum ad Scientiam Naturalem et Mathesin pertinentium inopia illam inprimis laborare, huic defectui ut quantocius mederetur, Academicos admonuit. Etc. Cfr. Litt. Illustr. Cancellarii d. 27 Jun. a. 1746, d. 21 Oct. a. 1747, d. 13 Jun. a. 1749, et d. 10 Dec. a. 1750.

[6]) Lond. 1733 et 1737 editor. opera *Jo. Pine*, Voll. II. 8:o maj. Litt. Illustr. Cancellarii d. 13 Maji a. 1754. Protoc. Cons. Acad. d. 11 Jun. ej. a.

[7]) Bibliothecae nostrae dono dedit *Itinerarii Motrayani* eleganter compacti, voll. II. (*Aubry de la Motraye's Travels through Europe, Asia, and into part of Africa. Lond. 1723 Fol.* Tabb. Geogr. et aen. LIV).

Nobilissimi R. ejusdem Collegii Assessoris Dn. *Emanuelis Swedenborg* [8]), Aedificiis Regiis Praefecti et R. Majestati a. Symphonia Summi (Hof-Intendent och Capellmäftare) Amplissimi D:ni *Johannis Helmich Roman*, ab stirpe oriundi Fennica [9]); Actoris illo tempore caussarum Militarium (Krigs-

[8]) Parte Operum suorum Theologicorum s. Apocalypticorum maxima, Bibliothecam nostram liberaliter auxit; quorum volumina VII, (nempe *Arcana caelestia, quae — sunt detecta — in Genesi, una cum mirabilibus quae visa sunt in mundo spirituum et in caelo angelorum*, Partes IV, 1749—1752, 4:o; et *Arcana Caelestia — in Exodo, una cum mirabilibus* etc. Partes III, 1753, 1754, 1756 4:o) cum Illustr. Cancellario Dn. Comiti Tessin huc mittenda tradidisset, suo aere munificentissimus Maecenas nitide compingenda curavit, antequam Aboam transmitterentur. Prot. Cons. Ac. d. 9 et 28 Jul. a. 1761. Accesserunt postea Bibliothecae Academicae mirabilium horum operum plures partes: *De nova Hierosolyma et ejus doctrina caelesti: ex auditis e caelo* etc. Lond. 1758, 4:o; *De caelo et ejus mirabilibus et de inferno, ex auditis et visis.* Ib. 1758, 4:o; *De telluribus in mundo nostro solari, quae vocantur Planetae: et de telluribus in caelo astrifero etc. ex auditis et visis.* Ib. 1758, 4:o; *De equo albo, de quo in Apocalypsi, Cap. XIX. Et dein de verbo et ejus sensu spirituali s. interno, ex arcanis caelestibus.* Ib. 1758, 4:o; *Sapientia Angelica de Divino amore et de Divina sapientia.* Amst. 1763, 4:o; *Doctrina novae Hierosolymae de Domino.* Ib. 1763, 4:o; *Doctrina vitae pro nova Hierosolyma ex praeceptis Decalogi.* Ib. 1763, 4:o; *Doctrina novae Hierosolymae de fide.* Ib. 1763, 4:o; *Continuatio de ultimo judicio et de mundo Spirituali.* Ib. 1763, 4:o; *Apocalypsis revelata* etc. Ib. 1764, 4:o; *Sapientia Angelica de Divina providentia.* Ib. 1764, 4:o; Item (praeter Opera Metallurgica Fol. et minores quosdam tractatus, 8:o) *Regnum animale, Anatomice, Physice et Philosophice perlustratum*, Partes III, Hagae Comit. 1744 et Lond. 1745, 4:o; et *De cultu et amore Dei* etc. Lond. 1745, 4:o. Ita ut non ubivis tam locupletem singularis Scriptoris operum collectionem reperias. Cfr. *Åminnelse-Tal öfver Assessoren — Em. Swedenborg — af Sam. Sandel.* Stockh. 1772, 8:o.

[9]) Musicorum modorum atque operum, (Musicalier), partim aeneis tabulis incisorum, partim calamo consignatorum, pulchram collectionem, dono Academiae nostrae misit, maximus sua aetate in patria Musicus. Cfr. de meritis ejus: *Åreminne öfver Hof-Intendenten — Herr Johan Helmich Roman, — Af Abr. M. Sahlstedt.* Stockh. 1767, 8:o Prot. Consist. Ac. d. 2 Nov. 1749.

Fiscal), jam vero Judicis Territorialis Helsingiae Borealis, Amplissimi atque Consultiss. D:ni *Svantonis Myrin* [10]); nec non Patroni caussarum apud summum quod hic Aboae sedet R. Dicasterium agendarum, Spectatissimi D:ni *Adolphi Jacobi Neuman* [11]). Librorum intra Patriam typis vulgatorum, partem quidem sensim transmissam esse reperimus; sed adeo tamen negligenter et parum accurate, ut non deesset larga Academicis querelarum materia [12]). Interim ex omnibus his fontibus tantum sensim confluxit librorum, maximam partem utilium atque etiam praestantium, ut publicae jam Bibliothecae honore, nec usu nec ornatu prorsus indigna, suppellex Academiae libraria censenda esset [13]).

§ XXV.

Oblata fuit decessione Cel. *Scarini* vacua Bibliothecae administrandae provincia, (ad normam legis supra commemoratae [1]) Professori in Facultate Philosophica primo; quo illam recusante, ac altero etiam abnuente, in se hanc recepit curam Dn. M. *Petrus Adrianus Gadd,* Chemiae Professor, ordine his proximus: ac Diplomate igitur Illustriss. Acad. Cancellarii confirmatorio, die XXVIII Jan. a. MDCCLXIII dato, munitus fuit [2]). Ut autem, cujus conditionis

---

[10]) Scriptis ad res maxime Svecicas illustrandas pertinentibus, ultra L, plerisque raris admodum *(numis* etiam praestantibus), Bibliothecam Acad. auxit. Prot. Cons. Ac. d. 7 Sept. 1751.

[11]) Libris ad Chemiam et Metallurgiam pertinentibus compluribus, Bibliothecam Acad. locupletavit. Protoc. Consist. Acad. d. 17 Sept. a. 1761.

[12]) Cfr. Protoc. Consist. Ac. d. 10 Aug. et 8 Dec. a. 1752.

[13]) Tertia fere parte aucto, intra XX annorum spatium, voluminum numero, minus Bibliothecae atrium, quod totam hactenus suppellectilem Acad. librariam ceperat, ei recipiendae jam non suffecit: itaque transtulit in alterum atrium Dn. *Scarin* libros omnes, qui se praefecto accesserant.

[1]) Cfr. supra §. XXII, p. 74 sq.

[2]) Protoc. Consist. Ac. d. 11 Nov. a. 1762, et d. 17 Mart. a63 Litt. Illustriss. Cancellarii d. 28 Jan. a. 1763.

quantique pretii esset thesaurus fidei suae committendus, pateret, mandatus fuit a Senatu Acad. illius percensendi labor D:no *Mesterton,* qui etiam ante annos XV sociam eidem peragendo praestiterat operam: quem quidem aggressus [3]), ultra tamen non continuavit, quam ut libris qui in primo servarentur Bibliothecae atrio, ad ductum *Pryssiani* Catalogi perlustratis, qui praesto non essent, diligenter notaret [4]). Ad accessionem temporis *Scariniani,* quae in altero atrio, secundum ordinem indiculorum novorum collocata erat, nescio quibus impeditus obstaculis, operam suam non extendit. Non diu autem spartam suam ornaverat novus Bibliothecarius, antequam alias muneris partes assiduam magis curam deposcere sentiens, quam ut sibi satis otii ad res Bibliothecae pro voto curandas superesset, Senatui Acad. significaret optare se, ut hanc curam in amicum suum Dn. *Hylleen,* qui et his studiis se totum dedisset multosque per annos Bibliothecae custodiendae operam navasset, et hoc laborum praemio fortunaeque adminiculo dignus esset, transferre sibi liceret; velle se annuum etiam illud stipendium L thalerorum, quod huic muneri adsignatum esset, illi concedere: spem se fovere, si res ad Illustriss. Cancellarium Acad. referretur, fore ut benigna sua commendatione apud S. Regiam Majestatem efficeret, ut officium Bibliothecae tuendae, quod aucta insigniter copia librorum, multo jam diligentiorem operosioremque curam postularet, a Professoria sparta, ut olim separatum, suo praefecto committeretur, eadem qua Professores dignitate, ut in reliquis patriae Academiis, ornato [5]). Non abnuit Senatus Acad. spe adductus stipendii tenuis Bibliothecario relicti, alio consilio augendi; ac rem Illustr. Cancellario demonstravit [6]), qui ad Regiam Majestatem retulit, eo successu, ut rata esse in perpetuum

[3]) Diebus 24 et 31 Oct. 3, 4, 7, 10 et 11 Nov. a. 1763.

[4]) Quorum adest index accuratus; plerique postea restituti: pauci desiderantur, nescio ubi inveniendi, aut a quo restituendi.

[5]) Cfr. Litt. Reg. d. 27 Jun. a. 1703 et d. 14 Oct. a. 1740.

[6]) Prot. Consist. Acad. d. 13 Dec. a. 1763.

juberetur: ita tamen, ut et hac occasione et postea semper, quoties novus Bibliothecarius constituendus esset, Cancellarius Acad. viros tres, huic muneri obeundo idoneos proponeret, ut ex illis eligendi quem probaret maxime, S. Regiae Majestati facultas esset; quae eadem ratio reliquis jam patriae Academiis scita erat [7]). Jussit igitur Illustr. Cancellarius (meritissimus de musis nostris Heros Regis Regnique Senator Dn. Comes *Claudius Ekeblad*), ut quos sua dignos commendatione Academici judicarent, indicarent sibi; quorum acceptis nominibus, tribusque eorum Regiae Majestatis electioni a se oblatis, demandata fuit haec cura, Illustriss. hoc Maecenate favente, D:no *Hylleen* [8]), eidem cui et antecessoris sui beneficentia et Academicorum vota destinaverant. Vacuum factum fuit, eodem fere tempore, Adjuncti in Facultate Philosophica munus. Hanc igitur arripientes occasionem, Patrum Academicorum plerique, commodam offerri putabant rationem perexigui quod Bibliothecario cesserat stipendii augendi, si Adjuncti, qui tot curis laboribusque statis, quot Professorum ordo, districtus non esset, officium, cum Bibliothecae praefectura conjungeretur; quo facto, ac C thalerorum salario, quo ille fruitur, Bibliothecario attributo, hic tantundem recuperaturus foret stipendii, quantum ei primitus assignatum fuerat [9]). Istam vero sententiam, cum ad Illustriss. Cancellarium perscripsissent, assensu ejus excepta non fuit; quod nec minui numerum Academicorum munerum pluresque in unum curas cumulari vellet, et hoc consilium cum rationibus superioris decreti minus consentire putaret. Potius igitur ex restitu-

[7]) Prot. Consist. Ac. d. 7 Maji a. 1764 Litt. Regiae ad Cancell. Acad. Aboëns. d. 21 Mart. a. 1764. Litt. Cancellarii ad Cons. Ac. d. 13 Apr. a. 1764. Cfr. Litt. Regiae ad Cancellarios Acadd. Ups. et Lund. d. 24 Apr. a. 1745.

[8]) Litt. Cancellarii d. 13 Apr. a. 1764. Juramentum Bibliothecarii praestitit locumque in Senatu Ac. obtinuit, sequente demum anno, Dn. *Hylleen*, missa quaestione de solenni ejus introductione mota. Cfr. Prot. Consist. Acad. d. 19 Mart. a. 1765.

[9]) Litt. Consist. Ac. ad Illustr. Cancellarium, d. 30 Oct. a. 1764. Cfr. Prot. Cons. Ac. ej. d.

torum nuper Academiae praediorum, per errorem aliquamdiu amissorum, fructibus, tantidem valoris, hoc C thalerorum annuum augmentum, stipendio Bibliothecarii esse comparandum censuit [10]): quos vero, cum reliquorum Academicorum salariis supplendis deberi, Consistorium Acad. pugnasset, caussamque tandem, Ordinum Regni suffragiis obtinuisset [11]); nullo hactenus incremento stipendiolum Bibliothecarii augeri potuit. Recepit Bibliothecam novus Praefectus, nulla illius publica intercedente recensione, custodiendam; quod ejus curandae per plures annos socius, conditionem ejusdem satis nosset. *Amanuensis* partes *mihi* mandatae sunt [12]); quibus per octennium vacavi. Praefuit Bibliothecae Acad. Dn. *Hylleen* ad a. MDCCLXX; quo pauperrimae stationis pertaesus, Illustr. Cancellario benefice commendante [13]), Pastor Ecclesiarum *Hollolensium* in Tavastia a Regia Majestate clementissime constitutus, musis Auraicis valedixit.

§ XXVI.

Brevi, quo rem nostram librariam Dn. *Gadd* curavit, tempore, crescere pulchre perrexit [1]). Quumque publicam Bibliothecam, (quae majoris molis, pretii ac splendoris operibus, librisque usus constantioris, aut minus obviis, inprimis censeri debeat), compendiis disciplinarum proponendarum, et lucubratiunculis facillime parabilibus, aut vita famaque ephemera florentibus, onerare turpe sit [2]), in nostra

[10]) Litt. Ill. Cancellarii d. 12 Dec. a. 1764.

[11]) Cfr. Cel. BILMARK *Hist. Acad. Aboënsis,* P. II, § VI, p. 32 et 35 sq.

[12]) Prot. Consist. Ac. d. 12 Oct. a. 1764.

[13]) Dedit hoc precibus Senatus Academici. Cfr. Prot. Consist. Ac. d 28 Jun. 6 et 18 Sept. a. 1770. Litt. Ill. Cancellarii d. 21 Jul. et Sept. ej a.

[1]) Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 1 Febr. a. 1762, et d. 22 Apr. atque 22 Oct. a. 1763.

[2]) Pecuniam his emendis consumere, quae utilioribus libris comparandis impendi debeat, atque in praestantiorum scriptorum penuria, hujusmodi abundare libellis, quibus, nisi eximiae sint

vero paupertate etiam stultum, quae vix libros in quovis literarum genere praestantissimos ac maxime necessarios sensim comparandi nobis copiam praebet; decrevere Patres Academici, (quod saepius Litterae Illustriss. Cancellariorum inculcaverant [3]), ut tenuis Bibliothecae pecunia non facile nisi scriptis majoribus carioribusque coëmendis impenderetur [4]): quod tamen sapiens consilium, uti non antea, ita nec postea, satis diligenter servatum fuit. De obtinendis scriptis intra patriae fines in lucem emissis, quod pro more, rarius et negligentius Academiae transmitterentur, Bibliothecario monente Senatus Acad. litteris apud Illustr. Cancellarium rursus egit: quo rem graviter urgente, severis Regiae Cancellariae Literis Typographis injunctum fuit singulis, ut ad normam edictorum superiorum, semestri quovis indices scriptorum a se impressorum quorumlibet accuratos conficerent, atque cum his una, imperata libri scriptive cujusque exempla bis quotannis, intra finem mensium Maji et Septembris, Archivi Regii curatoribus traderent: contumacibus, si vel alterutram neglexissent officii partem, mulcta 100 Thalerorum argent. constituta [5]). Neque tamen impediri potuit quo-

---

dignitatis, vix in ditissimis Bibliothecis locus conceditur, parum sane decet. Cujus enim Bibliothecae opes ad omnia scripta, etiam bona, sufficiunt coëmenda? Rarius autem obvia, quae pretio non carent, quorumque colligendorum privatis literarum amicis neque facultates neque occasio nisi parcissime contingunt, in publicis Bibliothecis merito quaeruntur; adeoque, ubi favet opportunitas, acquirenda sunt: ita tamen, ut praerogativae, voluminibus singularum disciplinarum primariis, pretiosioribus, primaeque necessitatis debitae, nulla hinc injuria confletur.

[3]) Cfr. supra § XI, not. [17]), et § XXIV not. [5]).

[4]) Qualia, privato cuique Academico, vel doctori vel juveni studioso, pro suo usu cuncta comparandi, vel facultas vel voluntas, rarius solet contingere. Decreverunt igitur Patres, ne liber novus 3 aut 4 thaleris Imperialibus vilior, facile emeretur. *Protoc. Consist. Acad.* d. 22 Apr. a. 1763.

[5]) Cfr. Prot. Consist. Acad. d. 17 Maji a. 1763, et d. 22 Dec. a. 1764. Litterae Regiae Cancellariae, d. 16 Febr. a. 1707 et d. 16 Nov. a. 1764 nec non Ordo et norma Typographis praescr. (Boftrycferi-Reglem.) d. 12 Aug. a. 1752. Art. 3 § 1.

minus Bibliotheca jacturam hoc nomine etiam postea sit passa; nisi diligentia curaque pertinaci et molestissima, commoda fere hinc speranda superante, exactissime vix cavendam.

§ XXVII.

Haud defrixit, quo Bibliothecae praefuit Dn. *Hylleen* sex annorum spatio, studium novis illam incrementis locupletandi. Quoniam igitur Bibliopola et peritia et opibus instructo debitis, gravissimo musarum nostrarum incommodo urbs careret, consilium ceperunt Academici, Bibliothecario suadente ac operam suam offerente, libros necessarios partim in Germania [1]), partim (quod felicius successit) in Batavia [2]), ad quas oras nostrarum urbium naves quotannis proficiscuntur, coëmendi; delectis quibuscum in illis locis rem sibi esse praecipue vellent. Eaque via Bibliothecae multa accesserunt praeclara volumina. E relicta praeterea egregia supellectili libraria b. Theologiae Professoris Dn. *Caroli Abrahami Clewberg*, pulcherrimo aucta fuit incremento [3]); quod longe etiam amplius futurum fuisset, aliquanto majore consilio curaque adhibitis. Liberalitatis autem privatae,

[1]) Prot. Consist. Ac. d. 19 Mart. 1765. d. 21 Mart. a. 1766 etc.

[2]) Prot. Consist. Ac. d. 21 Mart. a. 1766. Expertae sunt musae nostrae, in hoc adjuvando negotio, favorem singularem alumni quondam sui, Illustr. Liberi Baronis Dn. *Caroli Johannis Creutz*, Legati tum R. Svecici apud Ordines Foederati Belgii. Cujus adhuc fructu utimur.

[3]) Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 12 Nov. a. 1767. Catalogus Bibliothecae hujus Clewbergianae, typis expressus, quam merito totius acquirendae debuisset consilium iniri, satis docet: raro in nostris oris similis continget opportunitas, literis Graecis, Orientalibus ac Theologicis bene consulendi. Acquisiti tamen inde sunt Bibliothecae publicae complures egregii libri, Auctores Graeci, Msc. quidam libri Arabici (minoris licet pretii) etc. Ex relicto penu librario b. Medicinae Professoris D. *Johannis Leche* libri etiam quidam, ad Historiam Naturalem spectantes, Bibliothecae Ac. comparati sunt. Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 12 et 19 Mart. a. 1765.

Stålhandskianum munus si exceperis, tanta nunquam, quanta his annis, Bibliothecae nostrae contigerunt documenta. Insigni enim illam *Codicum Manuscriptorum* dono, hujusmodi maxime cimeliorum inopem, liberalissime ornavit faventissimus tum Academiae Cancellarius, Illustriss. Regis Regnique Senator, etc. Liber Baro Dn. *Carolus Hermelin* [4]); splendidissimo *Antiquitatum Herculanensium* opere, in memoriam curae musis nostris fovendis datae, benefice auxit desideratissimus tot nominibus illarum tutor Illustriss. Comes Dn. *Claudius Ekeblad,* turbis temporis a Rep. administranda tum remotus [5]); librorum egregiorum ac partim rarissimorum co-

---

[4]) Prot. Cons. Ab. d. 3 Nov. a. 1767. Erant voll XXI in folio, et III in 4:o, pleraque membranis perscripta. Inter haec: *Senecae Quaestiones Naturales,* et *Senecae Declamationes (scripte,* ut in fine voluminis significatur, *Constancie tempore Concilii generalis sub anno Domini* 1418); *Ciceronis Orationes,* Voll. III; *Ejusd. Libri de Oratore* (Codex Chartaceus, scriptus Bononiae 1451); *Justiniani* Imperatoris *Codex repetitae Praelectionis,* cum glossa marginali; *Petrarchae quorundam clarissimor. heroum Epythoma; Jo. Boccacius de Casibus virorum illustrium: Questiones disputate per Doctores Bononienses; Chronica Poloniae* ab a. D. 1406 ad a. 1444 (Codex Chartaceus, Latine scriptus); it. aliud volumen, *res Borussicas et Polonicas* anni 1511 sqq. persequens (Cod. Chart. Germ.); etc. Recentioris aetatis esse, vel hinc liquet; de quibus infra ex instituto exponemus. Spolia esse Belli Polonici, superiore seculo a nostris gesti, videntur.

[5]) Prot. Consist. Acad. d. 8 Aug. a. 1769. Prima nempe IV volumina, una cum *Bayardi Catalogo* (T. I.) beneficentiae hujus Maecenatis debemus; qui sua manu haec adscripsit verba: *Holmiae die X Aprilis MDCCLXIX. Opus hoc, munificentia Serenissimi Regis utriusque Siciliae sibi dono datum, Regiae Academiae Aboënsi in tesseram amicitiae perpetuo duraturae, et ut monumentum qualecunque negotiorum antehac communium, transmittit Claudius Ekeblad.* (V et VI volumen splendidi operis debet Bibliotheca Academica liberalitati Maecenatis, qui post illum curam rei nostrae Academicae suscepit et adhuc gerit, Illustriss. Senatoris Regis Regnique, R. Cancellariae Praesidis etc. Dn. Comitis *Ulrici Scheffer;* cujus plura etiam in librarium nostrum munificentiae documenta, celebrandi materia suppetit, suo loco nequaquam dimittenda). Unde patet, de hac re male edoc-

pia, Codicibus aliquot Msc. aliisque ornamentis munifice ditavit Auraicarum Camoenarum grande decus, Episcopus tum Aboënsis Dioeceseos Academiaeque nostrae Pro-Cancellarius, Archi-Episcopus jam et Pro-Cancellarius Upsaliensis Lycei, Reverendissimus Dn. Dr. *Carolus Fridericus Mennander* [6]). Quibus Bibliothecae nostrae benefactoribus, sin-

---

tum fuisse b. D:num *Björnståhl*, qui in Septembri a. 1771 nullum adhuc putaret hujus operis exemplar in Sveciam pervenissi. Cfr. *Ejusd. Itin.* P. I. Epist. XX p. 236 sq.

[6]) Prot. Cons. Ac. d. 9 Dec. a. 1766. Erant Voll. XXVII in Folio, L in 4:o, LXXXII in 8:o et min. forma. Inter quae habebantur: *Roma Sotterranea di Ant. Bosio,* Rom. 1692; *Sert. Ursati* monumenta Patavina, Pat. 1652; *Car. Patini* Imperatorum Romanorum Numismata, Argent. 1671 (cum eff. auctoris); *Pet. Apiani et Barth. Amantii* Inscriptiones S. Sanctae Vetustatis, Ingolst. 1532; *Terentius* cum directorio etc. Argent. per *Jo. Grüninger,* 1496; *Horatius* ib. 1498; *Ovidii Fasti,* Venet. per Jo. Tacuinum de Tridino, 1502; *Ejusd. Epistolae Heroides,* ibid. 1501; *Martialis* cum Comment. Calderini et Merulae, per Jac. Pentium de Leuco 1503; *Begeri Numismata Pontificum Rom. et Ejusd. Lucernae veterum sepulchrales,* pluraque alia opuscula; *Index auctorum damnatae memoriae* — editus auctoritate D. Ferdinandi Martins Mascaregnas, Ulysipp. 1624; *Praetorii* orbis Gothicus, Oliv. 1688; *Linnaei* Hortus Cliffortianus; *Dyalogus Creaturarum moralizatus,* Stockh. 1483; *Mariana* de rebus Hispaniae, Mogunt. 1595; *Svammerdam* Historia Insectorum, Lugd. B. 1685; *Cinnamus* de rebus gestis Joannis et Manuelis Comnenorum, Ultraj. 1652 Etc. Etc. Inter Codd. Msc. erant *Biblia Lat.* vulgatae versionis, membranis eleganter scripta, *Ol. Petri* Chronica rerum Svecicarum, etc. Ornavit praeterea atrium Bibliothecae, *Capite C. Julii Caesaris,* e marmore, *Gladiatore Romano* ex aere, et *Mercurio* e plumbo expressis, operis antiqui signis. Hoc autem munus alio, non minus splendido, idem beneficentissimus Maecenas sexennio post cumulavit; dono Bibliothecae nostrae datis voll. in Fol. XXVI, in 4:o LXXXI, in 8:o et min. forma CCXXII. Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 20 Nov. a. 1772. Inter haec reperiuntur *Biblia Svecana,* Ups. 1541; *Biblia Germ. Lutheri,* per Jo. Lufft, Vittenb. 1541; *Cumdii* Bibliotheca Patrum, Lugd. 1588, Tomi IV; *Clemens Alexandrinus* Gr. Florent. 1550; *Missale Aboënse,* Lub. 1488; *Ant. a Wood* Historia et Antiquitates Universitatis Oxoniensis, Oxon. 1664; *Spon* Histoire de Geneve, Gen. 1730, Voll. II; etc. etc. Adeo

gulari munificentia socium se adjunxit, meritissimus ac scientissimus Rei Nummariae atque totius adeo Rei Antiquariae Svecicae Antistes et arbiter, Nobilissimus Cancellariae Regiae Consiliarius et Eques de Stella Polari Dn. *Carolus Reinholdus Berch,* pulcherrimo transmisso dono librorum, maximam partem Historicorum atque Antiquariorum [7]); uti etiam Decade voluminum, primo post inventam artem Typographicam semisseculo impressorum, penum nostrum librarium amice auxit Historicorum monumentorum quae ad res Patriae illustrandas pertinent, diligentissimus peritissimusque conquisitor et collector Spectatiss. Dn. Secretarius *Sigfridus L. Gahm* [8]). Praeter minores quasdam accessiones singulorum librorum [9]). Quibus rebus omnibus ita Bibliotheca nostra crevit, ut et splendore, et quem litterarum amicis atque cultoribus praestat, usu, pristinam multum jam superet tenuitatem.

---

ut hujus benefactoris sui munificentiae, supellex nostra libraria accessionem voluminum prope D, praeter Codices Msc. et alia ornamenta, debeat.

[7]) Prot. Cons. Ac. d. 8 Aug. a. 1769. Auxit primum Bibliothecam nostram voluminibus CXXXIII; quibus ultra LXXX postea alia adjecit, ita ut numerum CCXX implerent. (Cfr. Prot. Cons. Ac. d. 25 Jun. a. 1772). Inter quae numerabantur: *Begeri* Thesaurus Brandenburgicus Gemmar. et Numismatum Graecorum, Colon. March. 1696; *Ejusd.* Spicilegium Antiquitatis, ib. 1692; *Huitfeldi* Chronica Regni Daniae, Havn. 1652; *Le Clerc* Histoire des Provinces unies des Pays-Bas, Amst. 1723; *Mabillon* de Re Diplomatica, Paris. 1681; *Ulfilae versio Evangeliorum Gothica,* cum interpr. et annott. Er. Benzelii, Oxon. 1750; *Pomp. Gauricus* de Sculptura, *Demontiosius* de veterum Sculptura etc., et *Abr. Gorlaei* Dactyliotheca, Antv. 1609; *Spon* Recherches curieuses d' Antiquités etc. Lyon 1683; etc. etc.

[8]) Prot. Cons. Ac. d. 9 Apr. a. 1769.

[9]) Quos Auctores ipsi liberaliter Bibliothecae dono dederunt, etc. ut sua ad rem militarem pertinentia opuscula, extra Patriam typis impressa, Illustriss. Dux Exercitum Regni supremus Dn. Comes *Augusl. Ehrensvärd,* Generosiss. Generalis Major et summus Rei Munitariae Praefectus Dn. *Axelius Magnus de Arbin,* ac Nobiliss. Centurio Major *Ol. de Stierneman.*

§ XXVIII.

Successor abeunti, ad Ecclesiae Hollolensis, quae sibi demandata fuerat curam capessendam, Bibliothecario, constitutus fuit, Diplomate Regio d. IV Dec. anni ejusdem MDCCLXX dato, Dn. M. *Laurentius Olai Lefren,* Facultatis Philosophicae ad hanc Academiam hactenus Adjunctus ordinarius. Qui cum plenam gazae hujus librariae tutelam suscipere nollet, nisi accurate antea recensitae, atque ut leges jubent moresque, a delegatis huic negotio viris, publice sibi traditae, eamque operam aëris inclementia, ante reditum mitioris anni temporis, aggredi vetaret; ope quidem atque consilio, administrandae ejusdem laborem interim juvit, sed omnes subire muneris partes non potuit. Reliquas igitur sustinere Amanuensis interea debuit; cumque absentia Bibliothecarii prioris, et alia quaedam impedimenta, moram aliquantisper objicerent, spesque successori suo mox affulgeret, inopem hanc stationem cum alia fortunatiore commutandi; festinare nihil placuit. Nec de spe sua vel reliqui Academici vel Bibliothecarius deciderunt; qui non multo post Professor Linguarum Sacrarum ad hanc Academiam creatus [1]), praefectura Bibliothecae abiit. In cujus locum mihi, qui Amanuensis partes per VIII annos peregeram, Illustrissimo Musarum nostrarum Tutore ac Maecenate benigne commendante, Bibliothecarii munus administrandum S. Regia Majestas clementissime concessit [2]). Amanuensem vero Bibliothecae Senatus Academicus constituit adjutoremque dedit Dn. M. *Henricum Alanum,* qui Logicam atque Metaphysicam, hactenus juventutem Academicam docuerat [3]).

§ XXIX.

Quo autem conditio Bibliothecae, quam per plures annos Senatus Academicus suo perlustrandam nomine non

[1]) Diplomate Regio die 6 Apr. a. 1772 dato.
[2]) Dipl. Reg. d. 11 Nov. ej. a.
[3]) Prot. Cons. Ac. d. 4 Febr. a. 1773.

curaverat, exactius innotesceret, tutiusque constaret quas opes jam Bibliothecarius tuendas accepisset; hoc petente, decretum fuit, ut quam primum tempestatis ratio permitteret, studiosa tandem accurataque librorum omnium recensio institueretur: quod negotium mandabant Academici Dn. M. *Jacobo Haartman*, Theologiae, et Dn. M. *Johanni Bilmark*, Hist. et Phil. Practicae, Professoribus [1]). Rem itaque vere proximo aggressi, sequente autumno perfecerunt; diligentissime hac cura functi, prout ipsa acta luculenter docent [2]). Curaverat interim Bibliothecarius, quantum in se esset, ut necessarii praesto essent indices atque subsidia alia, e quibus cum de praesenti Bibliothecae statu, tum de superiore ejus administratione, accuratum ferre delegatis judicium liceret: qui rationem operae suae Senatui Ac. reddentes, et eam et judicia sua illi adprobarunt [3]). Bibliothecarius hinc, in *Catalogo Alphabetico* librorum omnium quot possideret Bibliotheca, diligenti condendo, primam versari debere curam suam ratus, (quod superior ille neque aptus esset, neque satis curate concinnatus, neque jam plenus [4]), atque sine hac tamen ope difficillima Bibliothecae administratio ususque valde incommodus videretur), collega suo operam quoque tribuente, perfecit; cujus tamen alterum atque emundatius exemplum totum perscribendi facultatem tempus non permisit [5]). Deinde, quod hujus Cata-

---

[1]) Prot. Cons. Ac. d. 13 Mart. a. 1773.

[2]) In Bibliotheca asservata. Videri etiam potest Pr. Cons. Ac. d. 18 Apr. a. 1777, et d. 18 Maji ej. a.

[3]) Prot. Cons. Ac. d. 18 Apr. a. 1777.

[4]) Quod post a. 1748 suppletus non fuerat; alio consilio Bibliothecariis magis placente. Cfr. supra § XXIII not. [12]). De superioris etiam illius Catalogi vitiis quibusdam, diximus supra § XVII, p. 64, et § XII not. [9]) qui neque plane *realis*, quem vocant, neque plane *alphabeticus* fuit; neutro igitur consilio satis aptus, quod et secundum sic dictas Facultates, atque formas librorum, et alphabeti etiam ordinem, simul esset dispositus.

[5]) Hanc vero operam, laudabili diligentia peregit postea, Amanuensis Bibliothecae admotus officio, Dn. M. *Gabriel Tidgren*.

logi usum, et libros quosvis promte inveniendi rationem, impeditiorem fore putaret, nisi stabilis atque haud facile mutandus cuique locus volumini assignaretur; ordinem eorum in loculamentis suis collocandorum, quem *realem* vocant, sive ad seriem disciplinarum atque argumentorum accommodatum, incommodiorem judicavit [6]): ejusque judicii sui rationibus Senatui Acad. expositis, veniam nactus est, nullo nisi ad formam et ligaturam habito respectu, et libros qui nunc adessent digerendi, et sensim accedentes prioribus mox adjiciendi, loculamenti numerique signo et nota cuique inscriptis, et Alphabetico simul Indici appositis [7]). Voluminis cujusque loco ita in perpetuum definito, *Catalogum* confecit opum totius Bibliothecae, eadem illas serie exhibentem, qua in loculamentis digestae jam visuntur, ac iisdem signis, notis numerisque, quibus ipsi libri distinguuntur, distribute instructum; ad cujus deinceps ductum, recensio Bibliothecae, quoties opus foret, celeriter ac commode institui posset, et in quem libri postea accedentes, simulac suis reponerentur loculis, eadem lege sensim essent inferendi [8]). Praeterea *Diarium* condidit, in quo, qui libri,

---

[6]) Judicii ejus rationes expositas vide supra § XXIII not. [12]). Addimus, in Bibliotheca nostra, in quam ex complurium privatorum penoribus librariis, parsimoniae cuidam, nimio saepe studio, litantium, plerique fere libri pervenerunt, multa esse volumina, plures diversi plane argumenti tractatus complexa: quae nec permittunt opes Bibliothecae tenues omnia dissolvere, ac separatim quemque tractatum conjungendum curare, nec operae semper pretium est. Spatia autem vacua hic illi inter libros variasque eorum classes et ordines relinquere, praeter alia incommoda, loci etiam angustia in nostra Bibliotheca non permittit; per adjectas vero Appendices (quod hic antea moris fuit) molestiam immutandi saepius loci librorum totius Bibliothecae declinare, idem est ac ex una plures, incommodo admodum consilio, Bibliothecas creare.

[7]) Prot. Cons. Ac. d. 13 Mart. a. 1772.

[8]) Hocce Catalogo cum illis collato Indicibus, ad quorum ductum recensus Bibliothecae a. 1773 institutus fuit, ac consensu suo cum iis explorato; certus ille in posterum testis existimari debet opum quas tum Bibliotheca possedit universarum.

quando, unde, aut quo pretio ad Bibliothecam publicam accessissent, ex quo sibi ejus cura commissa fuit, breviter significaret; a successoribus porro, chronologica continuandum serie. Quod autem Dnn. Professoribus, quos nuper laudavimus, commendantibus, Senatui Ac. placeret, ut Index etiam alius conderetur librorum quos Bibliotheca possedit, cum illi recensum ejus agerent, omnium, ordine eodem quo comparati essent, quantum res jam permitteret, exhibitorum [9]), accuratissime deinceps, secundum seriem temporis quo novi libri accessissent, a Bibliothecae praefectis semper continuandus, *Inventarii* nomine ad opes librarias Academiae tutas praestandas inserviturus; neque Bibliothecario otium superesset, aliis laboribus, qui promtius exposcere diligentiam suam viderentur, impedito, hunc

---

Ac si etiam qui postea accesserunt libri, e Diario in illum accurate translati, instituta comparatione deprehenderentur, fidesque Diarii explorata esset; ad illum totius Bibliothecae recensum, non tuto minus quam commode institui deinceps semper posse, quoties necesse haberetur, Bibliothecario visum fuit. Quae caussa est, cur hunc Catalogum *Inventarii* nomine supra p. 76. not. [12]). significaremus. Hujus Catalogi primum Tomum, libros exhibentem in minore Bibliothecae atrio asservatos, plene absolvit Bibliothecarius; alterum aeque adornare concinne, tempus non permisit, cujus partes ultimas industriae successorum curatius, ad reliquarum similitudinem concinnandas, relinquere necesse fuit.

[9]) Nempe in hunc unum Indicem exscriptos conjungere placuit 1:o Catalogum a. 1655 typis impressum, de quo supra p. 25. 2:o Indicem librorum, quos a. 1682 accessisse, post illum catalogum editum, ex altero typis impresso Catalogo (de quo supra p. 32), facta utriusque comparatione patuit. 3:o Accessum librorum quem ad a. 1748 Bibliothecae contigisse, collatio Pryssiani Catalogi (cfr. p. 64) cum superiori isto instituta docuit. 4:o Indicem incrementi, quo Bibliothecam a. 1754 fuisse auctam, comparatio Haartmanniani Catalogi (cfr. p. 79 sq.) cum Pryssiano ostendit. 5:o Indices librorum ex libraria copia D:ni *Clewberg* emtorum, nec non a D:nis *Mennander*, *Berch* et *Gahm* donatorum. 6:o Index librorum reliquorum, qui ad finem anni 1773, ab absoluto Haartmanniano Catalogo accessisse reperti sunt.

suscipiendi: demandatus is fuit Dn. M. *Gabrieli Tidgren*, Hist. et Eloqu. Docenti, a quo etiam concinnatus adest. *Reali Catalogo*, apprime licet necessario, conficiendo manum admovere, brevitas temporis Bibliothecario non permisit, ad aliam stationem non multo post admoto [10]): quem laborem, propediem, illorum industria, quibus nunc thesauri nostri librarii cura commissa est, et strenue susceptum et perite iri perfectum, confidimus.

§ XXX.

Faventior quae adfulgere Bibliothecae nostrae coeperat fortuna, ita per hos quoque annos propitiam illi se praebuit, ut spe prope nostra majoribus augeretur incrementis. Non enim emtis tantum, vel a Bibliopolis vel occasione auctionum quarundam librariarum [1]), voluminibus ditata fuit et numerosis et pretiosis, sed privatorum etiam beneficentia egregie crevit. Ut enim singulorum librorum dona [2]), aut

[10]) Eloquentiae Professor, Regio Diplomate d. 10 Dec. a. 1777 dato, clementissime constitutus.

[1]) Ita comparati sunt Bibliothecae nostrae, libri ex divenditis librariis opibus Professorum nostratium Dnn. *Mesterton* et *Wallenii*; Archiatri Regii etc. Nobiliss. *Rosen v. Rosenstein*, Rev. Episc. et Pro-Canc. *Engeström* etc. maxime autem ex hastae subjecta egregia Bibliotheca Dir. D:ni *Laur. Salvii*.

[2]) Sic Dono dedit Bibliothecae nostrae R. Dicasterii Aboënsis Praeses Illustriss. Dn. Lib. Baro *Axelius Gabriel Lejonhufvud A. Gellii Noctes Atticas*, impr. Parhisiis per Nic. de Pratis, folio; Consiliarius R. Collegii Cameralis Nobiliss. Dn. *Ericus a Wetterstedt* librum ab Augustiss. Rossiae Imperatrice publici Juris factum, et quatuor linguis editum: *Instruction- - -pour la Commission chargée de dresser le projet d' un nouveau Code de Loix.* Petrop. 1770 4:o; Oeconomiae ad R. hanc Acad. Professor Maxime Rev. Dn. Dr. *Petrus Kalm Versionem Fennicam*, jam raram, *Psalterii Davidici* et quarundum aliarum partium Biblicar. V. Test. ab Episc. olim Aboënsi M. *Mich. Agricola* editarum, Stockh. 1551 et 1552 4:o; Vexillifer turmae Equestris Nobil. Dn. *Car. Örnstedt Scheffelii Vitas Professorum Med. Gryphiswaldensium*, 4:o. Et sic porro. Manuscripto etiam Codice, in folio, manu eleganti Svecice exarato, et ad artem mi-

pauciora minusque pretiosa volumina muneri data, non commemorem [3]); experta fuit Bibliotheca Academica munificentiam Illustrissimi Acad. nostrae Cancellarii, Regis Regnique Senatoris, Cancellariae Regiae Praesidis Ordinumque Regiorum Equitis et Commendatoris D:ni Com. *Ulrici Scheffer*, et splendidum *Ekebladianum* munus supplentis, et aliis quoque novis donis librarium nostrum penu ditantis [4]);

litarem pertinente (röranbe ben minbre detaillen wib et Regemente til fot) figurisque adpictis ornato, in memoriam Patris sui, cujus industriae debetur, locupletarunt Bibliothecam Acad. Haeredes Centurionis Nobiliss. ac fortitudinis laude incliti Dn. *Andr. Georgii Wetterhoff*; alio Codice Ms. nempe *Claudii J. Prytz* Tractatu Historico-Politico de Jure Publico Regnorum Sveciae Gothiacque, Svethice, in folio, manu etiam elegante exarato, auxit Bibliothecam nostram, Scholae tum Trivialis Wasensis Rector, S. Theologiae jam ad hanc Acad. Professor, Maxime Rev. Dn. M. *Christianus Cavander*; tertius accessit ex supellectili Nobiliss. Centurionis D:ni *Johannis Engman*, acta continens, in folio, (Concept-Protocollerne) a Patre suo Dn. *Andrea Engman* olim consignata, ut Notario Judicii (Commissorial-Rättens) a. 1677 constituti, cui in magos et sagas quaestio commissa fuit: non inutile perlectu volumen, ad ejus temporis mores, ingeniique humani historiam cognoscendam. Raritatis caussa etiam commemoranda est plagula chartacea nigri coloris, literis albis Tanguticis inscripta, precum quasdam formulas continens, ad religionem Dalai-Lamaiticam pertinentes; quam, in veteri Templo *Ablakit* Mogolorum idololatrarum, apud flumen *Irtysch* sito (LX milliaria Russica, *Verst*, a Castro *Ustkamenogorska* remoto) repertam, Bibliothecae nostrae Acad. in memoriam literarum a se hic olim cultarum, dono transmisit Celeb. Academicus Petrop. Dn. *Ericus Laxman*.

[3]) In quem referendi sunt numerum Praepositus et Pastor Paroeciae Cronoby in Ostrobotnia Dn. M. *Gustavus Juslenius*, Dn. M. *Elias Granroth*, Sacellanus in Paroecia NyCarleby Ostrobotniae, D:ni Magg. *Matthias Calonius* Professor Juris, et *Abrah. Nicol. Clewberg* Bibliothecarius jam ad hanc Academiam, etc. quibus rara singulis quaedam volumina, penus nostra libraria, refert accepta.

[4]) Cfr. supra § XXVII not. [5]). Hujus praeterea Maecenatis beneficio, possidet Bibliotheca nostra librum: Plans et Statuts des differens etablissements ordonnes par Sa Maj. Imper. Catherine II pour l' education de la jeunesse — ecrits — par

amice opes nostras utili dono auxit, R. quae Stockholmiae floret Scientiarum Academia [5]); ex relicta libraria supellectili Illustriss. Lib. Baronis et Summi quod Aboae fulget R. Dicasterii Praesidis Dn. *Johannis Lagerflycht*, librorum aliquot Russicorum, etc. Bibliothecae nostrae accessio contigit [6]); reliquiis crevit quibusdam librariae gazae qua Ec-

---

Mr. *Betzky* et traduits — par Mr. *Clerc*. Amst. 1775, voll. II, 12:o; it. *Jo. Andr. Murray* apparatum medicaminum, Gott. 1778. 8:o. Accessit etiam ex Ejusdem liberalitate: *Mappa Japanica* viam publicam ab urbe Osatka ad sedem Regiam Jedo, spectandam sistens; explicatione lingua characteribusque Japanicis, adposita. Charta est Japanica; mappae longitudo pedum circiter 55, latitudo paullo ultra 2. In Theca lignea asservatur, cujus inscriptio testatur, fuisse olim ex India transmissam ad *Nicol. Witsium*, Illustrem illum Civitatis Amstelodamensis Consulem, de re Geographica meritissimum.

[5]) Ex libris qui sibi dupli contigerant, X nobis volumina dono misit; inter quae nominasse sufficiat *Thomasini* Glossarium universale Hebraicum, Paris. 1697, folio, *Hawkesworth's* account of the Voyages undertaken — for making Discoveries in the southern Hemisphere etc. Lond. 1773, voll. III 4:o cum tabb. splendd. Cui muneri, Ejusdem Academiae Secretarius Amplissimus, ac multiplici laude cum intra tum extra patriam illustris, Dn. *Petr. Wargentin*, de suis liberaliter adjecit: *Essai* Analyt. sur les Facultés de l' Ame, par *Ch. Bonnet*, Copenh. 1760, 4:o; *Descriptiones* Animalium — quae in itinere orientali observavit *Pet. Forskål*, etc. Havn. 1775, 4:o; *Ejusd.* Flora Aegyptiaco-Arabica etc. Ib. 1775, 4:o; et *Icones* rerum naturalium quas in itinere orientali depingi curavit *Pet. Forskål*. Ib. 1776. 4:o cum Tabb.

[6]) Voluminum XIII; inter quae fuerunt *Rassuschdenye* etc. f. Ratiocinatio (vel Discursus) super caussis quas habuit Petrus I Russorum Monarcha, bellum inferendi Carolo XII Svecorum Regi, etc. Petrop. 1717, folio (auct. *Pet. Schafirow?)*; N. Testamentum, lingua Slavonica, Mosc. a. m. 6224, 4:o; Volumina II, alterum in Fol. alterum in 4:o, varia continentia Acta publica Russica etc. Voll. III Msc., Slavonica exarata lingua: quorum unum in Folio, (plagulis decem in medio spoliatum), ex illo genere librorum Historicorum esse videtur, quod Russis *Stepennaja kniga* audit (cfr. Schlözer Probe Rußiſcher Annalen, 1. Müllers Samlung Rußiſcher Geſchichte V B. p. 8. seq.), atque olim ad Nobiliss. pertinuisse Consiliarium R. Dicasterii Aboensis *Si-*

clesia hujus urbis Cathedralis olim instructa fuerat [7]); volumina aliquot accepit egregia ex liberalitate Celeberr. Dn. M. *Andreae Johannis Lexell*, Academiae Imper. Scientiarum quae Petropoli floret Socii et Astron. Professoris [8]); ac munere tandem locupletata fuit amplo et copioso, ex testamento Viri Amplissimi, meritorumque et in Remp. literariam et nostras praecipue musas laude illustris, D:ni *Johannis Arckenholtz*, Sereniss. Landgravio Hasso-Cassellano olim a Consiliis Aulicis, Bibliothecaeque et Gazophylacio Antiquario Cassellano Praefecti [9]). Quibus omnibus rebus

---

monem Lindheim, et cum reliquis suis bonis ad Illustr. *Lagerflycht* pervenisse. Cfr. Diss. *Joh. Helsingii* de Originibus priscae gentis Varegorum, hic Aboae 1734, editam, Praes. Cel. *Alg. Scarin*, p. 56, not. *r*). An alterum, etiam in Folio, sed valde mancum, ex eo sit genere quod ibidem *Poviest Vremianich* dici perhibetur, definire nondum valemus. Accesserunt simul Bibliothecae nostrae alia quoque cimelia quaedam, quae jam ibidem, in memoriam illustris hujus familiae servantur.

[7]) Volumina VI, quaedam lacera: inter quae Msc. continens S:ae *Mechtildis* Librum Spiritualis Gratiae, Svethico sermone versum a Fratre *Jo. Budde*, nec non S:tae *Birgittae* Viridarium, Svethice conscriptum ac ex *libris* suis *Revelationum* collectum. Uterque liber lacerus est, uno vol. chartaceo in 8:o (quod ad Fratres Coenobii Gratiaevallensis, Nåbenbal, olim pertinuisse, inscriptio adjecta docet) compactus. Accessit simul inde Bibliothecae, plagula, qua *actus inscrinationis B. Hemmingi* Ep. Ab. exhibetur; quod monumentum, typis exscriptum, brevi commentariolo illustrant binae Diss. Dn. *Gustavi Sivers*, hic Aboae 1775 editae, Praes. Cel. *Bilmark*, 4:o.

[8]) *L. Euleri* Calculus Integralis, Voll. III, 4:o; *Ejusdem* Dioptrica Voll. III, 4:o; *Ejusd.* Theoria motuum Lunae, Petrop. 1772 4:o; Collectio omnium observationum quae occasione transitus Veneris per solem a. 1769 institutae fuerunt etc. Ib. 1770, 4:o; *Jo. Ge. Gmelini* Flora Sibirica, Tomi IV, 4:o c. figg. *Sam. Gottl. Gmelini* Historia Fucorum. Etc.

[9]) Amore Patriae flagrans singulari, atque ab amplexibus licet ejus sejunctus, optime tamen de illa mereri studens, Academiae nostrae Auraicae, in qua olim ad musarum commercium adolescens admissus fuerat, eximia beneficia jam tum cum Cassellis ageret, destinaverat; quibus post mortem Viri meritissimi, patriae interea redditi, frui Lyceum coepit nostrum. Pecuniam

effectum est, ut sola XXX novissimorum annorum incrementa, omnes jam pristinas Bibliothecae opes, et pretio et copia vincant.

---

videlicet 1333 Thalerorum Imperialium cum triente, ea conditione Academiae legavit, ut ex fructu ejus aliquot semper literarum studiosis, ingenii atque diligentiae quam fortunae ope liberaliore suffultis, annua subsidia per quinquennium cuique, praeberentur: Gemmis quibusdam scalptis, atque aliarum ectypis numero ultra D, arte Lippertiana in massa alba terrea pulchre expressis; Numismatum, maxime Romanorum, haud spernenda collectione, additis ectypis aliorum (a C. Julio Caesare ad Heraclium Imperat.) in cera, tenuissimis laminis stanneis obducta, expressorum; Librorum denique egregio dono Bibliothecam nostram ornavit et auxit. Inter hos Mss. erant, praeter *Epistolarum* ad Se a Viris Eruditis Illustribusque, cum civibus tum exteris, scriptarum Volumina XIII, 4:o, atque *Commentariorum Rusdorffii (Memoires et Negociations de Mr. de Rusdorf)* quos limatos politosque Gallice edere Noster paraverat, ipsum exemplar prototypum (conceptet) in Folio; *Bibliorum Latinorum* vulgatae versionis Codex Membranaceus, 4:o; *Alcoranus* Arabice (codex chartaceus) 8:o; *Ambassade de Mr. de la Boderie en Angleterre es années 1606, 1607, 1608* et *1609, Premiere partie*, Codex chartaceus in Folio, nitidissime scriptus; *Turcae cujusdam*, publicae rei consulti, *Consilium de administrando imperio, Sultano Ibrahimo datum*, in linguam Svecanam translatum, codex chartaceus in Folio; *Recueil de diverses Pieces* (dediés à Mr. Guillaume de Gehebe, par C. L. H. de Stockholm ce 24 Nov. 1735), Codex chartaceus in 4:o. Accedebant ex amplissima sua collectione varii generis monumentorum Historicorum, maxime ad res patriae illustrandas pertinentium, reliquiae quaedam et sparsa quasi fragmina, (longe maxima parte, antequam ad nos chartae suae pervenirent, nescio quando aut quomodo excussa, distracta atque dispersa), laboriosissimi viri manu magnam partem exscripta; e quibus duo in Folio volumina, et unum in 4:o confecimus. Impressorum librorum circa CDL Bibliotheca nostra, liberalitati ejus accepta debet volumina; quorum vero pleraque vim magnam quaeque continent scriptorum atque tractatuum diversorum, minoris molis, sed memorabilium ac rariorum. Inter libros hosce erant: *Encyclopedie*, ou Dictionnaire raisonné des Sciences, des Arts et des Metiers, etc. Paris et Neufchatel 1751—1765, Voll. XVII Folio, cum Voll. V Tabularum *(Recueil des Planches)* primis, pecuniae summa ad reliqua etiam paranda, assignata; *Le Grand Dictionaire Historique*,

§ XXXI.

Fatis atque incrementis Bibliothecae nostrae hactenus expositis; ut praesentem quoque ejus conditionem paullo accuratius describamus superest, quidque opis et subsidii

— *par Mr. Louis Moreri*, XVIII edition, Tomes VIII, Amst. 1740 Folio; item *Nouveau Supplement au Grand Dictionnaire Historique — de Mr. L. Moreri*, Tomes II, Paris 1749 Fol. *Dictionnaire Oeconomique — par Mr. Noel Chomel, IV Edition, par J. Marret* Tomes II. Commercy 1741 Fol. Item *Supplement au Dictionnaire Oeconomique — par M. Noel Chomel, — par Mr. Pierre Royer*, Tomes II. Ib. 1741, Fol. *Dictionnaire Historique — par Prosper Marchand*, Tomes II, à la Haye 1758 et 1759. Fol. *Description de la Ville et des Fauxbourgs de Paris, en vingt Planches etc.* à Paris par Jean de la Caille, 1714 Fol. Max. *Histoire generale des Eglises Euangeliques des Vallées de Piemont, ou Vaudoises, — par Jean Leger.* Leyde, 1669 Fol. *De vita et rebus gestis Clementis XI, Pontificis Maximi, Libri VI*, Urbini 1727. Fol. *Platinae Historia de vitis Pontificum Romanorum.* Coloniae 1574 Fol. *Navigatio ac Itinerarium Jo. Hug. Linscotani* in — Indiam etc. Amstel. 1614 Fol. *Argonautica Gustaviana* etc. Franckf. 1633 Fol. *Winkelmanns* Beſchreibung der Fürſtenthümer Heßen und Hersfeld etc. I-VI Theil; Bremen 1697, et Cassel 1754, Fol. Ueberſetzung der **Allgemeinen Welthiſtorie**, die in Engeland — ausgefertiget worden, — vermeret von *Siegm. Jac. Baumgarten* (und *Sal. Semler*); Halle 1741 —1765, voll. XXIX 4:o. It. Samlung von **Erläuterungs Schriften und Zuſätze** zur Allgem. Welthiſtorie, ib. 1747—1765, voll. VI 4:o. *Pocockes* Beſchreibung des Morgenlandes, — überſ. von Chr. Ernst v. Windheim, Erlangen 1754 et 1755, voll. III, 4:o. *Memoires concernant Christine Reine de Suede*, par J. Arckenholtz, Tomis IV, Amst. 1751—1760, 4:o splendide compacti; Historie de Ré Lusignani, publicate da *Henrico Giblet Cavalier*, Libri XI, Bologna 1657, 4:o; Deduction der unſchuld Herrn *Johan Reinhold von Patkul*, 1701, 4:o; *Schoepflini* Vindiciae Typographicae, Argentor. 1760, 4:o; *Robeck* de morte voluntaria, Partes II Rintel. 1736 et Marp. 1753, 4:o; *Dactyliotheca* universalis, — edidit *Phil. Dan. Lippert*, Chilias I, II, III. Lips. 1755, 1756, et 1762, 4:o; *Arlanibaei* arma Svetica, 1631, 4:o; *Guil. Serlini* causae Regum heri et hodie inter se belligerantium, Galliae et Hispaniae, Sveciae et Poloniae, expositae et expensae, 4:o; Vita Christinae Svecorum Reginae, usque ad ejus in Brabandiam profectionem etc. 4:o; Caractere de la Reine Christine

literarum studiosis jam promittat, paucis indicemus. Primum igitur Codices quos possidet Manuscriptos recensebimus; non illos aut multos sane, aut primi ordinis, pretiove ac splendore eminentissimos, sed neque contemnendos tamen, nec omnino, qui cognoscantur diligentius, indignos. Sequemur autem in illis lustrandis seriem temporis qua Bibliothecae nostrae accesserunt, inque indices ejus adscripti sunt. Ac diu nullo gavisa fuit hujusmodi ornamento; quod aut nihil hujus generis *Stâlhandskius* in praeda illa Danica reperisset [1]), aut Regiae Bibliothecae quae Stockholmiae instruebatur, talia Cimelia imprimis deberi existimarentur; ex qua igitur, ut etiam manu exarata aliqua nostris Musis concederentur volumina, exspectandum non erat. Referri tamen aliquo modo in hunc censum possunt exempla operum *Grotianorum de Jure Belli et Pacis*, ac *de Veritate Religionis Christianae*, quae suis ipse annotationibus, margini adscriptis, Vir Summus ornaverat, quaeque cum libris suis reliquis in Bibliothecam Reginae immigrasse [2]) viden-

— par le R. Pere *Mannerschied*, 4:o; *Tillotson's* Sermons, Lond. 1703 et 1704 voll. XIV, 8:o majore; Le spectacle de la Nature, — par Mr. l' Abbé *de Ptuche*, Paris 1745—1751, voll. IX, 12:o maj. *Ejusd.* History of the Heavens, Lond. 1740, voll. II, 8:o; Oeconomiſche Nachrichten (von Freyherrn von Hohenthal, etc.), Leipz. 1750—1763, voll. XV, 8:o; *Hartmanni* Historia Hassiaca in comp. redacta, Pars I, II, III, Marp. 1741, 1742 et 1746, voll. III, 8:o; *Schmincke* monimenta Hassiaca, I—IV Th. Cass. 1747—1765, voll. II, 8:o; *Ejusd.* Beſchreibung der Heßiſchen-Hauptſtadt Cassel, ib. 1767, 8:o; Le Soldat Svedois, par *Fred. Spanheim, 1634*, 8:o; Historia di Christina Alessandra, Regina di Svetia, del Conte *Galeazo Gualdo Priorato*, Venet. 1656, 8:o; Bibliotheca septentrionis Eruditi, — a *Joh. Mollero*, Lips. 1699, 8:o; *Struvii* Bibliotheca Historica selecta, — locupletavit *Chr. Gottl. Buder*, Jenae 1740, 8:o; Hispanicae Inquisitionis — secretiora — per *Joach. Ursinum*, Ambergae 1611, 8:o; *Biographia Classica*, Lond. 1750, coll. II, 12:o; Etc. Etc.

[1]) Cfr. supra § IV p. 17.

[2]) Cfr. ARCKENHOLTZ *Mem. de la Reine Christine* T. I. p. 79 sq.

tur, inde ad nos dono transmissa [3]). Operis primo loco commemorati, editio est princeps, Paris. a. 1625 luci commissa, apud *Nicolaum Buon,* 4:o; de quo volumine supra jam egimus [4]). Annotationibus quas ostentat, diligentius perlustratis, easdem fere esse reperimus, quibus secundam postea libri editionem Auctor emendavit ac locupletavit, quae nondum tamen omnes hic comparent. Alterius quod nominavimus operis *editio tertia* est, quae *prioribus auctior et emendatior* editore dicitur, ac *Lugduni Bat. ex officina Joannis Maire* 1633, 12:o prodiit. Numerosa ejus sphalmata correxit Auctor, ac passim quaedam limavit et addidit, eadem fere, non tamen omnia, quae in Quarta Editione (Paris. 1640 sumtibus Seb. Cramoisy in quarta forma emissa), leguntur. Inscriptio etiam libri talis ab Auctore formata hic conspicitur, qualem illa editio habet: *Hugo Grotius de Veritate Religionis Christianae. Editio nova, additis annotationibus, in quibus testimonia* [5]).

1. *Primo* codice, toto manu exarato, Bibliothecam nostram condecorasse significavimus (supra p. 30 sq.) Virum magni nominis ac summae apud nos venerationis, Lycei nostri quondam Antistitem *Johannem Gezelium,* Filium; *Korano* nempe Arabico elegantissime et distinctissime scripto, (punctis vocalibus diligenter instructo), in forma quam vocant 8:va majore, ligatura quali Turcae vulgo utuntur, e corio nigro. Charta levigata, gossypina esse videtur [6]). A secunda Sura liber incipit, prima omnino praetermissa; integer caeterum ac satis bene conservatus [7]).

---

[3]) Cfr. supra § V p. 20, et 23 seq. Nec non Indicem Bibliothecae Aboënsis a. 1655 editum.

[4]) § V p. 23 et 24, imprimis not. [16]).

[5]) Cfr. KOECHERI *Hugo Grotius de Veritate Religionis Christianae variis Dissertatt. illustratus,* Dissert. I. Historia Libri Grotiani de V. R. C. § 9 et 10.

[6]) De cujus indole vid GER. MEERMAN *et Doctor. Virorum ad eum Epistolae atque obss. de Chartae vulgaris s. lineae origine* (Hagae Com. apud Nic. van Daalen 1767, 8:o) p. 164 et 165. Etc.

[7]) Descripsimus etiam supra jam § VII, p. 30 et 31. Adponere autem hic integra lubet, quae operculi utriusque lateri

Postea faventiore usa fortuna, sequentibus sensim Bibliotheca nostra aucta fuit libris Mss.

2. *ΑΕΤΙΟΥ Αντιοχέως ἰατροῦ περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας τῶν νοσημάτων, λόγοι ἕξ, ἕισοτε νυν μή ποτε ἐκτετυπωμενοι. Τα περιεχόμενα ἐν ἀρχῇ ἑκάστου λόγου ἐκτιθεται. Περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων ὡς Παῦλος ὁ Αιγινήτης.*

ΑΕΤΙΙ *Antiocheni Medici de cognoscendis et curandis morbis sermones sex, hactenus nusquam unquam typis excusi. Quae in singulis sermonibus insunt, in principio cujusque habetur. De ponderibus et mensuris ex* PAULO AEGINETA. Ita inscriptio habet.

Codex Chartaceus, in Folio, constans foliis 313; e libraria Celeb. olim apud nos Med. Professoris *Eliae Tillands* Bibliothecae Academicae, initio hujus seculi, acquisitus; perspicue et diligenter, totus Graece, scriptus. Continet Libros sive Sermones operis Aëtiani VIII, IX, X, XI, XII, XIII; quorum librorum nihil, praeter *Octavum et noni*

---

adscripta visuntur. Alterum igitur habet: Daß dieſen Alcoran ich unterſchriebener an den wohledlen und hochgelahrten Herrn Doctor Johan Gezelius für ein hundert Dr. K. Müntz verkauffet habe, attestire ich hiermit, und über die gemelte 100 D. K. M. gebührlich qwitire. Stockholm d. 18 Maji anno 1678 Johan Peter Kirſtein m. p. Alteri lateri adscriptum legitur:

Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus, Antichristiani Muhamedani, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Parvum hunc librum
Maximae per orientem seductionis instrumentum,
ob raritatem vero
et scriptionis papyrique elegantiam,
in occidente semper in pretio habitum,
in septentrione rarius visum,
in Finlandia suae sortis unicum,
postquam
A:o MDCXXCI a. d. 29 Maji
Ignis et aquae pericula evaserat
Bibliothecae Acad. Aboënsis publicae
intulit
Jo. Gezelius J. F.
S. Th. D. et P. P.

aliquot capita, Graece typis vulgatum hodiedum exstare, eruditis notum est [8]). Cum non tantum literarum forma scripturaeque facies doceat, superiore seculo aut paullo ante codicem esse exaratum, sed nec plures contineat libros quam quos primum Latine versos edidisse *Janum Cornarium, solorum illorum codicem Graecum MS. nactum*, testetur FABRITIUS [9]), ex isto ejus codice nostrum profluxisse verisimile videretur, si argumentum etiam ejus rei ipse non ostentaret omni dubitatione superius, Epistolam nempe ipsius *Cornarii* Imperatori *Carolo V* Latine scriptam, folio codicis nostri secundo comparentem, quam vel eo nomine subjiciemus integram, quod hosce eosdem libros Graece edere *Cornarium* constituisse ostendat; abjecisse autem id consilium, (de quo hactenus nihil rescivisse homines eruditi videntur), tum demum, cum reliquas etiam operis Aëtiani partes adeptus esset, probabile fit, quibus latine interpretandis edendisque operam eum postea dedisse, constat. Epistolae autem, cujus meminimus, exemplum tale est:

Invictiss. Imperatori, clementissimo Caesari Divo Carolo Quinto p. f. semper Augusto, Janus Cornarius Zviccaviensis Medicus S. D.

Quemadmodum nuper Aëtium Antiochenum Medicum Graecum in latinam linguam a nobis conversum sub Sacratissimae Majestatis Tuae nomine, atque adeo ex clementiss. magnificentia Tua orbi donavimus [10]*), nimirum quod tale mu-*

---

[8]) Cfr. FABRICIUS *Bibl. Graecae* Vol. VIII p. 318 sqq. HAMBERGER Zuverl. Nachr. Th. III p. 283 sqq. Nempe primi tantum VIII Libri prodierunt Venet. 1534, in aed. haered. Aldi Manutii et Andreae Asulani, Fol.; et *noni aliquot capita* in JO. ERNESTI HEBENZTREIT *Tentam. Philol. Med. super Aëtii Amideni Synopsis Medicorum veterum libris octo etc.* Lips. Breitkopf, 1757, 4:o.

[9]) l. c.

[10]) Non indicat FABRITIUS, quo anno manca haec Latina Aëtii versio a *Cornario* edita sit; paullo vero ante annum 1532 prodiisse, hinc liquet. Integri operis interpretatio ab eodem perfecta, Bas. 1542 Fol. prodiit, ubi *Jo. Bapt. Montani* versio omnium Librorum Aëtii a. jam 1535 Fol. lucem viderat.

nus esset quod nonnisi a summo Imperatore et maximo ac clementissimo Caesare in mortalium usum ac utilitatem pervenire decebat: ita etiam nunc eundem Graecum et sua lingua loquentem per Majestatis Tuae clementiam et auctoritatem publice evulgamus, bona spe ducti, ut ejus operis immensa commoditas, velut donum a clementia Tua profectum, ab omnibus pro dignitate excipiatur. Neque enim me tanti laboris unquam poenituerit, quem tum in Graeco suae integritati restituendo [11]*), tum in latinum convertendo impendi, si sacratiss. Majestas Tua hoc meum factum boni consulat nec improbabit, per quod Majestas Tua humanum genus omne obnoxium Sibi faciet* [12]*). Id quod tum me sensisse ac intellexisse profitebor, ubi clementissima Majestas Tua me ad alia etiam medica opera quae in manibus habemus absolvenda et in lucem edenda Majestatis suae gratia clementer tuebitur et fovebit. Valeat sacerrima Majestas tua. Zviccavii Boetulandiae* [13]*), Calendis Septembribus, Anno Christi MDXXXII.*

Suspicari quis possit, nostrum codicem esse ipsum illud exemplar quod *Cornarius* adornaverat, preloque subjiciendum paraverat, quodque in Germania *Tillandsius* acquisiverit, ac secum, ex peregrinatione sua rediens, huc adduxerit; sed nihil affirmamus [14]). *Antiochenum* falso *Aetium* nostrum, pro *Amideno*, vocari, apud eruditos jam in con-

---

[11]) Itaque criticam etiam *Aetio* nostro *Cornarium* praestitisse opem, patet; de qua tamen, cum aliud nullum operis hujus Aëtiani exemplar videre nobis contigerit, judicare nihil valemus.

[12]) Magnifice *Cornarium* de *Aetio* ac de hac opera sua, sensisse, mirum videri debet nemini, qui non ignoraverit, inter reformatores eum Scientiae Medicae in Patria sua fuisse, atque Medicis Arabicis et barbaris remotis, Graecorum laudem atque usum propagare diligenter studuisse.

[13]) Vox lectu nobis difficilis. An *Voigtlandiae?*

[14]) [Hanc conjecturam fundamento destitui postea reperimus; operculo enim adscriptum nomen *Arvidi E. Reuther,* Finlandensis, ad eum olim pertinuisse docet, ipseque *Tillandsius* ibidem significat: *ex donatione Ernesti Grabbe Karelii, Praefecti in Aminne sibi accessisse, d. 28 Julii a. 1692.*]

fesso est. Quod e *Paulo Aegineta*, nostro adjectum reperitur opusculum, (pagg. codicis nostri 614—617), *de Ponderibus et Mensuris*, ex VII:o sumtum ejus est Libro, *Compendii Artis Medicae*, cujus editionem Basileensem (ap. Andr. Cratandrum 1528 Fol.) Bibliotheca nostra Academica possidet.

3. PAULI JUUSTEN, Episcopi quondam Aboënsis *Explicatio* (s. ut ipse habet *Fragmenta in explicationem) Evangeliorum Dominicalium et praecipuorum festorum, ut vocant,* (vulgo *Postilla),* Latine conscripta. Codex Chartaceus in 4:o. Ipsum Auctoris esse autographum putatur: neque forma literarum repugnat. In fine deesse aliquid videtur, aut male certe liber tractatus est. Dedicatur *Honorabilibus juxta ac discretis viris Dominis Ecclesiarum Pastoribus, Sacellanis et aliis quibuscunque verbi Dei Ministris Finlandensibus.* Epistolae huic subscriptum legitur: *Paulus Juusten Episcopus Aboënsis haec in Metropoli Muscovitarum Anno Domini 1570, Deo adjuvante conscripsit* [15]*).* In illa praefatione, cum breviter conditionem depingit Religionis in Finlandia *ante 36 aut circiter annos* (tempore Papistico), et mutatam ejus faciem per reformationem, Rege *Gustavo* I duce perfectam; tum consilium suum libri hujus conficiendi exponit, monitaque Sacerdotibus subministrat, et praecepta officii sui sapienter ac diligenter administrandi, praeclara. Docet se, cum haec scriberet, *ante 33 annos ad sacros ordines et Ecclesiae ministerium assumtum* fuisse, et *19 agi annum postquam Episcopi munus sibi concreditum* esset. Pro tempore quo scripsit, liber non male compositus est, ac cum de eruditione, tum de pietate et diligentia Auctoris haud dubia praebet testimonia [16]).

---

[15]) De infelici hoc itinere Russico qui plene edoceri cupit, consulat: *Narrationem* ejus propriam *de* hac *sua Legatione,* quam Dissertat. Academ. a. 1775 hic edidimus.

[16]) Quaedam de hoc opere, ejusque methodo et pretio habet Cl. M. *Ericus Tulindberg* in *Historiola Concionum Sacrar. Fennicarum,* Diss. Ac. A:o 1781 hic Aboae edita, P. pr. § III; etiam ib. § II not. *e*).

4. Codex chartaceus in 4:o, foliis constans 199, varia continens, ad res et jus patriae etc. pertinentia. *Primo* loco comparent *Constitutiones Academiae* (Upsaliensis) a R. *Gustavo Adolpho* a. 1625 sancitae. Deinde alia quaedam subjunguntur Edicta Regia; ut: 2 K. Eric XIV:s Hoff-Artiklar (qui in collectione *Schmedemanniana* Kongl. Stadgar — angående Justitiae och Executions-ärender ꝛc. typis vulgati leguntur, p. 34); 3 K. Göstaffs Gårdz-rätt, (*Schmedem.* l. c. p. 15); 4 K. Göstaffs Stadga med Rikſens Råd beſluten i Wexiö (IX tantum articuli, cfr. infra p. 113, n. [11]); 5 Then ordning ſom giordes i Wästerås A:o 1520 (1527, v. *Baazii Inv. Eccl. Sviog.* p. 223); 6 K. Johans Gårdz-rätt (*Schmedeman* p. 43); 7 Krigzartiklar uthi K. Johans tidh gjorde och brukade, och af — K. Karl öffwerſedde och förbettrede uthi Sköffde then 5 Maji a. D. 1599; 8 K. Carl IX:s Hof-Artiklar (*Schmedeman* p. 85); 9 K. Carl IX:s Gårdzrätt (ib. p. 95, ubi tamen Prooemium desideratur, quod in nostro est codice). Art. 43 etc. def. 10 Then Swenſka Sjörett och Skepz-Artiklar (v. infr. p. 113, n. 20); 11 K. Carls (VIII) Hoffartiklar (Vid. *Hadorphs* Bih. til Biärköa rätten p. 49); 12 K. Carls Hampne Strå, cujus tamen Articuli XIII—XXIII desiderantur; 14 Formulae et consilia varia Medica et Oeconomica, circa medium superioris seculi collecta, inepta pleraque, pro more hujusmodi collectionum, et vana; 15—25 Literae quaedam Regum *Gustavi I, Johannis III et Caroli IX*, ad res Ecclesiasticas pertinentes, et maxime ad Sacerdotum reditus confirmandos; 26, 27 Literae binae Episcopi Aboënsis [17]) *Erici Erici* F. ad Clerum, Latine scriptae, (altera data, ut subscriptio habet, *ex Tusculano nostro Sorola, XII Cal. Sept. A:o Chr. MDXCI*, altera *Aboae d. 26 Martii A.* 1595); 29. Pauli Juusten *Episcopi Aboënsis Catalogus et Ordinaria successio Episcoporum Finlandensium;* cujus prima pars, ab initio ad XX usque Episcopum (*Magnum Nicolai de Särkilax*) manu *Henrici Isaaci F. Brenneri*, scripta est, anno,

[17]) In priore vocat se: *Ericum Erici, Divina Providentia Episcopum Aboënsem;* in altera additur: et *Wiburgensis.*

ut ipse indicavit 1650, posterior vero, a nominato modo Episcopo seriem persequens, antiquioris scriptoris, auctorique aetate proximi, manum ostentat, ejusdem ut videtur, qui nomen prodit suum in annotatiuncula vitae Episc. *Arvidi Kurck* subjecta; ubi nempe Auctor Chronici mentionem injicit *Johannis Westgothi, Praefecti reddituum Episcopalium*, post obitum Episcopi constituti, hanc notam, lepidam sane, eadem manu qua textus exaratus est, subscriptam, in nostro exemplo reperire licet: *Eo tempore quo ego Michaël Stuuth eram in servimine Joannis Wesgoti in Wexö, ab illius ore audivi verba talia.* Tå jag war i Biſcops ſtad, ſå upbar jag några penningar aff preſterne för theras oächte barn. Som jag kom fram för K. Göſtaff meb the penningar, ſå ſporde han hwad penningar the ſculle wara? Jag ſade hwarföre the woro upburne aff preſterna. Swarade Konungen: medan the penningar äre hijt kompne, ſå må the här wara; men här efter ſcal thet icke ſå ſkee, utan preſter ſcola haffwa theres ächta huſtrur. In fine adjecit rursum *Brennerus* Episcopos XXVII *Paulum Juusten*, et XXVIII *Ericum Erici*, de quo annotat eum inauguratum fuisse d. 8 Sept. a. 1583. 30—32 *Isaaci Brenneri* Pastoris in Stor-Kyro Concio S. quam habuit Wasae, cum huic natali suo loco valediceret, ad curam dictae Ecclesiae Kyroënsis capessendam abiturus, cum duobus aliis (ejusdem?) opusculis homileticis, Fennice conscriptis. 33 K. Gustaf Adolphs Privilegier för Ridderſkapet och Adeln, gifne Nyköpings Slott d. 10 Jan. 1612 (l. 8 Oct. 1617). 34 K. Gustaf Adolphs Krigs-Artickler; quorum tamen initium, ad Articulum usque 29, desideratur. Codicis hujus *Brenneriani* partes antiquiores, olim, ante eum, ad Pastorem aliquem Eccl. Alandensem pertinuisse videntur, in cujus usum particularem collectas fuisse, non obscure produnt.

5. Utförlig Beſkrifning öfwer *Hartziſke* Bergwärcken och de derwid brukelige Book- och Hytte-Processer, efter egen erfarenhet uppſatt af HERMAN DIEDRICH SPÖRING *Med. Doct. et Prof. Aboëns.* Volumen chartaceum in folio, nitide scriptum et compactum. Dono Auctoris Bibliothecae nostrae

accessit [18]). Capitibus constat XV, quorum indicem adponemus. I. C. Om Hartzen i gemen. II. C. Om grufworna på öfre Hartzen. III. C. Om grufworna på nedre Hartzen och Rammelsberg. IV. C. Om Book- och Waſk-wärken. V. C. Om Schlichtens råſtande. VI. C. Om Råſt-ſmältningen. VII. C. Om Silfwerdrifningen. VIII. C. Om Friſch-glötens upſmältande til bly. IX. C. Om Silfwerbränningen. X. C. Om Myntwäſendet på Hartzen. XI. C. Om Steinſmältningen och drifningen, ſamt deraf tilgörande Koppar. XII. C. Om Kiesſmältningen wid Lautenthal. XIII. C. Om Kopparſmältningen wid Lautersberg. XIV. C. Om Järnwärken på Hartzen. XV. C. Om Rammelsbergiſke Hytte-Processen. Opus Tabulis XX illustratur auctoris manu pulchre delineatis; praeter computationum et rationum tabulas plurimas, partim scriptas, partim typis expressas atque volumini huic adjectas.

6. Codex Chartaceus in Folio, constans foliis 217, quam Bibliothecae nostrae dono dedit Ampl. *Myrin* (cf. supra § XXIV p. 84). Continet 1:o Konung Göſtaffs Chröniċa. Illud nempe Chronicon, cujus auctorem esse Viri eruditi docent Episcopum quondam Arosiensem *Petrum Andreae Nigrum* s. Swart; quod comparatio nostri exempli cum notis a Nobiliss. *a Celse* [19]) diligentissime traditis, manifestum fecit. Inprimis cum exemplo quod possedit Reverendiss. Archi-Ep. *Er. Benzelius*, F., exacte nostrum convenit (l. c. p. 7). Caeterum diligenter scriptum est, ac integrum. 2:o Acta conventus inter Commissarios Svecicos et Danicos in Hallandia, prope urbem Kongsbacka, ad *Flakebäck* (vel *Flakesiöbäck)* et *Vombedaal*, A:no 1591, diebus 12—17 mensis Augusti, instituti, ad tollendas quae in-

[18]) Fronti adscriptum, Auctoris manu, legitur: "Thetta mit ringa Ungdoms arbete consacrerar jag Kongl. Academiens Bibliothek i Åbo. H. D, Spöring." Conscripserat nempe hoc opus, cum peregrinaretur in Germania, circa a. 1725, cumque metalli hujus accurate cognoscendi, iis ipsis locis commorans, occasionem haberet locupletissimam.

[19]) Vid. Cel. Gjörvell Kongl. Bibliothekets Handlingar, 1 Band. 1 Del, p. 6 sq.

ter utrumque Regnum post pacem Stetinensem obversatae sunt lites ac querelas. De quo conventu altum est apud Historicos nostros silentium. Danici meminerunt (Cfr. *Gebhardi* Geſch: der Königr. Dännemark d. Norw. II Th. p. 920). Nihil autem, ut saepe alias, hic peractum. Legati nominantur: a parte Svecica *Christer Gabrielsson (Oxenstierna) til Steninge, Bengt Ribbingh til Fremiestad et Jöran Erichsson (Ulfsparre) til Öijeridt,* (de quibus cfr. STIERNMAN Höfd. Minne, I D. p. 132, 294 et 243); a parte Danica *Nils Kaas til Torupgaard, Jörgen Rosencrantz til Rosenholm et Manderup Parsberg til Hagesholm.* 3 Thenn Handell Her *Truidt Ulfztand* giorde i Stockholm anno 1534; quod scriptum impr. legitur apud ER. TEGEL K. Gustaffs Hiſtoria, Part. II p. 13 seqq. 4. Tituli quidam Legis Municipalis, qualis comparet in editione a. 1618, R. *Gustavi Adolphi* auctoritate munita. 5. Salige Konungh Erichs then fiortondes Hiſtoria. Cujus quis sit auctor, ignoro. Initium autem hujusmodi est: Anno 1560 Michaelis dag uthi Stocholm aſſompnade i Gudi den Stormechtigſte Högborne och widtberömde Furſte och Herre Her Göſtaff, Sweriges, Göthes och Wendes Konung. Ther wore när Hög:te Hans K. Mſt:z älſkelige kähre barn ꝛc. Persequitur gesta Regis ad finem anni 1563 (d. 22 Dec.). Finit hoc modo: Sedan nu Claudius Collard hade bekommet för:de Slott och ſtad ihn, och Borgerne med underſåtherne hade ſworit och handgangit, och endogh derpå ſendt gißlen ifrå ſigh, tå gaf för:de Claudius ſigh til ſäkerheet, trodde wißerligen at ſamme Eeder ſkulle hollas. 6. *Olai Petri,* förſte Kyrkioherdes wid Stora Kyrkan i Stocholm, Swänſka Chronica. Exemplum mancum, quod initio anni 1303 deficit. 7. Wästeråhs Recess de A:o 1535 (idem videtur esse edictum, quod apud *Schmedemannum* l. c. p. 1 vocatur: Westerås Stadga af år 1528? ubi tamen nonnisi 18 articuli habentur, qui hic numerantur 23). 8 K. Johans Ordinantia om hoorſaker, bjurſkjutande ꝛc. *(Schmedem.* p. 67). 9. Hertig Carls — förnämſte beſwäringar emot några af dem ſom uti Riikſens Rådh hafwa brukade warit ꝛc. (Impr. apud *Werving* Bihang til K. Sigismunds och K. Carl IX Hiſtorier, p. 157). 10 K. Erich Magnussons (l. af Pommern?)

4 Artickar, ſom han och Riikſens Rådh ſtadgade i Stockholm år efter Gudz börd 1407 å S. Catharinae dagh. 11 K. Göſtaffs ſtadga med Riikſens Rådz och Ständernes beſlut i Wexiö, articuli X. (*Schmed.* p. 6 vocat Nyköpings recess, 1537). 12 K. Gustaf Erichsons Gårdzrätt d. 5 Mart. (*Schmedem.* p. 15 d. 16 Oct.) 1544. 13 K. Erich XIV:s Gårdzrätt. (Schmed. p. 34). 14 K. Carl IX Gårdzrätt. (Schmed. p. 95). 15 K. Magnus (Smeks) Gårdzrätt (vid *Hadorph* Bih. til Biärköa rätten, p. 8). 16 Om Cronones ägendom ſom henne blef tillagd uti K. Magni — tid, A:o 1282; de famoso illo Decreto Comitiali Helge Ands Holms beſlut. 17 Nakot om jordeſaker märſtiande; ignoti auctoris. 18 De varia ratione monetae Svecicae, ad annum usque 1482. 19 K. Johans Krijgz Artickar; jam indicati supra p. 109, n. 7. 20 Then Swenſke Sjörätt och Skips Artickar, uti Stockh. d. 20 Jun. 1570 — ſammanſatte, och af — Hertig Carl — förbättrade. 21 K. Carl IX:s Huuſe Syns ordning. 22 Förſpråk til Sweriges Lagh; qualem typis editam non memini me vidisse. 23 Annotationes quaedam Juridicae. 24 K. Gustaf Adolphs resolution och förklaring på de puncter ſom H. K. M:t äro af den K. Hofrätt öfwerantwardade. Stockh. d. 14 Jun. 1615 (*Schmed.* p. 163). 25 Varia scita et responsa juridica. 26 R. Gustavi Adolphi Privilegia Academiae Upsaliensi data, d. 25 Jun. 1625. 28 Een ny Regeringz forma, dat. Stockholm d. 3 Nov. 1660. (*v. Stiernmans* Riksdagars och Mötens beſlut ꝛc. II Del. p. 1340 sqq). 29 Riikſens Stadga ſom kallas Calmare recess, hwilken ſtadgad blef uti Calmar S:te Bartholomaei afton A:o 1483 (*Hadorph* p. 59).

Sequuntur Codices quos Bibliotheca nostra singulari munificentiae debet Illustriss. R. R. Senatoris L. B. *Caroli Hermelin* (cfr. supra § XXVII p. 90).

7. Codex chartaceus in folio, Germanice scriptus. Res continet Prussicas, ab anno 1511 ad 1529 gestas. Expensis iis quae de *Simonis Grunau de Tockelmit*, Monachi Dominicani, *Chronico* rerum Prussicarum typis nunquam vulgato, docet CRISTOPH. HARTKNOCH (Alt und Neues Preuſſen, Vorrede, fol. 8) illius partem esse operis credas. Polonis

favet auctor; Lutheranis infensissimus est. In *Tractatus*, ut vocat, opus suum dispescit. Argumenta Tractatuum XX, XXI exacte cum iis quae indicat *Hartknoch*, conveniunt. Sed dicit ille, Tractatus Chronici esse tantum XXII; noster vero Codex Tractatus XX—XXIV ostentat: ille opus a. 1521 Sigismundo I Regi Poloniae etc. dicatum esse dicit; noster codex res anni etiam 1529 persequitur. Fortassis igitur *Grunau* Chronicon suum postea continuavit; de quo judicent alii, quibus occasio ejus rei ac facultas commodior est. Quia rarus tamen Codex est, paullo contenta illius diligentius exponemus. Initium tale est: Der XX Tractat ſagt von der reſung zum krige von wegen der brueder auff den Konyng Sigismundum und ſeynes volkes yn Preusſen, mit allem vormege. Ipse deinde textus, filum narrationis hoc modo continuat: Brueder Wilhelm der do das lant regirte und war Marſchall. Diſſer Wilhelm graff vom Eyſenberge auff Konſperg im tage der heyligen konynge vorſamelte ſeyne brueder und ſprach: Liben Herrn, Got uns durch den unſchuldigen tot unſers erlauchten fürſtens unſern anſlag vorſtürt hat etc. Hic tractatus ad annum usque 1519 progeditur, et in Capita divisus est 28. Tractatus XXI:i inscriptio talis est: XXI Tractat ſagt vom krige genanth der Francken krig, von Francken yn ritten, yn fürten unde yn lange tzeit hertzlichen begerten, aber yn tzu cleynen fromen. Habet Capita 33. XXII Tractatus inscribitur: XXII Tractat ſagt vom ſtande des landes tzu Preuſen des Konyngs von Polen Sigismundi, des Homeſters Alberti, under der tzeit als ſy eyne unſeligen beyfride IIII iar lang mit eynander hatten, welcher beyfride erſt leben, gut und ſele vor dampte von neyde auff einander der obene genanten eynwoner. Res persequitur annorum 1521—1524; Capita 30 habet. Tractatus XXIII inscribitur: Der XXIII Tractat ſagt vom ſtande des landes als man nu ſich vormeynte eyn ewigen beſtendigen fride ein tzu ſetzen, dy ketzerey Lutheri tzu vertilgen etc. Annus 1525 complectitur Capita 21, et annus 1526, Capita 39. Tractatus XXIV inscribitur: Der XXIV Tractat ſagt vom ſtande des landes tzu Preuſen als es nu war under ſeynen namlichen und urſprunglichen einigen Herrn den Herrn Sigismundo, Konynge tzu Polen.

Habet Capita tantum 12, sed in fine mutilus est, plurimaque folia chartae purae volumina adjecta conspiciuntur. Lectu codex facillimus non est, nec scriptionis aut chartae nitore commendabilis. Caput 21 anni 1526, his inchoatur verbis, quae quia ad Patriae nostrae res pertinent, adponenda judicavi: So woren auch yn Dantzſka (Dantisci) konyngliche botſchaft von Schwedynn, und diße brochten beweys wy dy cron von Polen ir (Dantiscanorum) beſchütz Herre were, und der dinge vil, und begerten von K. M. von Polen dy Dantzſker wulten ſagen ob auch y dy Schweden widder dy cron von Polen gethan hetten yn allen krigen dy man auf ſi gefärt hette. Dy Dantzker ſprachen neyn, und ſy es nit funden noch wuſten von yn. So hub der legat des Konyngs von Schweden an und vortzelete dy groſe ungetrew der von Dantzk, wy ſy mit yn gehandelt hetten ym vorgangenen krige den der Konyng von Dannemarg auf Schweden gefürt hatte, und ſolche dinge vile. Sunderlich ſy clagten und dy Schweden mit groſer muhe und unkoſt hatten eyn ſchiff von Lubeke abgefurth mit haken, hautbuxen, pulwer und kugeln mit andern krigis gewer, yn koſtende XVC thauſent gulden reyniſch, welches yn hetten genommen dy Dantzker an alle entſagung und tzu vorſchen eyne ſolchen und es gepartehet hatten. Uber welches man bete eynen restitucion umb der gerechtigkeit willen. Und K. M. von Polen ſich mit den ſeynen wol und lange bedacht und ſprach den Schweden tzu funftzig tauſent gulden reyniſch ym iare tzu geben.

8. Volumen chartaceum in Folio, nitide scriptum, continens partem *Historiae Polonicae* JOHANNIS DLUGOS s. LONGINI; acta nempe annorum 1407 (secundum ordinem nostri Codicis 1406) — 1444, aut particulam Libri X, Librum XI integrum, et partem Libri XII. Finit ubi Tomus prior Editionis Lipsiensis anni 1711; cum qua de caetero codicem diligentius conferre non vacavit. Neque Auctoris nomen usquam comparet, nec titulus libri; nisi quod operculo impressum legitur: *Tercia Pars Chronice Polonice.*

9. *Tractatulus contra Cruciferos.* Codex membranaceus in *Quarta* forma, foliis constans 55, nitide scriptus. Initium tale est: *Serenissimo Principi et domino Kazimiro*

dei gratia Regi Polonie Ericus Sbignei de Gora humile obsequium salutesque plurimas dicit. Qui auctor mihi ignotus est. Regem vero recte ac pie bellum contra Cruciferos gerere, nec ab eo persequendo consilio se abduci, quorundam dubitatione et objectionibus, pati debere, rationibus et testimoniis demonstrat e S. Scriptura, Patribus Ecclesiae et Jure Canonico petitis; fraudesque et injurias explicat quibus Prussiam Equites Cruciferi suae ditionis fecerint Polonosque saepe graviter laeserint. Conclusio autem est hujusmodi: „His igitur scriptis finem imponere cupiens, „supplico Serenissime Majestati tue Rex gratiosissime, ne „quis scribat sed quid scribatur, attendas. Verum tamen „hec scripta dominis et patribus meis decretorum doctori„bus, et signanter venerabili viro Johanni de Dabrowka „sacre theologie decretorumque doctori eximio fautorique „meo gratioso, corrigenda submitto. Ceterum allegationes „juridicas hic expresse posui, non curans breviationes do„minorum in facultate juridica scribentium, cupiens ut eo „facilius per quemlibet legentem intelligeretur. Explicit „tractatulus contra Cruciferos Regni Polonie Invasores." Ex quibus omnibus et consilium et aetas auctoris satis patent.

10. ANNEI LUCII SENECE *ad Lucilium liber de questionibus naturalibus.* Cui subjuncti sunt: *Annei Lucii Senece Libri ad Novatum, Senecam, Meli* (Melam) *filios, declamationum.* Codex membranaceus in Folio, eleganter scriptus. Aetatem codicis subscriptio indicat: *Annei Lucii Senece declamationes expliciunt scripte Constancie tempore Concilii generalis sub anno domini 1418.*

Naturalium Quaestionum opus in Libros VII, ut edita exempla, divisum est. Liber I (qui hic inscribitur *de metrologicis impressionibus ignitis)* et II *(de tonitruo et fulgurationibus)* nihil ostentant a vulgari ratione diversum; sed III:o Libro *(de aquis frigidis vel calidis)* subjicitur sectio peculiaris, hujusmodi rubro distincta: *Incipit de grandine.* quae continet IV:ti Libri, qui vulgo numeratur, caput 3 et seqq. ad finem libri. Libri nostri Codicis IV, *(de ventis)*

V *(de terrae motu)* et VI *(de cometis)*, sunt editorum exemplorum V, VI et VII; nostri VII:us continet Praefationem atque Cap. 1 et 2 Libri IVti editorum, ac inscribitur: *Quare Nilus crescat estate.* Neque optimae caeterum notae Codex est, a librario indocto scriptus; qui de libro vel intelligendo vel emendando sollicitus haud fuit.

Quae *Declamationes* Senecae in Codice nostro vocantur, *Epitomen* esse reperi sive *Excerpta ex X Libris Controversiarum M. Annaei Senecae;* quibus excerptis Prologi Librorum I, II, III, IV, VII et X suis locis inserti sunt.

11. *M.* Tullii Ciceronis *ad Quintum fratrem de Oratore Libri III.* Codex chartaceus, eleganter scriptus, Folio. Etiam hujus codicis aetatem librarius adnotavit, hac adjecta rubro sententia: *Scriptus Bononie anno Dominicae incarnacionis millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo.* Levasu. Fini subjectum legitur: *Ex porta sanctii felicis Bononie.* Turpissimis etiam hoc exemplar mendis foedatum, pro more, reperitur; Charta firma et pulcra exaratum.

12, 13, 14. *Ejusdem M.* Tullii *Orationes* plerasque complectuntur superstites. Codices membranacei, in Folio. Literarum forma et ductus, paullo licet negligentiores nec lectu aeque faciles, Codici X supra descripto, aetate suppares esse indicant.

Primum volumen Orationes continet: *de Provinciis Consularibus; pro P. Quintio; L. Flacco; P. Sextio; Cn. Plancio; Archia Poëta; post reditum in Senatu* habitam; quam *antequam iret in exilium* habuisse fingitur; pro *L. murena; A. Cluentio; in Vatinium; Q. Ciceronis libellum de petitione Consulatus* ad M. fratrem, et *Librum de Synonymis ad L. Veturium,* Ciceroni falso attributum.

Secundo volumine continentur: *Epistola* (s. Declamatio) *ad Octavium,* qua Remp. oppressam ipsi exprobrat, Ciceroni male tributa; *Ciceronis Epistolae II ad P. Lentulum* (Epistolar. ad diversos Lib. I Epist. 1 et 9), posterior tamen initio truncata; Orationes *pro Roscio Amerino, Rege Dejotaro, Q. Ligario, M. Marcello, Lege Manilia,* quae hic inscribitur: *pro imperio Pompeji contra Mitridatem)* pro *T.*

Annio Milone, ad Quirites post reditum (initio trunca), *pro P. Sulla, pro Domo sua ad Pontifices, pro M. Caelio, pro L. Cornelio Balbo, in Vatinium, de Haruspicum responsis.*

Tertium volumen exhibet: *Orationes Philippicas I, II, III, IV, V* (capita tantum I—II, ac initium capitis 12, cui assutum est Orationis Phil. VI:tae caput 7 sive ultimum, hoc etiam initio mutilatum), *VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIII, XIV; in L. Catilinam I, II et III:m; in C. Sallustium Crispum Responsio*, Ciceroni falso attributa; *C. Sallustii* (suppositicia) *in M. T. Ciceronem oratio.*

Ex his tam novis codicibus, post tam acrem in scripta Ciceronis repurganda insumtam diligentiam, criticae opis ad ea porro emendanda sperari nihil posse, facile intelligitur: qui aliis tamen nominibus, criticae ac litterariae rationis cognitionisque studiosis et curiosis, utilitate carere et pretio eximio haudquaquam videri debent.

15. Francisci Petrarchae, *Poëtae laureati, quorundam clarissimorum heroum epythematis* (Epitome), *ad Generosissimum Patavi Dominum Franciscum de Carraria.* Vitas continet virorum XXIII illustrium (XIV tantum habet Hamberger Zuverläßige Nachricht. etc.; mihi exemplum aliquod typis expressum l. hujus l. Omnium Operum *Petrarchae* inspicere ac cum nostro codice comparare, non contigit); quarum quae postremo loco comparet, *Historia C. Julii Caesaris*, reliquas omnes junctim sumtas mole superat.

Subjunctum est opus Johannis Boccacii *de Certaldo, de Casibus virorum* (et foeminarum) *illustrium* (Libri IX), *ad generosum Militem Dominum Machinardum de Cavalcantibus de Florencia, preclarum Regni Sicilie Marescallum.*

Codex Membranaceus in Folio majore, eleganter scriptus. Opus utrumque hominibus eruditis non incognitum est; quamobrem plura addere nihil attinet.

16. *Moralia beati* Gregorii (Magni, Papae) *super* (librum) *Job, in XXXV Libros conscripta.* Codex membranaceus, non ineleganter scriptus, in Folio. Praemittitur *Registrum* Alphabeticum (sed altera dimidia parte mutilatum), et Series Capitulorum quibus singuli Libri constant,

nec non *Visio que per totam Hyspanniam scripta invenitur in principio Moralium beati Gregorii Pape.*

17. Idem Opus. Codex chartaceus, in Folio majori; literis initialibus Librorum singulorum, (maxime Libri primi), pulcherrime pictis; non male scriptus, licet ob compendia scripturae frequentia, lectu non facillimus. Praemittitur *Visio* doceus *qualiter Moralia b. Gregorii venerunt in Hispaniam.* Subjungitur Index locorum singulorum S. Scripturae in opere explicatorum, secundum ordinem Librorum Sacrorum dispositus, et duplex index Alphabeticus materiarum explicatarum. Ubi textus finit, adscriptum legitur: *Moralia .... scripta in Lipzk feliciter.* Registri materiarum prioris fini adjecta haec sunt verba: 1468. *Gregorii scripta Praesulis moraliter dicta, Sunt nunc depicta, Pecunia nulla relicta. Anno LXVIII.* Concinit subscriptio secundi registri. Operculo autem voluminis adscriptum reperitur: *Liber Magistri Thome Wernheri de braunszbergk. In studio Lipzensi comparatus anno D:ni 1468.* T. W. d. B.

18. Codex membranaceus in 4:o, continens:

1. *Memoriale Reverendi Patris D:ni Jacobi de Columpna, Sancte Marie in Vialata Diac. Card. de Praerogativa Romani Imperii.* Ita rubrum habet. Auctor hic, sive ipse *Diaconus Cardinalis*, sive ad *Diaconum Cardinalem* sanctae Mariae in Vialata scribens, (mihi enim non constat: posterius inde colligas, quod in Praefatione aliquem magnae in Romana Ecclesia dignitatis virum scriptor submisse alloquitur; prius inde, quod dicat nomen se in rubrica expressisse suum), libellum JORDANI, quem *Canonicum Osnabrugensem* appellat, *de Praerogativa Romani Imperii,* vel operi suo inseruit, vel totum exscribens nihil ipse praeter brevem addidit praefationem. Nam neque *Jordanus* hic notus mihi est, neque opus suum: nisi idem ille haberi debeat qui *Jordanes Teutonicus vel Argentinensis vel de Saxonia* dicitur JÖCHERO (Allg. Gelehrten Lex.), quemque Eremitam Augustinianum Argentinensem fuisse docet, sub finem seculi vixisse XIII:i, et opusculum scripsisse *de translatione Romani Imperii ad Germanos;* quod sane argumentum in no-

stro etiam codice tractari reperitur, cujus auctor tempore Imperatoris *Rudolphi Habsburgici* se vixisse ipse praeterea testatur. Ex Praefatione haec adponam. „Mentes hominum „divinis informate virtutibus, omnem arroganciam et omnem „adulacionem naturaliter despiciunt; propter quod ut in „presencia vestre Dominacionis, sancte Pater, ego humilis „et penitus inexpertus arrogancie vicium declinem, nulla„tenus, etiam si scirem, intendere vellem ornatis sermoni„bus in hoc scripto, simplici narracione contentus. . . . . „Et ideo Paternitatis vestre benignitas, quam non simula„toris demulcet fallacia neque narrantis provocat simplici„tas, non personam sed affectum scribentis respiciat, mee „indulgens imperfectioni et audacie, quem amoris impati„encia et zelus domus Dei tacere non permittit. Melius „enim puto ineptum aliquod vel incompositum promere, „dum tamen verum sit et utile, quam velud canis mutus „nichil loqui, ... Preterea, reverende Pater, ego superius „in rubrica nomen meum exprimo, non ad ostentacionem „vel jactanciam, ut quidam assolent, sed ut cognita scrip„toris impericia, scripto fides adhibeatur duntaxat quatenus „constiterit ex ipsa rei evidencia vel ex scriptis autenticis „auctorum.“

„Nuper itaque vacante —[20]) sede per mortem sanc„tissimi patris Domini nostri Pape[21]) tercii, dum ego in„dignus peccator in civitate Viterbiensi sacramentum cor„poris et sanguinis Domini nostri Jesu Christi conficerem, „habui pre manibus librum michi utique ad hec de capella „Romani Pontificis commodatum, et cum ad illum locum „canonis pervenissem, ubi sancta Ecclesia Katholica orare „consuevit pro Antistite et pro Rege ac aliis orthodoxis, „memoriam quidem inveni Antistitis, ut oportuit, sed Regie „dignitatis memoriam non inveni; neque hoc casu vel scrip„toris negligencia factum esse arbitror, cum eundem defec„tum in libris religiosorum et secularium clericorum alias

---

[20]) Deest vocabulum; forte *Apostolica?* vel *Romana?*
[21]) Nomen excidit.

„tam in urbe quam extra, similiter invenissem. Quo ipso „vehementer obstupui, qualiter olim dum auferendum esset „vetus sacerdocium et novum inchoandum, illi qui tunc „esse debuerant peculiaris Dei populus, videlicet Judei et „eorum summi sacerdotes, ad eam devenerant demenciam, „ut peccatis exigentibus in passione filii Dei veraciter pos„sent dicere, Regem non habemus nisi Cesarem; eodem „modo timui et timeo, quod cum Romana Ecclesia ad eum „statum pervenerit, ut etiam possent dicere, Regem non „habemus nisi Pontificem, tunc talis tribulacio ventura sit „in clericis, qualem antea venisse cognovimus in Judeis. „Sed tutius puto esse tacere, quam de hac materia plura „loqui. Unum tamen audeo adjicere, quod idem Deus qui „creavit celum, creavit et terram; .... Et quemadmodum „Romanorum aquila una non volat ala, sic et neque Petri „navicula inter hujus seculi procellas et turbines uno remo „ducitur in directum; et columba que tantum unam habe„ret alam, non solum avibus celi, sed etiam bestiis terre[22]). „Nullum siquidem animal monstruosum ordinatam vel diu„tinam vitam habet. Hinc est quod ego quamvis penitus „inscius et inexpertus, cum verecundia et tremore offerre „presumo dominacioni vestre, sancte pater, quoddam scrip„tum viri doctissimi et venerandi Magistri *Jordani* Canonici „Osnaburgensis, quod ipse ad peticionem quorundam ami„corum suorum, de prerogativa Romani imperii edidit, orans „et deprecans dominum Jesum, ut in persona vestre pie„tatis et mee parvitatis officium habeat versiculus ille in „quo propheta orat dicens: jocundum sit ei eloquium meum, „ego vero delectabor in Domino."

Liber ipse *Jordani*, hujusmodi habet initium: *Multifarie multisque modis Dominus universorum in diebus sue carnis dignatus est honorare Romanum imperium*, etc. Post sex folia perlecta, haec offendas verba: „*Caveant ergo Ro„mani et eorum Pontifices, ne peccatis et culpis exigentibus,*

[22]) Deesse quaedam verba, patet; *praedae cedit*, vel tale quid.

„*justo Dei judicio imperium ab ipsis auferatur. Caveant* „*nichilominus Presules et Principes Germani, ne ipsi per am-* „*bicionem temporalis potestatis jura sibi et possessiones im-* „*perii vendicent et usurpent . . . . . Verum necesse est quia* „*tantus ardor dominandi cor eorum excecavit, ut nec facere* „*velint veritatem quam noverunt, nec ab aliis audire quam* „*ignorant, sicut scriptum est: Oculos habent, et non vident,* „*aures habent, et non audiunt etc. Explicit Tractatus Ma-* „*gistri Jordani.*“ Quae igitur sequuntur: „*Sunt quidam hu-* „*jus temporis Clerici et laici subditi et prelati, qui annales* „*principum et gesta veterum ignorantes, et Gallicorum Ger-* „*manorumque, Francorum et Francigenarum originem . . etc.*“ videntur auctoris esse ejusdem qui Praefationem scripsit; nisi verba ista: *explicit Tractatus M. Jordani* male huc irrepsisse credas; qua de re judicent, qui hos auctores ac libros rectius cognoscunt. Bina praeterea loca adferam, auctoris ejus qui porro disputare pergit; unum, unde aetas sua elucet: *Novissime autem diebus istis, postquam imperium quidem per annos XXXII vacaverat, visitavit Dominus plebem suam et suscitavit ei Principem serenissimum Dnum Rudolfum de hafxborg Comitem, in ejus electione concordi et coronatione sollempnissima . . . . sed ego ad describenda hujus victoriosi Regis magnalia manum retraho, quum ad hoc me insufficientem penitus recognosco. Ex predictis ergo omnibus manifestum est, quod sicut Ecclesia Romana est ecclesia Dei, sic utique regnum Romanorum est similiter regnum Dei.* Alter locus Praesulum Germanorum secularem potestatem praeclare sc. ita tuetur: *Presules siquidem Germanie non sunt illius vicarii qui relicta sindone nudus aufugit, sed sunt ejus vicarii qui dixit: Domine, paratus sum et in vitam et in mortem tecum ire. Et in tempore tribulacionis eduxit gladium, et amputavit servo principis auriculam, ut ostenderet quod ei caput libentissime amputasset. Ergo licet ipsi aliquando ad vocem ancille negent Christum, tamen frequenter resurgunt ferociores. Nichil enim inordinatum in opibus creatoris, et sicut est tempus pacis et tempus belli, sic etiam sunt homines ad pacem et homines ad bellum deputati.*

Finit liber hoc modo: „Deus autem omnipotens, cujus providencia corpus ecclesie disponitur et regitur, ita dignetur secuudum suam voluntatem Regnum et Sacerdocium reformare, et reformata concordare, ut pacem habeamus diebus nostris, et sancta ecclesia et fides Katholica dilatetur et crescat ad laudem et gloriam nominis sui, qui est benedictus in secula seculorum Amen." Ex quibus omnibus, et ingenium et consilium auctoris, (commemoratu hoc sane haud indignum), satis intelligere licet.

2. *Sumpta ex libris illustris viri et clarissimi oratoris Egesippi historici.* Orationes nempe, ex *Hegesippi* qui circumferuntur *V Libris de excidio urbis Hierosolymitanae* excerptae; brevi passim interjecta, ad eas rectius intelligendas, rerum gestarum de quibus agunt, expositione. In fine collectionis hujusce legitur: *Egesippi illustris viri et clarissimi oratoris hic libellus historiarum de bello Judaico, sive de excidio urbis, elegantissimo stilo Rhetorice, primo ut quidam putant verisimile, Graja lingua conscriptarum, postmodum per beatissimum Ambrosium Mediolanensem, propter Orationum scema, in nostri sermonis latini usum traductarum extracta et enucleata pars est, quam rethorice amator solerti scrutinio perlegas, inibique omnis resis practicam reperies etc.* Quae consilium scriptoris abunde illustrant. Codex non male scriptus est, licet abbreviaturis pro more scatens frequentissimis, lectu non facillimus reperiatur.

19. *Pontificale,* sive ordo rituum quos in officio suo obeundo Episcopus, ex more et decretis Ecclesiae Romano-Catholicae observare debet. Codex membranaceus, in folio, eleganter scriptus, ac figuris necessariis, margini adpictis, ornatus. Addita sunt excerpta quaedam ex *Pontificali Romano;* et in *charta* adnexa, de *Consecratione electi in Episcopum,* hujus caerimoniae ordo accurate traditus exhibetur.

20. Tidemanni Gisii *de Regno Christi Libri III.* Codex chartaceus in folio, nitide scriptus, sine abbreviaturis, recentiorique literarum forma exaratus. Auctor ignotus mihi est; qui pariter nescio, an opus hocce in lucem unquam prodierit publicam, cui nec destinatum adspiciendae,

certo quidem consilio, fuisse, auctor innuit. Historiam quandam exhibere administratae oeconomiae salutis, atque plenum ita simul quoddam totius doctrinae Christianae systema, apte congestum concinnare, hoc opere instituit; quare *summam doctrinae christianae, ordinem dispensationis divinae*, ac *veluti corpus historicum, quo ratio Christianae pietatis tota constet*, sese tradere, ipse passim significat. Liber I capita habet 72, II:s capita 62, III:s capita 54. Argumenta capitibus singulis praemittuntur, quae *ita sibi cohaerere* in praefatione auctor monet, *ut si contextim legantur, totius operis reddant epitoma.* Praeter diligentem praemissam operi *Praefationem*, ac in fine subjunctam *Perorationem*, adjecta etiam occurrit longior *authoris* pro his libris suis *Proclesis*, egregie adornata, perlectuque dignissima. Totum opus auctorem prodit ingenii acuti, elegantis et liberi, doctrinaque pulcre culti; sed linguarum tamen sacrarum non satis locuplete adjutum peritia. Reformationis vixisse seculo, ac religioni adhaesisse Romano-Catholicae, verum liberaliter, et judicii etiam proprii usu sibi reservato, apparet; peculiaribus etiam quibusdam, sed modeste, indulsisse reperias, opinionibus. In Paradisi descriptione Mosaica, allegorias quasdam quaerit; de Persona Christi sententiam fovet ad Arianismum inclinantem etc.

Codex noster in auctoris ipsius fuisse possessione videtur; quod emendationes docent atque additiones, alia quidem manu, sed sibi ubique simili, passim adscriptae et adjectae, in quibus auctoris ipsius curam cognoscas et diligentiam.

Non permittunt ratio limitesque instituti, ut diligentius librum recenseamus; quaedam tamen, e Praefatione, Peroratione ac Proclesi, quae auctoris et consilium, et ingenium, et doctrinae rationem cognoscenda praebeant, excerpere visum fuit. De forma igitur vulgaris, suo tempore, Theologiae, in Praefatione dicit: „Quo magis perspicuum fit, quantum praestiterit ignorare quam didicisse vulgarem illam nostrorum temporum theologiam, omnia in cortice duntaxat, nihil non carnaliter tractantem, etiam si de pe-

nitioribus Evangelicae doctrinae quaestionibus sit sermo: quid enim nisi carnale est quod humanae philosophiae magisterio est subnixum? taceo quod gloriae, jurgationi, ventri plerumque servit". De suo autem consilio ita loquitur: „Quando igitur ita mihi persvasit studiorum cupido, ut Christianam ordirer ac texerem historiam, tractandi haec est ratio instituta, ut percontato primum regno carnis et peccati, deinde investigetur Christi in illo abolendo consilium et potentia; demum et fructus triumphati peccati, et regnum Christi in fidelium ecclesia — consideretur. — — Si cujus igitur in manus haec mea fors venerint, hunc admonitum volo, meae exercitationis gratia duntaxat, non publico usui, chartis illita esse: etc.".

Peroratio, digna est, quae tota adscribatur: „Simne assecutus cujus gratia ingens hoc opus institui, nescio. Certe fructum hunc ista exercitatio mihi peperit, ut Christianismus ceu in unius corporis imagine se mihi exhibeat majestate incomparabili, dignitateque longe praestantissima. Ut enim membra singula discutias, origine nihil habes divinius aut sacratius, authore nihil praestabilius aut sublimius aut incorruptius, consilio nihil justius, aut sapientius, aut efficacius, fructu nihil clarius aut optatius, praeceptis nihil gravius, aut honestius, aut sanctius, aut integrius, aut absolutius, officiis nihil amantius aut innocentius, cultu nihil religiosius aut pientius, aut simplicius, usu nihil incontaminatius aut liberalius, aut magis invictum: ut vel hoc nomine possit ac debeat Evangelium omnibus qui audiunt, etiam quamlibet rudibus et deo carentibus persvasibile esse, nihilque possit orbi utilius aut salutarius conferri, quam syncera Evangelii anunciatio. Mihi vero haec omnia perlustranti, si vera et recta sunt quae scripsi, ad istum studiorum meorum proventum etiam hoc accessisse video, ut jam de vita quoque ad hanc formam instituenda curandum mihi magnopere sit: ne testimonium contra me habens propriae confessionis, audiam in me jaci sententiam Domini: servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non se praeparavit, nec fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis

(Luc. XII). Si vero Deus qui virtutem aspiravit hoc opus ad finem perducendi, etiam facultatem donaverit, ut mores scriptis respondeant, et ipse mihi fiam recte vivendi praeceptor, etiamsi praeterea nemo haec mea legat, arbitror, quod de se *Firmianus, Divinarum Institutionum* opus etiamdum parturiens dixit, posse me quoque optimo jure affirmare: satis vixisse, et officium hominis implesse". Pietatem haec auctoris pulcre demonstrant.

In *Proclesi* id agit, ut librum suum, ac propositam in iis doctrinam, contra insultus accusatorum, quos, aut metuebat aut praevidebat fore in sentiendi ac scribendi libertatem qua usus fuerat, acriter invecturos, tueatur. Digna sane haec etiam est, quae, longior licet (utpote paginas implens XX), luci tota committatur publicae; adeo pulcra sunt, quae de vera Theologiae magis magisque excolendae ratione, atque de naevis et tenebris Theologiae Scholasticae, totiusque superstitionis Papisticae, disputat.

Nos quaedam excerpsisse, quae ad nostrum maxime faciunt institutum, contenti erimus. Initium igitur sic habet: „Ut sunt hujus nostri seculi mores, quo nihil manet curiosulis quibusdam impervestigatum, suspicor futurum, ut quae ego intra tablinum scripta solis laribus dicavi, eorum subeant ungues, qui cum nihil ipsi studiis conferant, in aliena quaecunque dentem acuunt, minimeque expenso scriptoris consilio aut argumentorum rationibus, satis habent si Momos tantum aut Hipponacteos censores egerint, ac carbone notarint omnia. Quibus non sunt humaniores, qui cum quaecunque neoterica sunt ita fastidiant, ut ne legere quidem dignentur, tamen si quando inaudierint prolatum in his quippiam, quod ipsi vel non didicerunt, vel in suis quibus addicti sunt authoribus secus legerunt, vel cum vulgari usu vident non conspirare, mox obelo jugulandum pronunciant, ac calumniandi facilitate tanquam haeretica insectantur: adeoque omnem novitatem respuunt, ut ne judicium quidem adhibendum putent his, quae a doctissimis quoque viris jam inveniuntur traduntur ve, antea vel non perspecta vel minus expensa, vixque ferant ea quae ipsi quoque sentiunt, ter-

siori oratione enarrari, aut rationibus acutioribus confirmari, quam ipsi consverint, ac prope jam tutum non sit, illis inspectantibus, libellum emunctiorem, aut typis elegantioribus excusum, aut novo artificio accuratius compaginatum, manu gestare. Ab horum mihi supercilio neutiquam cavi, quum chartis commendarem quae fueram meditatus: quippe qui privatorum studiorum conscientia nihil minus tum conjiciebam, quam haec mea exercitamenta publicum esse judicium aut praeclarorum ingeniorum manus subitura: etiamsi in his quaedam ita scripta videri possunt, ut docentis aut concionantis phrasim referant. Donandum est hoc ut pleraque alia studiorum eventui. Tametsi enim ad lectoris stomachum minime me compararem, suadebat tamen interdum vel exercitationis cura, vel imitatio eorum quibus legendis adsueveram, vel quod ita convenire videbatur explanandis argumentis in quibus laborabam, ut ejusmodi loquutionum schematibus uterer quae in hoc studiorum genere, ne effectantibus quidem ac non admodum incalescentibus, sese ultro ingerunt. . . . Sunt nostro seculo viri eruditissimi, et ii nequaquam glossogastores, quorum scripta leguntur audiunturque non sine veneratione ab ecclesiae summatibus et monarchis, a summis theologis et Academiis, ac toti ferme orbi ut miracula quaedam suspiciuntur: solis istis morosulis aut haeretica aut offensiva sunt. Ad hos tam claros quis sum ego, qui possim omnium calculis probari et extra teli jactum esse? . . Ut enim ingenue fatear, mihi ob collidentium Doctrinarum fluctuantem hoc tempore varietatem in hoc opus adducto, exacta cura non fuit percontari, quid a quovis scriberetur vel doceretur, quid vetus quid novum esset, quid vel Pontifices statuerint, vel theologorum scholae decertarint, quid cui probaretur sectae: quin potius ab his tamquam controversis (in quibus videbam pro sua quemque parte digladiantes humanum quiddam pati, vixque in alio jam laborari, quam ut quisque in suis tuendis valde argutus ac invictus habeatur) integrum me ad sacrarum scripturarum simplicem philosophiam contuli. In his si quid piorum sensuum me assequutum existimabam, quod simplicita-

tem illam vere Christianam spiraret, id curavi citra novitatis solicitudinem in chartas excipere: non quod in iis jam conquiescerem ingenii mei confidentia, sed ut siquando mihi Aristarchus quispiam contigisset, integrum esset ad Catholicam regulam omnia exigere, ac quae forte idonea non essent, limae subjicere doctiorum. Quamquam quod ad novitatem attinet, puto neminem qui haec mea legat, non statim esse perspecturum, me priscis delectari, ac vetustatis adeo esse observantem, ut nulla re magis offendar quam rerum intempestiva aut indecora novatione, nihil impensius insecter quam discessionem a veterum majestate. Quod si forte reperiantur in meis lucubrationibus, quae possint nova videri: qualia sunt quae *de Christi natura ante omnes creaturas creata, de semine Davidico, de serpente suasore, et caeteris Paradisi allegoriis*, item *de Christi tentationibus, lapsibus et carnis humilitate, de sanctorum spirituum requie*, sunt a me disputata; si ipsa non pugnant cum Catholicis veterum dogmatibus, si et pia sunt, si ostendo scripturas eos sensus vel obvios vel inevitabiles facere, quis jure reprehendet studium investigatoris? quis mea esse somnia pronunciet?" Quae ita persequitur, ut non dubitare se dicat, quin ab uno alterove superiorum Ecclesiae doctorum eadem observata expositaque dudum fuerint, si vel maxime in paucis illis quae hodie, post tot strages, supersint veterum reliquiis, non inveniantur. Illam autem bonarum literarum cladem, cum caussis suis, describens, inter alia dicit: „Quin plus etiam momenti ad obliterandas vel potius extinguendas omnes liberalium studiorum disciplinas habuisse arbitror illam oscedinem et quasi lethargum cultioris literaturae, ac sordes quasdam ingeniorum, quas hominum moribus inter illas tumultuantis orbis procellas irrepsisse cernimus, dum non solum caeteris linguis nullus est honor servatus, sed etiam ipse inter Latinos prope elinguis factus est Romanus sermo, ut qui doctissimi habiti sunt, affectasse videantur balbutiem atque infantiam quandam: tum et omnium disciplinarum pristina ingenuitas in putidam quandam atque exoticam obscuritatem ita descivit, ut sophistica scabie et fabulosa qua-

dam anilitate etiam quae in his bona sunt, respersa conspurcataque videas, ac prope nihil suae relictum indoli: idque non in Theologicis solum studiis, in quibus contemni posse orationis lenocinia et generositatem omnem plerisque persvasum est, sed etiam in civilibus disciplinis, in Medicinis, in Juris scientia, in Poëticis, in ipsis denique Rhetoricis et politiori literatura: in quibus qui per id tempus scripti sunt libri, si cum priscorum libris conferuntur, caries quaedam et mucor, vel calamitas potius pristinae dignitatis videri possunt: ut plane repuberescere videatur hac nostra aetate bonarum literarum eruditio, ac antiquitatis quaedam imago postliminio in orbem reduci, non solum imitandae pristinae synceritatis studio, sed etiam aemulatione ingeniorum, diligentia, assiduitate, solertia, candore, facultate. Quibus rebus utcunque nunc pensari videtur literarum et librorum illa clades, ac priorum temporum corrigi veternum". Paucis interjectis, ad amoliendam a se temerariae novitatis invidiam, ac libertatem tamen ingenii honestam defendendam, addit: „Studium meum fuit, non nova cudere, sed veros majorum sensus ex Scripturarum adytis, veluti ex Sibyllae antro folia recondita eruere, ac ipsam veterum synceritatem a putidae novitatis feculentia vindicare. Et ne quis me novum Daedalum suspiciat, licebit fortasse, si retulerit, authores indicare non contemnendos, quorum in his authoritatem sim sequutus, tametsi in ipsis citandis non est mihi sumpta opera, ne quum opinionum certamina fugere me ostendo, cujusquam viderer sententiae esse addictus. Sed quur adeo novitatis nomen detrecto? quasi infame sit invenisse aliquid quod fugerit superiores, vel scripsisse quod ab his non sit adscriptum aut traditum. Mihi nihil hic attribuerim, sed tamen communem Ecclesiae libertatem non patiar perstringi. Docet Apostolus dotes esse aliis alias, ex membris diversitate donorum distantibus compingi corpus Christi, nec haberi id consummatum donec grandescat ad plenitudinem quae sit viri perfecti. In his tantis rebus, quis hoc Christi corpus praejudiciis concludat vel temporum vel locorum vel personarum? . . . . . Nam quod nihil de-

fuisse dicimus Ecclesiae quae tempore Apostolorum erat, inde est quod fide flagrante et in simplicitate sensuum omnia supplente, nulla alia indigebat doctrina vel institutione ad pietatem, quin constaret sibi. At nunc ubi simplicitati non parum decessit, et pro illa amatur argutia, exquiruntur que ad vivum omnia, non vel hic facessit spiritus sanctus, quin homines quospiam illuminet sapientia et solertia, qua possint quae desunt fidei simplici, argumentorum certitudine et doctrina nova pensare, ac fulcire quod fide est infirmum, sicque Ecclesiae corpus confirmare, atque ita si non iisdem, saltim paribus dotibus invicem succedentibus aut accumulatis, sibi constet Ecclesiae illa perfectio, ne quid in ea fatiscat. . . . . At nunc adeo sunt in hac parte critici, qui vel rem Ecclesiasticam moderantur vel Academiarum sunt principes, ut sicubi vel scripturae citandae sint, vel de Ecclesiasticis dogmatibus aliquid proferendum, ne a verborum quidem filo discedere quemquam absque incussa censoria virgula patiantur, ac quamvis iratis Musis ac Gratiis omnibus, sua tueantur quorum salivam imbiberunt. Hi quum videant totum ferme orbem sordes ipsorum pertaesum ad cultiora spectare studia, ac syncerioris doctrinae adpellare antiquitatem: quum in prospectu sit, esse nunc undique qui insolenti quadam libertatis affectatione omnia misceant tumultibus ac ipso faciant Euripo perturbatiora; quum denique sciant quadam ingeniorum concitatione et immodica fortasse studiorum aemulatione, nullum non Evangelii locum in nullam non incudem hodie rapi ac in Paradoxi morem excuti, tamen in hoc volunt Herculei Catonesque videri, quod assuetis perpetuum inhiantes nullo decedant loco, ad nihil conniveant, in nullius eant sententiam, nihil ferant immigrare aut expolitius aut recens natum, aut sibi non exploratum: spongiarum vero more suis inhaereant quibus innati sunt petris, quod sciant non minus etiam exitialiter se quam ipsas spongias a suis avelli sedibus, quibus non habent meliores, quodque ipsis parum decorum videtur suam gloriam, forte etiam suum quaestum, cedere nuper natis hominibus. . . . . Vomicam ipsam tetigeris, si

audeas sensum etiam proferre (*n. e S. Scriptura*), a recentioribus scholasticis vel non adscriptum vel secus intellectum, tum si a summulariis et consarcinatoribus quibusdam, qui circulum ecclesiasticae doctrinae complesse putantur, alicubi dissentias; maxime vero si ab usu vulgo receptorum vel longius exeas vel te cohibeas alicubi: nam hoc interpretantur novatores et scandalosos esse, ac a decretis et observantia universalis Ecclesiae discedere. An novator est, qui a nuper ortis necdum confirmatis ad veteres orthodoxos, Tertullianum, Cyprianum, Origenem, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, provocat? An scandalum est a Philosophastris et superficiariis disceptatoribus ad pacatiorem disciplinam Evangelici spiritus, ipsamque simplicitatem Apostolicorum sensuum, adeoque ad homines hoc spiritu plenos commigrare? ab obsoletis quibusdam et ligneis ceremoniis ad Evangelicum gnomonem et divorum exempla transferre vivendi usum et instituta? Quin potius novitatem vocant quae ipsi comminiscuntur indies, vel a sui similibus commenta mordicus tenent, ne suspicata quidem majoribus nostris? Quorum quis non horruisset illas sophisticae Theologiae spinas, vel ipsum potius Aristotelem theologissantem? quis ferre potuisset ineptientes Catholicones, Mametrectos, Isidoros et alios hujusmodi tenebriones? quis non statim fugisset e templo, auditis tam insulsis vanissimorum hominum poëmatibus et cantionibus, ac quae illic recitantur divorum gestis, ita interdum delirio similibus, ut ex Alcinoi convivio allata possis credere, indigna profecto quae Christianis auribus ingerantur, quae tamen isti ut mire pia adorant. . . . . Hinc jam habemus quos veteres ignoraverunt sacrae Virginis parentes, suis nominibus non minus quam sunt ipsi Apostoli notos ac celebres: hinc tot novitios divos, Principum importunitate aut Monachorum favore in catalogum relatos, hinc Draconem Georgianum, hinc locustas Barbaranas, hinc e Paradiso februales rosas, ac id genus alia innumera, ad quae, quum in templis inter sacras scripturas publice audiuntur, cordatior quisque quidni offendatur?" Quamplurimas deinde Romanae

Ecclesiae superstitiones et abusus depingit et graviter reprehendit; ut tamen nequaquam sese Catholicae Ecclesiae auctoritatem spernere, aut vera ejus decreta non venerari, confirmet. De quibus rebus mentem explicantis suam, non possum quin ipsa verba adducam. „Idem *(ita disserit)* fervor fidelium erga Christum, ritum quendam moderatum et gerendorum politiam in ecclesiam recipi suasit. Quae cum populo ad superstitiones procliviori arridere coepit, mox invecta sunt tota ceremoniarum plaustra, ordo publicus exiit in regnum, Evangelicorum praeceptorum institutio revoluta est ad regularis disciplinae sectas, quarum quaelibet altera melior esse contendebat, ut tandem et Baptismus illis vilesceret prae Monachismo, quo novam iterum prolem ecclesiae regenerari audimus. Et in toto ordine Ecclesiae quid est quod non ad immoderatum usum et secularem formam descivit? Videmus de sacro Eucharistiae pane, quem prisci arcano sacramento servabant, quam theatraliter jam omnia etiam publicis edictis gerantur. Martyrum memoriae imitationis causa primum celebres in Ecclesia habitae sunt: deinde quum quaeque natio, quaeque factio, quisque ordo, quaeque officina, quisque morbus, quodque votum, suum sibi divum posceret, idque non omnino citra quaestum proveniret illarum rerum choragis, videmus quos nunc calendarios fastos nobis replerint, quantum invexerint ineptiarum publico usui Ecclesiarum. Et haec nobis, si quando purgatiorem esse Christi Ecclesiam desyderamus, pro Ecclesiae decretis objiciuntur, et cogimur authoritati illorum quasi in Apostolorum senatu prolatorum, sensus nostros submittere, aut adversus ipsa nec mutire; quod qui ferre potest, viderit quemadmodum etiam Christo satisfacturus sit! Mihi nihil post Christum unquam fuit aut est antiquius Ecclesiae consensu, ad quem ceu ad sacram ancoram confugere soleo, si qua in re mecum dissidens haereo, aut sicubi me impegisse sentio. Tum si neque sentio me falli, aut probabilibus nixus argumentis Catholicos sensus me tenere arbitror, semper integrum me servo Ecclesiae judicio, cujus sensa atque decreta paria mihi habentur Apostolicis literis, nec patior me

ab illius concordia avelli. Verum nolo mihi quorumvis blateronum quemlibet consensum, illorumve plus quam bliteas sententias nomine Ecclesiae obtrudi - - - Hujus ecclesiae judicio, si in hoc opere aliquid mihi visus sum licentius aut sine exemplo dixisse, testatus sum me quosvis sensus meos dedere. Quod hic quoque ceu legitimis tabellis sancte testatum cautumque volo, ea videlicet me esse perpetua voluntate, ut memet meaque scripta, si unquam lectu digna videbuntur, ultro submittam primum Scripturis Canonicis, quarum solidam irrefragabilemque interpretationem a quovis privato veluti nobile margaritum lubens suscepero: deinde illi ipsi quam dixi Ecclesiae: ut si vel rescindere me jusserit omnia, aut aliud quid dictaverit, id praestare damnas sim. . . . . Verum haud scio, an quaecunque in Pontificum decretis seu decretalibus epistolis praescribuntur statuunturve, sint mox pro ecclesiae placitis aut ecclesiastico consensu atque authoritate probatis habenda: nam haec quoque nobis absque discrimine tamquam recepta et, ut ipsi loquuntur, canonizata ita infulciuntur, ut si quis ea refellendo vel summis digitis contigerit, a patrum sanctionibus discessisse et ecclesiasticum canonem temerasse statim insimuletur. At in illis ipsis multa videmus quae mutuo se convellunt aut corrigunt. Ipse Gratianus quot committit sibi pugnantia? quot tamquam obsoleta aut minus solida dispungit et resecat? Quaestiones de confessione oris et operum satisfactione, qua nostro hoc seculo nihil decertatur contentiosius, ita in medio relinquit, ut lectori integrum servet judicium. . . . Et nos capitale discrimen incurrimus, si illorum aliquid ad evangelicam normam collatum vel corrigi vel antiquari vel moderari suademus, quasi nihil sit in his humano spiritu proditum! Quum legimus in Romanorum Pontificum decretis, Sardiniam, Siciliam, ipsam urbem Romam Romanae Ecclesiae ditioni et imperio subesse, Episcopos omnes jurejurando adigendos esse, ut adjuvent defendere et retinere Papatum Romanae ecclesiae contra omnes homines (ita enim habent verba in id concepta), ipsum Pontificem Romanum Regiae potestatis jure uti, omnia jura in

scrinio pectoris sui habere, quis dicet hunc esse Catholicae ecclesiae irrefragabilem consensum, aut Apostolicae firmitatis decretum, ut de his dubitare non liceat? . . . . Gravis est fateor Sacrorum Conciliorum authoritas, nec velim unquam ab ea sciens egredi. Sed tamen delectum in illis esse hinc intelligimus, quod olim Romana ecclesia ex plurimis sex tantum vel octo suscepit. Quae ipsa tamen adeo non fuerunt rata, quin liceret, si quid dubii oboriretur, quaedam recudere, quaedam mutare, quaedam declarare. Nicaena synodo nulla neque clarior neque emaculatior habita est: hujus quum septuaginta canones fuisse legantur, viginti tantum obtinuerunt, de reliquis ne vestigium quidem mansit. Inter ipsos quoque qui extant, quaedam tamquam importuna vale acceperunt, quorum sunt poenitentiales canones: quaedam evidentissime videntur sibi non constare, ut sunt quae de ratione Paschalis festivitatis constituta sunt, hodie longe aberrantia a vero. Caelibatus Presbyterorum, quem haec synodus non exigendum sed liberum relinquendum esse statuit, non multo post imperatus est. Nec ullum omnino est illorum Conciliorum (si verum velimus fateri) in quo humanas affectiones non plurimum valuisse reperias. In ipso Nicaeno Concilio Episcoporum rixas et simultates ipse Princeps coactus est exustis libellis dirimere. Quae in aliis sunt gesta, fere ejusmodi sunt, ut me auditorem puderet, si coram Judaeis vel aliis nostrae religionis adversariis recitarentur, adeo scatentia immodicis studiis partium, versutiis et contentionibus, ut a Christiano decoro ea longe abesse fatearis. . . . . Omnibus vero ubi de fidei determinatione agebatur, unum perspicias fuisse morem, nempe ut ea non decretis aut statutis quasi a tribunali prolatis, sed confessione publica et singulorum subscriptione rata essent, cujus consensus symbolum esset ecclesiastica communio: ut palam sit, rem judicio Scripturarum in multis consentiente, non placito judicantium, nec lege aliqua sensum quem assequi non possis extorquente, aestimatam fuisse, atque hoc praecipue expensum, quod plus sit multorum sapientum, eorumque insignium et Dei vocationem habentium consensui,

quam unius aut alterius cujuspiam privato judicio standum. Verum non raro deprehendas, quod toti Concilio rectum probatumque visum est, id unius assidentium audito judicio ab ipso fuisse Concilio rescissum, ac pedibus itum in interpellantis sententiam. Quod simplici Paphnucio, caelibatum dehortanti, in ipsa Nicaena synodo evenisse constat, (nam hoc exemplum adducere non extra causam videbitur, quando conjugium sacerdotum nunc inter non postremas haereses habetur). . . . . Quapropter haud scio an praefocent ecclesiae libertatem, qui contendunt non oportere de his quae semel Conciliorum probavit authoritas, denuo quaestionem admitti, aut disseri aliquid quod illis ad amussim non consonet. Nolo autem quisquam putet me haec tam prolixa eo huc attulisse, quod mihi sim conscius, in hoc quem scripsi Christianae historiae libro, usquam sacrorum Conciliorum terminos aut ecclesiasticae veritatis regulam egressum esse (quod tamen si percontandi studio fecissem mihi soli scribens, non debeo propterea in publicam invidiam rapi), neque ideo, quod poscam meis scriptis quasi omni naevo carentibus fidem haberi, quod neque mihi ipsi adhuc permitto: sed quod non aequum videtur, si mihi libeat meam quoque revelationem in ecclesia proferre, repelli protinus me, nec sini ut de his judicantem audiam ecclesiam. . . . . Nam quod ad animum scribentis attinet, quoniam is introspici ab homine non potest, nullius admitto nisi Dei judicium, cujus non expavesco in hoc caussa tribunali vel absque patrono sisti. Huic si probabitur studium meum, cum Paulo pro minimo erit mihi judicari ab humano die. . . . . Tutum quippe est confugium recti conscientia, tutissimum is qui vocat quoque et obviis brachiis excipit ac refocillat eos qui laborant et onerati sunt. Optem autem ne unquam mihi obtingant qui ita onerent, utque supervacaneo metu haec proclesis mihi sit suscepta, ac solis lemuribus atque inferis dicata habeatur". Quibus verbis auctor scriptum concludit suum: e quo quod tam multa excerpsimus, non putamus ecclesiasticae historiae literarumque Theologicarum amatoribus ac studiosis ingratam nosmet rem fecisse. Nec

viri magni memoriae hoc studium non deberi, nobis videbatur [23]).

21. RAYMUNDI *de* PENNAFORT *Summa de Poenitentia.* Libri III [24]). Codex membranaceus in 4:ta forma. Quaedam in fine folia desunt. Initium Operis tale est: „Quoniam ut ait Jeronimus, secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri, ne imperitia ministrantium predictam tabulam, submergi contingat aliquos naufragantes: „*Ego Ramundus inter fratres ordinis predicatorum minimus, imo inutilis servus, ad honorem domini nostri Jesu Christi, et gloriose virginis matris ejus et beate Katherine* presentem summulam ex divinis auctoritatibus et majorum meorum dictis diligenti studio compilavi, ut si qui fratres ordinis nostri vel alii circa judicium animarum in foro penitentiali forsitan dubitaverint, per ipsius exercicium tam in consiliis

---

[23]) Nempe post superiores pagellas typis jam exscriptas, indicatum nobis fuit, auctorem libri sine dubio eundem fuisse Culmensem Episcopum, cujus laudatissimo studio curaeque praecipue debetur quod insigne opus *Copernicanum, de Revolutionibus Caelestibus*, lucem adspexerit publicam, quique in *Lexico Biographico doctorum ac celebrium Virorum Exterorum* Svethice nuper edito (Försök til et Biographiskt Lexicon öfver Lärde och Namnkunnige Utländske Män, Stockh. 1782, 8:o), P. I. Art. *Copernicus* p. 347, *Tidemannus Gysius* vocatur. Quanta auctoritate famaque in patria floruerit, ostendit HARTKNOCH Alt- und Neues Preußen, II Th. VII C. p. 585, narrans huic eidem viro (*Tidemannum* Giesen, mox *Gisen* appellat) adhuc *Custodi Warmiensi*, injunctum fuisse a. 1534 ab Ordinibus Prussiae, ut vetus Jus Culmense corrigeret, cumque operis successui varia intervenissent impedimenta, a. 1548 rursus ei, jam tum *Episcopo Culmensi*, fuisse mandatum ut brevibus notis sive Glossis eidem Juris Codici adpositis, significaret quid aut antiquatum esset, aut adhuc usu valeret: quam tamen operam eum detrectasse docet. Theologiae non minus quam Juridicae doctrinae animum adjecisse, noster demonstrat Codex; qui sine dubio in bellis Polonicis superioris seculi, nostris militibus in praedam cessit, atque ita e Prussia in Sveciam abductus est.

[24]) Libris IV constare, et non modo de Poenitentia, sed etiam de *Matrimonio* agere, docet HAMBERGER l. c. Art. *Raymundus Pegnafort.* Variant itaque exempla Libri.

quam judiciis questiones multas et casus varios et difficiles ac prolixos valeant enodare. . . . Distinguitur ergo in tres particulas". Codex pulcre scriptus est: abbreviaturis tamen pro more scatens.

22. JUSTINIANI *Sacratissimi Principis — Codex repetite prelectionis.* Membranis eleganter scriptus, glossisque marginalibus copiosis, duplicem manum ostentantibus, illustratus; in Folio, integer et bene conservatus. Praemissus est index capitum, secundum seriem librorum digestus. Aetas Codicis et scripturae forma, eadem quam supra in *Senecae* et *Ciceronis* Libris reperimus, esse videtur.

23. *Questiones disputate per Doctores Bononienses.* Codex membranaceus, in Folio. Materiae omnes his Disputationibus ventilatae, ad *Jus* pertinent *Canonicum;* ac fere inter annos 1260 et 1300 disceptatae sunt. Auctorum nomina singulis praescripta comparent, ignota nobis, licet omnes *Decretalium Doctores,* salutentur; inter quos *Marsilius, Palmerius, Wilhelmus de Petra lata, Guido et Jacobus de Baysio,* Magister *Garsias* Yspanus, Magister *Johannes de Montemurlo, Alvarus* Yspanus Canonicus Compostellanus, *Herveus Scotus* s. *de Scotia, Henricus de Almannia, Stephanus de Polonia,* etc. etc. occurrunt. Volumini praemittitur diligens *Tabula s. Repertorium ad questiones* omnes; quod per Magistrum *Hermannum* compilatum esse docetur.

24. *Tabula venerabilis Doctoris et Sancti Thome de Aquino, super omnia dicta sua, preter ea que desunt.* Codex membranaceus in Folio. In fine legitur: *Nomen scriptoris Radulphus plenus amoris, Et pro quo scripsit cum Christo vivere possit.* Ac paullo inferius: *Ista Tabula est Magistri Hermanni de Praga, Auditoris Sacri Palatii, diuque* . . . (duas reliquas voces legere nequeo).

25. *Casus Excommunicationis majoris late a Canone* etc. Codex membranaceus, in Folio. Praemittitur *Prologus seu pocius informacio et modus utendi hoc opusculo de Casibus;* sequitur *Tabula generalior pro Casibus etc.* Ipsis Ca-

sibus tandem subjicitur *Secunda Tabula specialior et utilior super opusculo casuum per Hermannum de Praga collectorum.* Unde cognoscitur, documenta diligentiae *Hermanni* ejusdem haec tria volumina (23, 24, 25) ostentare, nobis quidem parum utilia vel aestimabilia.

26. *Tabula seu exposicio vocabulorum difficilium contentorum in toto Jure tam Canonici quam Civilis, et hoc secundum ordinem alphabeti de significationibus eorum pertractatur.* In fine legitur: *Tabula de Exposicione seu declaracione vocabulorum et terminorum cum suis notabilibus in Corpore Juris tam Canonici quam Civilis contentorum, que maximam difficultatem in Jure studentibus conferunt, atque tedium propter eorum raritatem seu obscuritatem. Quam edidit frater* ASTEXANUS *de Civitate Astensi de Ordine Fratrum Minorum vel Barnotorum.*

2. *Optima vocabula secundum omnes Rubricas Decretalium, primo secundum ordinem alphabeti, deinde per tytulos sive Rubricas ordinarie* (ordinata) per Venerabilem D:num (nomen deest) *conpilate* (compilata).

3. *Casus breves sexti libri Decretalium,* ordine alphabetico digesti: quibus additur brevis conspectus Titulorum Libb. I—V Decretalium Gregorii.

Totum volumen nonnisi foliis constat XLVIII. Codex membranaceus in Folio.

27. *Quaestiones super V Librum Decretalium Gregorii Papae.* Ita inscribendus videtur Codex membranaceus in Folio, Rubro nullo distinctus; pars sine dubio majoris operis, similem in omnes Decretalium libros Commentarium continentis. Explicat auctor textum per Quaestiones propositas, subjunctasque iis Responsiones, ordinem secutus Titulorum solennem. Ad calcem subjectus est Index, sive *Tituli questionum hujus V libri, ex quorum verbis non potest intelligi faciliter sub quibus rubricis tractentur.* In fine operis auctor his verbis sese cognoscendum exhibet: *Sic sit finis hujus operis, quod ego Hinricus servus Dei ydeota et insufficiens in omnibus super doctore primo utinam ad*

utilitatem[25]) — *et in utroque jure studencium memoriter scribere dignum duxi. . . . . non estimemus*[25]) — *de insufficientia doctoris, que non solum ex ignorancia provenit, sed etiam ex properancia operis consummandi, timens propter mortalitatem universalem que hoc anno viguit, ac specialiter in hac urbe, ne ante ipsius consummacionem nature debitum persolvissem quod in omnibus est . . . . Quod opus ipso Domino nostro Jesu Christo operante terminabam currente anno ab ipsius Domini M CCC:o XLIX, in festo beati Matthei Apostoli et Evangeliste, cujus ecclesiam in partibus Britanie in finibus terrarum, unde sum oriundus, mirifice collocavit alpha et o, principium et finis. . . . . et cicius terminassem, nisi fuissent guerre et alie tribulaciones que me aliquandiu occupaverunt.* Quibus licet perlectis, fateor hominem tamen manere mihi ignotum. Abbreviaturae frequentes ac difficiles, volumen hoc lectu reddit permolestum: quem laborem ut suscipias, neque operae esse pretium videtur.

28. *Extravagantes, per ordinem rubricarum,* h. e. secundum Titulorum seriem quam observant Decretales, dispositae. Codex Membranaceus, in Folio. Comparent hic cum quae *Extravagantes Johannis XXII,* tum quae *Communes* vocantur, inter se permixtae, (an tamen omnes? haud dixerim; non enim vacavit perquirere); praeterea multae aliae Constitutiones Pontificiae. Volumen non incuriose scriptum.

29. *Breviarium;* Codex membranaceus in Folio, sed lacerus et valde mutilatus.

Excipiunt Codices, quibus Bibliothecam Acad. auxit Reverendiss. Archi-Episc. et Pro-Canc. D. *Car. Frid. Mennander* (cfr. supra § XXVII p. 91 sq.), qui sunt sequentes.

30. *Liber de integumentis Fabularum.* Codex membranaceus, in Folio; cujus auctor anonymus latentes sub involucris Fabularum Mythologicarum veritates, vel Histo-

---

[25]) Desiderantur hic verba tantum singula, quae legere non valeo.

ricas vel Physicas, indicare satagit. Foliis constat XXIV, seculo ut videtur XIV vel XV, non ineleganter scriptus.

31. Autographum *Bullae* Papae *Bonifacii* VIII, *dat. Romae apud Sanct. Petrum VI Kal. Mart. Pontificatus sui secundo.* Membrana formae maximae. Sigillum avulsum est. Legi integra potest apud PET. DIJKMAN Antiquitt. Ecclesiast. p. 288 sqq. (qui eandem hanc membranam tractasse videtur: nam a tergo, ut etiam ille indicat, scriptum in nostra legitur: *Privilegium bonifacii pape, ne clerici laicis aliquas pensiones solvant vel tallias,* et in supremo margine, (etiam a tergo), *Thomas de Sepulcro.* Cfr. Nob. a CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I § XVI p. 99.

32. OLAI PETRI *Chronicon* Regum Sveciae, res eorum gestas a rerum inde Svecicarum primordiis ad cruentum usque Christiani II imperium complectens, lingua vernacula exaratum. Codex chartaceus in folio, diligenter scriptus. Notus liber omnibus rerum patriarum curiosis.

33. Sacra *Biblia,* Latine, secundum Vulgatam Versionem. Codex membranaceus, in forma 4:ta aut 8:va majore, litteris minutis, sed eleganter scriptus, initialibus (quas vocant) pulcre pictis; compendiis scripturae pro more scatet. Praemittitur *Epistola S. Hieronymi ad Paulinum Presbyterum de omnibus Divinae Historiae libris,* quae hic, errore librarii, vocatur *Prologus beati Ambrosii in Bibliothecam.* Sequitur Prologus Hieronymi in Pentateuchum, et Index Capitulorum Geneseos; qualis caeteris etiam Mosis Libris, nec non libro Josuae et Judicum, praefixus est. Reliquis Libris Biblicis similiter Prologi Hieronymi plerumque praemittuntur. Volumen claudit interpretatio nominum Biblicorum latina, ordine alphabetico digesta. Liber *Nehemiae* maxima parte capitis ultimi, et *Tertius Liber Esdrae* capitibus III primis, magnaque parte quarti, mancus est. *Quartus Esdrae* liber deest. *Acta Apostolorum* post Epistolam ad Ebraeos collocata sunt. Diligentius Codicem excutere non vacavit.

34. *Missalis liber,* diligenter adornatus et notis musicis distinctus; Codex membranaceus in 4:o. Ecclesiae

alicui Svecanae usibus inserviisse, adscriptae passim sententiae Sveticae docent; ac ad Monialium pertinuisse Claustrum, ex hac formula, quae ultima pagina comparet, inferas: Tha ſom hälga männena äro opläſna, ſigher biſkoppen oc ſyſtrana ſwara, etc.

35. *Lexicon Latinum e Calepino translatum in linguam Slavonicam* (s. veterem Russicam); Codex chartaceus in 8:o majori, nitide scriptus.

36. Liber Polonicus, precationes, (ut videtur), Deo et Sanctis dicatas, (linguae enim ignaro, nihil mihi ultra conjecturam adferre licet), nec non pias quasdam meditationes continens; Codex membranaceus in 12:o, nitidissime scriptus. Literae Initiales diligenter pictae auroque distinctae, picturae praeterea aliae non inelegantes librum ornant, splendide olim ligatum. In pagina ultima haec comparent verba: *Petrus Prossonita de Nahlo, oriundus de nobilissima eademque antiquissima Gente Nalaczow, Vicariusque Castri Cracoviensis, hunc libellum illustrissime Hedvigi filie* . . . (Reliqua legi nequeunt, data opera, ut videtur, deleta et erasa). Scuta gentilitia duo subjecta sunt, alterum rubri coloris fundum, alterum aurei ostentantia, fascia aurea conjuncta; quorum autem figurae evanuerunt. Margini vero picturae primae infimo adpositum scutum rubrum, corona Principali ornatum, insigne R. Poloniae, Vulturem album, conspiciendum praebet.

37. Membranae LX, minoris plerumque modi et magnitudinis, litteras exhibentes varias, privatorum fere omnes hominum, in Svecia inter a. 1331 et 1616 datas; quasdam Latine, plerasque Svetice scriptas. Litterae sunt emtionis et venditionis, dotales, donationis, Apocopa, chirographa, sententiae judiciales, attestata etc., sigillis pluribus appensis, pro more illorum temporum munita: quarum membranarum, non modo ad literarum formam et ductus, iis seculis adhibitos, sed etiam ad priscos mores cognoscendos, esse usus potest. Duarum tantum exempla, animi caussa, adponam. Unum igitur hoc erit, Cleri Pontificii felicem quaestus faciendi sollertiam illustrans: Alla the män ſom thetta

breff höra eller ſee, helſar jak Henrik kirkiopreſter i bolmſö kärlika medh Gudhi. Kennis jak med mino opno brewe, at Michel Nielsſon hawer betalat fullelika mine kirkio ſogn ok mik the ſiälagift ſom Erik Nielßon gaff för ſina ſiäl, ſwa att ſoknen ok jak wi latom oos wäl nöghiä, for thy latom wi thet gozit i bolmſtadh lidhug ok löſt ſom oos til panta ſtoodh, ok giwom honom alsting qwittan ok orſakan. *In cujus rei testimonium* etc. 1404 etc. Aliud hujus generis est: Alle the ſom thetta breff ſe eller höra, helſar jac Pedher Stiigſon a wapn kerlica mz Gudh. Conger jac ſwa äpterkommanda ſom nuwarandom med theßo mino öpno breffue, at jac ſan Herra Matis Göſtaffſon i Wazſtena, oc taladhe jac til hanom um XIIII march Peninga oc et Arbyrſt ſwa got ſom VI march, ſom han mik ſkyllogher war. Tha badh han um dagh, oc wille mik töfring göra om mina peninga, ſom han förra gjort hafdhe. Jac fik hanom i ärmena, oc badh jac han ſta, um han en banda man war, thertill han gafwe mik mina peninga. Tha kom Steen Lalaſon, Gudh hans ſiäl nadhe, med flere godhe män. Herra Matis Göſtaffſon badh för:dä Steen Lalaſon the penge oc arbyrſt för ſik utgifua i ſwa mato, at han ſculle hawa oc beholla Ywiſlinga thorp i Hardhaſtadha (Härſta?) ſokn ligiande, etc. etc. a:o D:ni 1423 etc. Quibus, Auctoris caussa, publicas has litteras adjungimus: *Universis presentes literas inspecturis Magnus Dei gracia Rex Swecie Norwegie et Scanie salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod nos dilecto nobis viro nobili Ingeldo Niclisson presencium exhibitori, Curiam nostram in Civitate Arosiensi sitam, tam cum structura lapidea quam lignea, partim pro solucione debitorum per ipsum nomine et ex parte primogeniti nostri carissimi Erici, felicis memorie, contractorum, et partim intuitu sui fidelis servicii nobis impensi, et ut speramus imposterum impendendi, virtute presencium conferimus et donamus, perpetuo possidenda transferentes a nobis heredibus et successoribus nostris in ipsum et heredes suos omne jus et proprietatem dominicam predictam Curiam regendi tenendi ac aliter de ipsa prout ei* (l. sibi?) *visum fuerit libere ordinandi. Datum Stocholm anno Domini millesimo CCCLX primo, feria secunda proxima post dominicam letare.*

Sequentes praeterea Codices sensim Bibliotheca nostra hinc illinc acquisivit:

38. *Tractatus Historico Politicus de Jure Publico Regnorum Sveciae Gothiaeque* eller en Hiſtoriſk *Tractat* om Swea och Giötha Rijkens Allmänna Rätt, utdragen aff Rijkens Hiſtorier, Lagh, *Recesser* och Handlingar af *Clas Johanson Prytz*. Codex Chartaceus in folio, nitide et accurate scriptus: donum Maxime Rev. Dn. Prof. CAVANDER (cfr. supra § XXX not. [2]). De opere ipso, omnibus rerum patriarum non plane rudibus notissimo, dicere non attinet: cujus auctoris mentionem in Lexico Biographico celebrium Svecorum, quod haud ita pridem prodiit, non comparere, miratus sum.

39. Volumen Chartaceum, in 8:o majore, vel potius in 4:o, mancum et lacerum, cujus operculo adscriptum veteri manu legitur: *Liber Fratrum Vallisgracie, scripta Buddas* (l. an Buddonis?). Literarum ductus ostendunt Codicem, lectu molestum, seculo XV fuisse exaratum. Continet:

1. *Librum Gratiae spiritualis Sanctae Mechtildis,* vetere lingua Svetica donatum. Constat opus libris V; primi vero capita LX priora, cum parte capitis LXI hic desiderantur. Summariis capita ornantur singula (quorum primus Liber habet 86, secundus 39, tertius 43, quartus 38, quintus 22); et ab interprete duplex adjecta legitur *Conclusio* sive Peroratio, praeclarum scil. hoc opus enixe commendans. Aetatem et nomen translatoris haec nos verba edocent, Conclusionem terminantia: Lloff heedher ok ärä ware alsualdoghom Gudh . . . ffor alla ſyna helga nadh ok miſcundh ſom han uſlom fatighom ſyndärom theer ok bewiiſer i thennä helga book, huilken ſcreffs i Nadhenbal ok lyctädhes pa S:te Margarete dagh aff broder Jönes Budde anno (MCD) lxxx:o. Hwilken henne ok wändhe aff Latino förſt i Swenſkt maall anno mcdlxix:o tha ſtadder i Wazſten i cloſtrenes ärende. Ne autem aliquis existimaret, tantam rem sine miraculo et singulari Sanctae auxilio aut suscipi potuisse aut perfici, hanc subjunxit auctor noster vere sc. commemorabilem narrationem et testificationem: Huat nadh S:te Mektild giorde mz hanom thennä book umwende aff Latino j Swenſkt maall. Ei bör mik

tighiä eller dölia thet the helga junfruena kan koma til loff ok äro, S:te Mektilde. Thet hände mik j Wazſten warande ſom nu ginſtan ſagdes, III wikur ffor paſcha, tha jac hafdhe thennä ſama book utſcrifuit pa llatino y hempnä fiorton dagha, at jac wart mykit ööm oc wanmäctoger badhe j hoffwd ok androm lymom, ſwa at jac y III dagha eller IIII lagh ſwa goth ſom ſängeläghes. Än ffor itkeliga ok mykit trätteliga böner badhe Abbadißenne ok flera ſyſtrenna ther ſamaſtadz, ok ſwa for then ſtora kärlek jac hafde til ſama book ok helga lärdhom, at han matthe uthwidghas ok kungöräs fleerom Gudz wynom ſyſtrom ok leekbrodrom ok jemuel androm ſom ey forſtaa latyyn, gaff jak umſidher ſamtykkö til then kerliga bön. Än tha mykit jefuendes um myn wanſkilſe ok briſtelſe at foretagha ſwadana erfuod ſom war at uthtydhä ſwa dyrt ok könſteligbit llatyn, Doch fulleliga tröſtendes til the helga Junfruena ok alles theres gudeliga bönä ſom mik thertil badhe tröſte ok kerliga baadho. See anden natthena efter at jak hafde ſamtykkö thertil gifuit, ok bokena ther pa til mik anamat, ok alt reedha nagon VI eller VIII Capitula med ſtora mödho ok umſorgh wthtyht, tykte mik i mynom dröom ſom jac ſaathe for thet fenſter ther jac pläghäde ſithiä ok ſcrifwa, ok ther war ſwa mörkt alla weghnä, badhe i bokena ok um cringh i huſeno, at jac ganzſka lithit ſaagh ok inthet kunde ſcrifwa. Tha jac ſwa ſaath ok dröffdäs j myno mörkre, ſyntes mik at en hlign (herligin?) longh ok dägelin junfru kom ingongandes j huſet, j nwnno liknelſe, j gram clädhebonath ok ſuart wiill på hofudhet, bärendes for ſit bryſt ena tafflo med tw look eller brädhen ganzſka dägeliga ok wäll tilſmykkadha, ok kom til mik ther jac ſaath ok ſagde: Myn broder, jac ſeer tu wandhäs ok dröfues aff thet mörker ſom badhe är her j bokena ok huſeno; ok ſwa upleeth hon tafflona j huilka ſyntes ok war ena claraſta ſpegill, aller um cringh j underliga matthe prydder ok (omkringhader?), ok ſagde til mik: See myn broder, j teßom ſpeglenom ſcal tu ſee ok underſta alt thet j the bokena ſtaar. Ok ſwa leet hon aater ſpegelen ok gik ſig wägh uth ſakteliga igen. Ginſtan jac waknadhe aff teßom dröme ringdes til otteſanghen, ok ſwa hjelpe mik Gud til liff ok ſiäl ſom jac ſanth ſigher at aller wärk ok wanmakt j hoffwd war mik ſwa aff ſtrukin ok lätädher pk allom androm lymum, thet jac ey nagon minzſta wanſkilſe

lende, alder trötthes ok alder lyſte at ſofwa eller hwilas i the XIIII dagha ſom jak ok thennä bokena uthtydde ok aff latino j ſwenſko wändhe. Pa huilket badhe ſyſtrom ok brödrom j thy helga cloſtreno ſtorligha undradhe, ok mäſte delen aff thöm thet nogh oliikt huldho, ſom thet ok oliikt ok mik omögelikt war at görä, utan the helga wärdogha Junfrunne hielp ok medhſtödh, huilka jac ok tilwänder ok tilſcrifwer alt loff ärä ok priiß aff thennä ſyna helga book. Innerliga bedhendes aff allo myna hierttä hwära ena criſtna menniſkiä ſom thennä book naghatſyn hören eller läſin, at j takkn ok ären Gud for the helga Jumfruna ok hennä älſken ok j förſtä wordhe holden, ok ffor mik uſlom ſyndärom eena Pater noster ok Ave Maria bidhin, ffor alt mith erffuod at jac nu bokena tröm ſynom uthſcrifuit hafuer. *Laus tibi sit Christe Per quem datus est liber iste, Partes* [26]) *Mektildis Tua laus cumulatur in illis, Partes* [26]) *Mektildis* [27]) *— ut speculeris in illis, Mors tua, sors tua, vis tua, spes tua pendet in illis. Scriptoris munus Deus o sis trinus et unus, Hic fuit Andreades pauper coenobita Johannes.* Opus ipsum, quod tantopere extollit bonus Monachus, ex majori opere in compendium, ut videtur redactum, somnia continet stultissima, nugas pias, et saepe impia deliria. Caput quinti libri ultimum, vitam et laudes Sanctae hujus Mechtildis exponit; ubi narratur, *in Scotia* fuisse natam [28]), splendidoque ortam genere: Thennä hederſama Junfruen, Gudz enkannerligin älſkerſta, huilka Gudh ſielfuer kallar Matilda, ſom hennes fädhernes landz ſedher är i Skotland, ther hon aff ärliga ſläct föödh war, thy at een ärlige Hertoge war hennes fadher, ok wi kallom Mechtildis Mectilth a wart maall. Etc.

2. *Viridarium celeste Sancte Birgitte,* ab eodem auctore, e Latino conversum et superiori adjectum operi: qui consilium suum his explicat verbis: *Continuacio sive compa-*

---

[26]) Non possum hanc vocem aliter legere.

[27]) Omisi vocem, cujus ductus mente persequi nescio.

[28]) In *Lexico Jöcheriano* (Allg. Gelehrten Lexicon), voc. *Mechtildis*, contra docetur, Germanicae eam fuisse nationis, de gente Comitum de *Hackeborn* oriundam.

racio libri precedentis, videlicet spiritualis gracie S:te Mektildis de Schocia ad librum sequentem, videlicet Viridarii celestis Sancte Birgitte de Svecia. Nu medhen thennä helgha lärdomen j thennä helgha bokena aller är aff andeligbom föthmä ok kerliga samtalan mellan fielfuen Gudh ok the helgha Junfruena Sancte Mectildh, ok är mykit liiker thöm helgom openbarilsom som han openbarade syne helga-brudh Sancte Birgitte aff Sverige; thy wil jac ginstan här epter insätiä inscrifua ok uthtydha ena lizsla book aff nagon hennes helgaste opinbarilsom: ok kallas the boken Viridarium sancte Birgitte, Sancte Brigittes gräsgarder eller yrtegarder. Swa som naghor intoghe eller ingärdädhe en lizslan gräsgardh eller yrtegardh aff ena stora wiidha ok lusteliga heedh eller engh, swa är thennä lizsla boken som een litil yrtegarder uthtaghen ok ingärdädher aff the stora ok wiidha blomstrande enghena, som äre S:te Birgitte VIII böker, áff hwilkom allom thennä lizsla boken är uthtaghen ok samanhemptädh som een litil ok lusteligin blomstre qwaster, at hwar Gudz wen maghe han dagliga for händer hafwa, ok ther y läsä ok lusthas, enkanneliga the som ey saa eller empne hafwa at läsä j the större ok wiidhare bokene hwarest henne helge revelaciones alle inscresne stondha, ok y VIII böker äru deladhe ok umskipte, Gudz helge trefaldoghet til loff hedher ok äro, junfru Marie ok hennes wälsignadhe son til ärä ok wördningh, huilkars beggers helgasta afflingh födzlä ok lifuerne här kungörs, ok jemuel the wärdogha fruena Sancte Birgitte til hedher ok helga amynilse, som wärdogh war at undfa swa helsaman ok hughneligban lärdhom. Opus hocce in tres libros divisum est. Cuique libro index capitum praemittitur. In nostro autem exemplo ultimae partes secundi libri, et initium aeque ac finis tertii desiderantur. Ante primum librum legitur: Helga Fadrens Alphonsi Prologus, förtalan, til syskrannä i Wazsten. (In illo, qui praecedit, Indice Capitulorum libri primi, vocatur: Mestärens som bokena dichtadhe fforordh eller fortalan til syskrannä j Wazsten, aat huilkom han bokena dichtadhe). Item alius prologus: J huat mattho S:ta Birgitta sigh theße revelaciones. *Alphonsus* hic, auctor libri, quis fuerit, mihi non constat; nisi eundem fuisse credas, *quondam Episcopum Syennensem et postea heremitam proba-*

tissimum, cujus *Epistola Solitarii ad Reges* praemittitur Octavo Libro *Revelationum S. Birgittae*. Prologus autem ipsius, et caussam libri scribendi et consilium, pandit; unde sequentia excerpenda duxi: *Cogitis me dilectione vestra, dilectissime Domine mee et sorores* etc. J twingen mik myna kerſte frwer ok ſyſtrar mz iber gudeliga älſkelighet, ſom ſampnadhe äriu j Junfru Marie cloſter i Wazſtenom, Swerigis rikes andeligin barn ok dötther thes wärdoga Moders Sancte Birgitte ſom är waar ok all Sweriges rikes ädläſtä blomſter ſwa ok patrona, ok ey eene henne dötter, utan jemuel Jeſu Chriſti huilken medh Fadrenom j ſynom Helga Anda iber hafuer uthwalt, fra werlden ſkilt, forſamblat ok ſamanſankat i ena gudliga akt ok eendrekt j ſyna helga tieniſt, ok teslikez dötter ok diſcipule hans aldrawerdogaſta Moders Marie, altidh junfrues, huilken iber helga ordinis är förſtä fundatrix ffru ok forſtynna, j huilkom ok for huilkom twingar ok tilſkyndär mik iber forronempder gudliga kerlek at ſamanſanka iber ena lizſla book aff thöm opinbarilſom ſom widherla äru fortyälde y the VIII böker ſom the wärdogha fruena openbaradhe wordho, i huilken jac ſculde uthleeta ok ſamanſcrifua the materias ok helgaſte openbarelſe ſom liudha pa junfru Marie tilquemdh ok födzlo til werldene, ok ſwa hennes welſignadhe ſons Jeſu Chriſti, ok af beggers theres helgaſtom dygdom ok dygdelika gerningom ſom the her ööffde ok itkadhe i werldena för än the hädhän upforo til thet äwigha riket j Hymmeriki, ꝛc .... Nu .. ſkipter jac theßa book i tre dela, aff huilkom then förſte delen rörer ok kungör aff Gudz helga trefaldoghet, ok aff thöm ärligaſtom ok hugneligaſtom foreſaghner ok foreſpaaningom ſom gingo af aldraärligaſta junfru Marie tilkomande ſkapilſe ok hennes wälſignadhe ſons födzlo, ok aff the ofigheliga glädy ſom aff thöm war badhe j hymmeriki ok jorderiki aff äwerdeligo for än theres helgaſta licama worthe ſkapte eller ſyntes her j werldeue. The anden boken — huru eller i huar mattho theres licama wortho ſkaffte ok afladhe, ok ſidhan aff beggers theres dygdeliga (ſielom?) ok aldrahelgaſtom dygdom ok dygdeligom gerningom ſom the her i werldene ööffdo ok ithkado in til döddhen. Tridhie boken ſigher j huat mattho the her aff werldene fooro ok aff beggers theres ärligaſte upreſilſe aff döddhen, ok upferdh eller uptagilſe til Hymerikit, ok

ytherſt aff wärdogaſta junfru Maria otalligbom fordeelom, uphögilſom ok wärdoghetom, mz huilkom hon äwerdeliga ok — ſkyldiliga äräs priſas ok loſwas öuer all ſcapat tingh badhe j Hymmeriki ok jorderiki, nu ok ä föruthan ändhä. Amen. Habes argumenta et descriptionem libri. Paullo diligentiorem placuit operis utriusque, inepti licet ac nugacis, notitiam exhibere; quod diligentissimorum quoque rei nostrae literariae antiquioris consultorum, fugisse videntur cognitionem [29]). *Fratrem* vero JOHANNEM (Jönes) ANDREAE BUDDE [30]), cujus autographon esse exemplum nostrum, allata supra subscriptionis suae verba probabile faciunt, diligentem et non spernendum sua aetate scriptorem fuisse, non haec tantum industriae suae produnt specimina, sed versio etiam Svecana confirmat *Librorum* quorundam *Biblicorum (Machabeorum, Judit, Hester oc Ruth)*, quae in R. Antiquitatum Archivo asservatur, quamque ab eodem, in Coenobio Nadhendalensi, a. D:ni MCDLXXXIII concinnatam esse, subscriptio librariae (Monachae Wadstenensis) diserte testatur [31]).

40. Codex chartaceus in 12:o, continens precum formulas Deo Sanctisque dicatas, nec non hymnos in lau-

---

[29]) SCHEFFERI, in *Svecia Literata*, STIERNMANNI in Oratione mox citanda. Etc.

[30]) *Johannem* (Jöns) *Budha, sive Räk*, appellat Nob. von STIERNMAN (Tal om de Lärda Wetenſkapers tilſtånd i Swearike, under Hedenboms och Påfwedöms tiden, p. 33); nescio qua fultus auctoritate. *Buddha* appellatur in Exemplo versionis suae Librorum Bibliocorum, quod in R. Archivo Antiquitatum habetur. Vid. LOENBOMS Utkaſt til en Hiſtoria om Swenſka Bibel-öfwerſättningar, p. 14 sqq. Nos scripturam sequimur, ab auctoris ipsius manu profectam. Cum nuper casu, Bibliothecae Academicae acquisitus sit typus, ligno affabre insculptus, sistens expressam in Calice, nescio cui Ecclesiae, ab eodem hoc Monacho Nadendalensi donato, effigiem et inscriptionem, adjiciendam hic esse monimenti hujus speciem existimavimus. Verba habet: thenne kalk loth brodhär jönes budde aff nadhendal göra hy ſtokholm. Nomen itaque nostro more scriptum cernitur. Quis antiquorum collector monimentorum typum fabricari, aut quo tempore, curaverit, hactenus nos latet.

[31]) LOENBOM l. c.



Porthans Sk

dem eorum conditos; Latine omnes, praeter precatiunculam quae agmen claudit, ad Divam Mariam, dialecto inferioris Germaniae conceptam, quae (ut et sententiae quaedam Germanicae in libro passim occurrentes) scriptorem gentis hujusce hominem fuisse (Monachum, ut videtur), prodit. Non vero precandi tantum, sed morbis quoque medendi eum arti curam intendisse, inter ipsas preces invenienda haec ostendit remedii formula: Nym keller halſes ſtruk, und ſnyt dat ouerſte bark aff, und tuatt dat baſt negeſte dem holde, und lat dat gans bruge werden, und ſtot dat i eneme moter to klenem puluere und menge dat puluer myt ſwys ſlomen, und wan du den kranken mynſchen wolt helpen, ſo ſchudde ene de wunden vul van deme ungemengeden puluer, und ſmere de wunden al umme und umme myt deme wetten puluer, alſo lange dat de worm gedodet werde. Literarum forma codicem seculo circiter XV exaratum esse, docet.

41. Chartacea Plagula, ritum praescribens, quo actus solennis inscrinationis b. *Hemmingi*, Episcopi quondam Aboensis, peragi conveniret; quod scriptum, (veteri lingua Svethica concinnatum), typis vulgatum, latinaque interpretatione et perpetua annotatione illustratum habetur, in gemina Dissertatione, Praeside Cel. D:no Prof. *Bilmark* hic Aboae a. 1775 edita, a D:no *Gustavo Sivers*, (Urbis jam Stockholmensis Senatore Ampl.). Manuscripti ipsius insimul ibidem descriptio datur; quamobrem nihil hic addimus.

Hocce monimentum, ut et Codices ambo ordine proxime praecedentes, (N:o 39 et 40), ex penu Templi urbis nostrae Cathedralis, in Bibliothecam Academicam immigrarunt (cfr. supra § XXX p. 100).

42. Acta in caussa M. *Jacobi Boethii*, praepositi et Pastoris quondam in *Mora* Dalekarliae [32]); nempe Libellus accusatoris, Exceptio rei, Replica illius, hujus Duplica, Sententia Supremi Dicasterii Regii Svetici, Litterae Regis ad idem summum Dicasterium de hac caussa datae: quae

[32]) De quo viro ac ejus fatis, conferri potest LOENBOM *Anecdoter* om namnkunniga och märkwärdiga Swenſka Män, I B. 4 Stycket.

Germanice reddita legi omnia possunt in noti libri Nordiſche Samlungen, Parte II. Nostrum exemplar temporis injuria non parum laesum est. Vol. Chart. Folio.

43. Commentarii R. Judicii Extraordinarii, cui anno 1676 inquisitio in sagas commissa fuit (Kongl. Commissorial- Rättens öfwer Trulldoms-wäſendet Protocoller); quales a Judicii Notario *Andrea Engman* primum calamo concepti sunt (Concepterne): nec non *Sententiae* quaedam ejusdem Judicii. Pauca ab initio folia desunt; nec ad finem usque turpis et infaustae hujus quaestionis Commentarii pertingere videntur. Historiam erroris ac superstitionis totius, breviter expositam, (quam haec acta plenius illustrant et confirmant) legere licet in Nobil. D:ni LAGERBRING Sammanbrag af Swea Rikes Hiſtoria, Ed. II P. IV Sect. II C. 17 § 34 p. 129—134. Quacum conferri potest *Expositio sententiae suae* de re tota, quam Judicium ipsum ad Regem misit, anno 1677 data, quaeque typis edita exstat.

Utrumque volumen (N:o 42 et 43), ex penu Nob. Centurionis D:ni *Joh. Engman,* Bibliothecae nostro dono concessum esse, supra dicta (p. 98 not. [2]) docere possunt.

44. Codex Chartaceus, quartae formae, Arabice scriptus, charactere punctato, manu admodum elegante. Continet:

1. Grammaticam notissimam *Giarumia* (Aldschrumija) et *de Centum Regentibus.*

2. *Grammaticam* Arabicam *aliam* uberiorem; cujus auctor hic edi videtur *Abdal Fakir Ben Abdallah Ben Abibekr.*

Recentis hujus Codicis si non descriptorem, tamen possessorem, fuisse Philologum aliquem Francogallum, ex adjecta primo folio versione interlineari Francogallica liquet.

45. Codex item Arabicus, formae octavae majoris, in charta laevigata, charactere non punctato scriptus, atque ex Oriente, ut videtur, adductus. Literas exhibet nitide quidem et curiose exaratas, sed minutas et artificiose contextas. Expositionem quandam *Al-Korani* complecti videtur.

46. Codex Arabicus, ejusdem formae, chartaceus, charactere simplici punctato exaratus. Capita quaedam *Korani* continet, sed ordine descripta perturbato; ita ut primae Surae mox subjiciatur ultima, s. CXIV, deinde excipiant CXIII, CXII etc. nulla servata perpetua consecutionis lege. Operculo inscriptum legitur: *Ex liberalitate Nobilissimi De la Rosiere, amici mei intimi, factus est hic liber Arab. Sparwenfeldii. Moscwae 4 Junii 85.*

47. Codex Arabicus, formae 8:vae minoris (s. 12:mae?), charta laevigata scriptus, ex Oriente sine dubio adductus. Operculo titulus libri adscriptus legitur: *Grammatica de Nomine, de Centum Agentibus et Verbo. Auctore Abi Becr Algiargiani.* Ad eruditum aliquem Francogallum olim pertinuit; qui contenta capitum, sua lingua, locis quibusdam margini adscripsit.

Quatuor hi Codices, de quorum pretio diligentius judicare meum non est, ex Bibliotheca acquisiti sunt Cel. Prof. *Clewberg.* Cfr. supra p. 89 not. [3]).

48. Codex Chartaceus, in Folio, varia complectens ad res Russicas pertinentia. Nempe

1. *Extrait du Livre Stepenna, pour servir de rectification à la Table genealogique des Grands-Ducs et Czars de Moscovie, de Hubner, inseré dans l' Atlas Historique.* Serie Chronologica exhibet successionem Magnorum Principum Russiae, indicatis praecipuis cujusque rebus gestis atque fatis, conjugibus atque liberis. Latine hoc scriptum, manu b. *Simonis Lindheim*, Consiliarii olim Supremi Dicasterii R. Aboënsis exaratum est, a *Rureco* ad electionem Magni Principis *Basilii Johannidis* (Iwanoviz) *Schuisky*, filum deducens. Subjiciuntur haec verba: *Finis Libri Stepennae.* Deinde additur: *Genealogia Czari et Magni Ducis Vasilii Iwanoviz Schuisky (de quo paulo infra);* post quam sequitur *Extrait d' un vieux Manuscrit pour la meme,* sistens seriem Magnorum Principum, eodem more Latine contextam, a morte *Theodori Johannidis (Faedor Iwanoviz),* ad annum usque 1690, s. natum Principem Haereditarium *Alexium Petrovitz.* Tandem subjicitur: *Extrait de la quatrieme branche de la*

Famille des Kobilins, de la quelle le Czar aujourdhui regnant est issu, tiré du Livre Manuscrit nommé Rodoslowna; nihil continens nisi nuda nomina [33]). Omnia viri ejusdem Nobilissimi scripta manu. Plagulae (arf)quinque.

2. Liber Russicus, literis vetustioribus s. Slavonicis (quae hodie in libris tantum ecclesiasticis adhibentur) exaratus, res Russicas ab anno circiter N. C. 1580 (nam ab occupata Sibiria orditur), ad annum 1630, s. ex computatione Russorum annum Mundi 7138, quo nata est Magna Princeps *Anna Michaëlis Filia (Michailowna),* Capitibus 429 persequens. Integer vero ad nos non pervenit; perierunt enim plagulae quae C. 237 et sequentia usque ad C. 261, continebant.

3. *O Velikoi Rossii Letopisetz,* h. e. *Historicus* (Chronicon) *Rossiae Magnae;* sistit *Compendiolum Historiae Russicae,* ab anno Mundi 2772 ad annum 7185, plagulis VII et quod excurrit, eadem lingua eodemque literarum genere exaratum.

4. *Historia Regni Casan, de ejus Initiis, victoria quam Magni Principes Russiae a Czaris Casanicis reportarunt, Regnique Casanici expugnatione, ductu orthodoxi Czari et Magni Principis Johannis Basilidis* (Iwan Wasiljewitsch), *omnium Russorum Autokratoris, facta.* Eadem lingua litterisque exposita; foliis constans 100. Opus integrum.

49. Codex Chartaceus in folio, Russicas item res continens:

1. Scriptum quoddam, lites tangens quae inter Imperium Russicum et Sinense agitabantur; Russice consignatum. Plagulae 2 cum dimidia. Fronti adscriptum est (Russice) *Exhibitum die 23 Augusti 1723, Collegio Rerum Peregrinarum.*

2. *O Primirenii zerkve Velikorossiskija s zerkoviju Rimskoju; s. de unione Ecclesiae Rossicae cum Ecclesia Romana.*

---

[33]) De variis his Librorum Russicorum Historicorum et Genealogicorun generibus, consuli potest Müller, Sammlung Rußischer Geschichte, V B. s. 8, 9, 10, 12, sq.

Famosum est illud *Scriptum Doctorum Sorbonicorum* (in Russicam linguam conversum), quod a. 1717 Imperatori Russiarum Petro I, Parisiis tum versanti exhibuerunt, ei persuasuri, ut unionem Ecclesiae Russicae cum Romana promovendam susciperet: quod Latine legi potest in Weberi Veränderte Rußland, I Th. p. 433—444.

3. *Index* s. designatio *(Wedomost) pecuniae quae ex Capitatione rediit per Satrapias Sibiriensem, Belgorodensem et Kasanensem,* Russice. Manca est, plagula tantum constans.

4. *Kniga . . . Letopisetz Rossisckich,* s. *Liber Chronicorum Rossicorum,* lingua literisque vetustis Russico-Slavonicis scriptus. Continet initium modo operis, de primordiis hujus Imperii agens; ita misere truncatum ad nos pervenit. Plagulae tantum IV.

5. Aliud Fragmentum, Libri Historici eadem lingua eodemque literatum genere scripti, turpiter autem adeo lacerati, ut non nisi Capita 68, 63 et 65 supersint: quae utrum ad genus illud scriptorum quod *Annalium (Letopisi),* an quod *Graduum (Stepennie)* nomine venit, pertinuerit, ignoro. Plagulae XII. Fronti praescriptum primi folii legitur: *Eodem anno, mente Augusti.* Deinde Capitibus atque Sectionibus hujusmodi Tituli praepositi obveniunt, ex quibus de tempore quod persequuntur judicare licet: *Cap. 68, De proditione Casanica a. 6044, die 25 Septembris, De morte principis Georgii, De adventu Czari Crimensis* Safakirja *in Russiam* a. 6049 die? Maji; *Cap. 63, De morte Magni Principis Basilii Johannidis* (Wasili Iwanowitsch) *a. 6042, die 21 Septembris, De Principis Georgii Johannidis* (Jurje Iwanowitsch) *captivitate; Cap. 65, De Praefectorum* (Wojewod) *Magni Principis Johannis Basilidis* itinere (s. expeditione) *in Lithuaniam a. 6043, De Lithuanorum Legatis, De Episcopi Novogordensis investitura, De bello Casanico quod a Magno Principe Johanne Basilidis susceptum fuit, De exilio Casanico.* In numeris annorum sine dubio vitia latent?

6. *Comparatio Linguarum Latinae, Russicae, Samojedicae Gugoriensis, Pustoriensis, Samojedicae Smesensis, et Mese-*

nensis. Folia V. Verba Russica et Samojedica Russicis, reliqua Latinis literis exprimuntur; atque in Tabula, juxta se invicem collocata, lineisque VI distincta, legenda sistuntur. Paginae ultimae Germanice adscripta est sequens observatio de Tabulae hujus usu: Bey vorſtehenden Aufſatz iſt zu bemerken, daß diejenigen Wörter, ſo unter der Pustoriſchen Colomne nicht angezeichnet, bey denen dort wohnenden Samojeden auch nicht befindlich ſind; dahingegen die ſo im Mesenſchen wohnen, weilen ſie mit denen Rußen mehr Umgang haben, auch von mehrern Sachen einige kenntniß und folglich auch in ihrer Sprache Wörter darauf haben. Wo unter bey den Columnen kein wort anzutreffen, zeiget es an, daß die Sache denen Samojeden gantzlich unbekant, wo ſie es aber bey denen Rußen ſehen und kennen lernen, geben ſie derſelben die Rußiſche Benennung, nach ihren Dialect ausgeſprochen. Das Geſchlecht der Samojeden ſo im Meseenſchen wohnet, ohngefehr in der Distance von 3 bis 400 Werſte von Archangel, nennet ſich Objondiro, und beſtehet aus zweyen Familien, Lache und Warnuta genandt; welche zuſammen ohngefehr 2 à 300 Perſonen ausmachen. Das Geſchlecht der Tihijandii wohnet weiter hin, und die Jugorſchen Samojeden, ſo um der Gegend von Pustoser wohnen, nennen ſich Chariri. Beym Jenisee und weiter hin an dem Lena Strohm, wohnen andere Geſchlechte von Samojeden, die ſich Manduji nennen; ihre Sprache iſt von dem übrigen Dialect ziemlich unterſchieden, doch können dieſe differente Geſchlechte ſich unter einander verſtehen, und ſtimmen übrigens in anſehung der Nahrung, Kleidung und Sitten völlig überein. Die alte art der Samojeden zu zählen, iſt nur bis 9 gegangen, wonach ſie wieder von eins zu zählen anfingen; dahero nennen ſie auch noch jetzo die zahl 10 in ihre Sprache das Rußiſhe 10, Lureeju (Luzeju?); ſonſten aber könnten ſie dennoch bey ihrer alten art zu zählen bis 100, auch 1000 und weiter heraus rechnen. Cfr. (v. Klingstädt) *Memoire sur les Samojedes et les Lappons;* quem librum Svetice vertit ac edidit b. *S. Loenbom,* St. 1773, 8:o Etc.

7. Scriptum Polonica lingua consignatum, ad res Russicas pertinens. Plagulae VI. Tempora *Johannis Basilidis*

II, et proxime sequentia tangere videtur: de quo autem mihi, utpote linguae ignaro, nihil praeterea addere licet.

50. Codex Chartaceus in 4:ta forma, sequentia continens Scripta, Russice contexta.

1. *Dobrochotnoje uvetschanije sotza ksinu*, h. e. *Benevola admonitio Patris ad filium suum.* Folia tria; ethici argumenti.

2. *Kratze sostojanii morskago korolevkogo flota, pervago Julia 1691*, h. e. *Brevis expositio de statu Classis Regiae maritimae, a. 1691 Mense Julio.* Classem Regiam Franco Gallicam ejus temporis recensere videtur. Plagulae XII cum dimidia.

3. Folia IV, Russice: indicem dierum exhibentia, sanctis nonnullis demortuis memoriaeque eorum celebrandae consecratorum; aut Necrologium, Coenobii alicujus Russici incolarum maxime celebrium emortuales dies recensens. Numeri annorum indicati, superiori seculo conscriptum esse docent.

4. *Instrumentum Pacis Cardisensis*, inter Sveciam et Russiam a. 1661 die 21 Junii constitutae, *Russice.* Articulis V primis et XVI:mo Germanica interpretatio e regione adjecta conspicitur; reliquis pariter vertendis et adscribendis spatium relictum est.

5. *Instrumentum Tractatus Plusisensis*, pro confirmanda et explicanda pace Cardisensi a. 1662, d. 12 Octobris inter utrumque Regnum conventi; *Russice* Primi IV Articuli, simili ac in praecedenti proxime scripto, more consilioque, Germanice reperiuntur conversi.

Tres hos Codices, (48, 49 et 50), ex relicto penu librario Nobilissimi *Lindheim* in Bibliothecam Acad. transiisse, supra jam indicavimus (p. 99 sq. not. [e]); dolendum vero, schedas et collecta scripta eruditi hujus rerumque inprimis Russicarum et periti et curiosi viri, antequam nobis servanda concederentur, tam negligenter habita maleque multata fuisse, ut pars penitus perierit, pars lacerata discerptaque fuerit. De lingua Samojedica conferri merentur quae ipse monuit in *Novis Actis R. Societ. Scientiar. Upsal.* Vol. II p. 34 et 35.

51. Några timmars oſkyldigt Tidsförbrif, rörande någon ei af den mindre *Detaillen* wid et Indelt Regimente til Foth. 1756. Sive ut alio folio vocatur: Några timmars Tidsförbrif, eller Boſtälls nöje, rörande någon del af den mindre *Detaillen* wid et Regimente til Foth. I uprichtig wählmening af *G. O.* h. e. *And. Georg. Wetterhoff*, Centurione Legionis Pedestris, Ditionis Aboënsis, (Capitaine wid K. Åbo-Läns Infanterie-Regimente); cujus post mortem, beneficio Haeredum suorum, volumen hocce Bibliothecae Acad. asservandum cessit. Codex chartaceus, in folio maximo, Svetice, manu eleganti scriptus, figurisque pulcre delineatis (opera Generos. D:ni *Erici Stjernwall*, Chiliarchae demum R. Dimacharum (Dragoner) Ditionum Nylandensis et Tavasteburgensis, auctori affinitate conjuncti). Testatur opus hocce, eorum judicio qui de his rebus judicare scite valent, de auctoris et industria et studio, rei militari patriae utiliter inserviendi, artisque suae experientia haud vulgari; ita ut, quamvis jam multa, suo tempore emendationis haud dubie indiga, melius constituta sint, atque ad mutatam interim perfectamque rei hodiernae militaris rationem plura sua monita consiliaque non amplius quadrent, tamen quae ad rationes ac artes militum curandorum regendorumque minutiores et magis particulares pertinent (den mindre detaillen) atque ad militis gregarii in bello castrisque versantis oeconomiam, victum atque cultum (Soldatens hushållning och lefnadssätt) spectant, haud sint spernenda. Continet praeterea facta historiolasque passim allegatas, neque inutiles scitu artis militaris studiosis, neque injucundas, testes peritiae suae ususque harum rerum laudabilis; quae omnia dignum omnino reddunt librum, qui in memoriam auctoris conservetur, alio loco diligentius merito suo celebrandam [34]).

52. Codex Chartaceus in folio, scripta quaedam Hi-

---

[34]) Ab ordine recedentes temporis quo Bibliothecae nostrae acquisiti singuli Codices fuerunt, ad volumina quaedam describenda jam transimus, quorum cognitio fructuosior harum rerum curiosis visa est.

storica, ad res patriae illustrandas spectantia complectens, nempe:

1. Then Swenſke Crönika M. Olavi Petri. Idem illud Chronicon, cujus jam supra p. 112 (Cod. VI n. 6) et p. 140 (Cod. 32) alia duo exemplaria, ad Bibliothecam nostram Acad. pertinentia, paucis descripsimus. Praefationis prima folia, injuria temporis perierunt; opus vero ipsum, foliis 183 descriptum, integrum continetur.

2. Följer Konungh Göſtaffs Crönika. Hujusmodi rubro praescripto, Chronico illi *Olai Petri* subjungitur *Chronicon* Petri Nigri s. Svart, res gestas Regis gl. mem. *Gustavi I:mi* persequens; idem de cujus alio exemplo supra p. 111 (Cod. VI n. 1) commemoravimus. Continuatur autem ad annum usque 1569 sive ad mortem Regis: ab alio itaque auctore adjecta sint, oportet, quae post a. 1533, ubi *Nigri* labor finit, relata leguntur; ab *Erasmo* forte *Ludovici (Rasmus Ludvicsson)*, de quo atque Chronico ejus videatur Nobil. a Celse l. c. [35]), profecta.

3. Konung *Erichs* Regementtes Handlingar, emellan Swerige, Danmarck, Tydzſkland, Liſland och Ryßland: wthdragne aff *Peder Lyderssons* och *Rasmus Lodvicssons* Handlingar, och then Liſlendſke Crönikan, ſampt andre *Memorialer;* aff *Olof Carlsson Krauuss.* De quibus auctoribus (*Erasmo Ludovici* excepto), eorumque hisce operibus, occasio mihi defuit aliquid praeterea resciscendi. Continuatur autem Chronicum nostrum, ab anno 1560, sive initio imperii Regis, ad annum usque 1569, quo deturbatus solio fuit; ex eodem hoc opere contractam esse *Historiam* illam *R. Erici XIV:ti*, cujus Fragmentum, Codici VI, supra p. 111 sqq. descripto, insertum esse docuimus, collatione facta deprehendimus.

4. *Paralipomena* eller Biſhandlingar, myket nyttighe att weta, ſom lydha till K. *Göstaffs*, K. *Erichs* och K. *Johans* Regementtes Handlingar: ſammanhämptadhe aff en Konunglig *Secreterare Swen Elofzson.* De quo et auctore et Libro, con-

[35]) Nempe Underrättelſe om åtſkillige handſkrifne Krönikor öfwer K. *Gustaf* den *I:s* Regering, in Cel. Gjörvell Kongl. *Bibliothekets* Handlingar 1 B. 1 D. p. 8 sqq.

sulatur Nob. A CELSE l. c. p. 14 sq. Praefationi, etiam in nostro exemplo, subscriptum legitur: Schrifwit i Weſterås om wåren år etc. 1599; quod ob dubitationem de aetate auctoris motam, significandum duximus. Persequitur vero gesta Regum supra memoratorum, ab anno 1556, ad anni 1579 mensem Septembrem.

Singula haecce Chronica haud incuriose descripta reperiuntur: cumque ad marginem folii 29, ubi narrat *Olaus Petri* Birgerum Ducem *(Birger Jarl)* arcem Tavasteburgensem tempore expeditionis suae contra Tavastos susceptae, a. 1250 condidisse, alia manu, atramentique colore multo recentiore quam qui in litteris conspicitur quibus ipse Codex exaratus est, adscriptum legatur: åhr förbenſtull gammalt 385 åhr; colligere hinc licet, exemplum nostrum ante annum saltim 1635, (initio seculi superioris, aut etiam in fine quarti decimi), descriptum fuisse; quod literarum etiam forma confirmat.

Egregium hunc Codicem debet Bibliotheca nostra amicae liberalitati Adm. Rev. atque Praecl. D:ni M. *Magni Jacobi Alopaei*, Logicae et Matheseos ad R. Gymnasium Borgoënse Lectoris.

Dabimus jam Codices, quibus penum nostrum librarium benefice auxit Ampliss. *Arckenholtz* (cfr. supra § XXX not. [9]); suntque sequentes:

53. *Sacra Biblia*, Latine, ex Versione Vulgata. Codex membranaceus, in forma 4:ta, aut 8:va majore; litteris minutis quidem, sed diligenter pictis exaratus. Compendia vero scriptionis non parce adhibita, lectu reddunt difficiliorem. Praecedit ipsos Libros Biblicos: *Prologus S:ti Jeronimi presbyteri super totam Bibliothecam.* Ad calcem occurrit interpretatio nominum Hebraicorum aut Graecorum in Bibliis obviorum, ordine alphabetico disposita. Glossae hic et ibi adscriptae margini cernuntur, inprimis Libro Geneseos. Folio primo Codicis, manu b. *Arckenholtzii* sequens nota addita legitur: „*Observavit Jo. Jac. Vettstenius in suo Discursu supra locum 1 Johannis V. v. 7 et 8, quod alii Codices Latini N. T., et magno numero, verba commatis 8:vi:*

et hi tres unum sunt, *non habent: alii non minori numero testes terrestres, qui in Graecis commate 8:o producuntur, testibus caelestibus, de quibus agitur commate 7, praeponunt (pl. vid. Wettstenii Nov. Test. Graec. T. II p. 725). NB Eadem transpositio in hoc Codice occurrit.*" Ad quem olim Codex pertinuerit, haec verba docent, eidem folio inscripta: *Clarissimo Doctissimoque Viro* Joanni Kleinschmidt, *L. L. Doctori Hassiaeque Principi a consiliis dignissimo*, Wernherus Crispinus *gratitudinis et memoriae ergo dono dabat. 14 Decembris Anno Salutis humanae 1569.*

54. *Alcoranus*, Arabice, Codex Chartaceus in 8:o; de quo nihil praeterea habeo quod commemorem.

55. *Memoires et Negociations de Mr.* De Rusdorff, *Gentilhomme Allemand et Conseiller privé du Serenissime Prince Frederic, Roi de Boheme Electeur Palatin; où les Conseils, les actions et plusieurs Anecdotes des premieres Cours de l' Europe, depuis l' an. 1622 jusqu' en 1634, sont exposées avec la capacité d' un grand Ministre et la franchise d' un honête homme.* Codex chartaceus in Folio. Ipsum exemplum protographum (Concept-exemplaret) concinnatoris, qui opus hocce in publicam edere lucem constituerat, b. *Arckenholtzii* manu maximam partem scriptum, aut correctum saltem atque limatum: qui alterum libri, prelo parati, exemplum nitide descriptum, voluminibusque duobus in folio constans, se Archivo Regni legasse atque tradidisse, his verbis, nostro exemplo adscriptis, testatur: Afſkriften af detta *originale* utfaſtet til *Joachim Rusdorfs Memoires*, har jag *legerat* och lämnat, genom Herr *Baron* och Lagman (jam Cantzlie-Råd ſamt Ridd.) *Gustaf Ribbing*, til Rikes-*Archivet:* år 1770, uti 2 *folianter*. Qui a. 1760 Gallice et Anglice typis divulgatus fuit *Prospectus* Operis hujusce, (cujus, *subscriptionis* ope in publicum edendi consilium Bibliopolae quidam Amstelodamenses ceperant), et pretium ejus et indolem perspicue exponit: quare inde, quantum nostro convenit instituto, excerpsisse, satis erit ad justam Codicis nostri ideam informandam. Ita vero ille: *Le Manuscrit qu' on offre au Public, occupe deux Volumes in Fo-*

lio (noster uno comprehenditur), *ce qui imprimé en quarto fera bien cent ou 120 feuilles. Il est fidelement copié d' après des originaux contenus dans quatre gros volumes in Folio, qu' on a soigneusement conservés dans une des Principales Bibliotheques d' Allemagne, et sur l' authenticité desquels l' on peut sûrement compter. Ils consistent en Lettres, Depeches et Instructions, servant à eclaircir ou à developer les evenemens les plus remarquables, de même que les plus importantes negociations de la plupart des cours de l' Europe, mais surtout de celle de la Grande Bretagne, où notre Auteur Mr. le Baron Jean Joachim de Rusdorf, avoit residé depuis l' An. 1622, jusqu' en 1628. Il etoit d' une illustre et ancienne famille du Palatinat, d où il avoit eté envoyé à Londres en qualité de Ministre Plenipotentiaire par cet infortuné Prince Frederic, Roi de Boheme, Electeur Palatin. On trouvera difficilement dans d' autres recueils Historiques un si grand nombre d' Anecdotes du Regne des Rois Jacques et Charles I, que dans ces Memoires de Rusdorf, dont la suite s' etend jusqu' dans l' année 1634. L' accès libre que lui donnoit la qualité de Ministre auprès du Beaupere et du Beaufrere du Roi-Electeur son Maitre, lui procura la facilité de parvenir à la connoissance des Plans et des Projets de la Cour d' Angleterre: où Rusdorf fort au fait de ceux qui se traitoient dans les Cabinets des Princes etrangers, fut consulté dans les occurrences les plus importantes, tant par les Rois que par leurs Ministres, avec lesquels il entretenoit un commerce de Lettres aussi suivi qu' etendu. Quant au gouvernement interieur de la Grande-Bretagne, il en etoit instruit à fond, où par les Rois Pere et Fils, et leurs favoris, ou par les chefs des deux partis qui divisoient le Parlement, lesquels avoient une egale confiance en lui. En exposant et en developant les faits qu' il rapporte, Mr. de Rusdorf a montré toute la capacité d' un grand Ministre, et toute la franchise d' un honnete homme. Ce qu' il en dit, peut servir de clef et de donouement aux grandes affaires, qui pendant cet epoque critique de douze ans, etoient sur le tapis dans les Cabinets des Cours de l' Europe. Tous ces*

papiers et lettres ont éte redigés en ordre chronologique, et liés par une narration claire et simple des choses, qui tendent à eclaircir les ecrits et les ouvrages de notre Auteur. L' on en a pris les materiaux de ce Manuscrit en quatre volumes en Folio, dont nous avons deja parlé, et qui n' a jamais vu le jour. Pour eviter la prolixité, on n' a dans quelques endroits fourni que des Extraits: dans d' autres l' on a donné les pieces en entier. Le tout est precedé d' une preface raisonné en sept feuilles, et de la vie de Mr. de Rusdorf, qui en occupe autant. L' on y joint une Appendice de pieces justificatives, avec une table des matieres des plus complettes. Il est bon d' avertir, que ce qu' il y a de publié de l' illustre M. de Rusdorf, sous le titre de Consilia et Negotia publica, *de l' An. 1726 en Folio, dedié au feu Roi de la Grande Bretagne, n' a rien de commun avec ces Memoires Manuscrits.* Notum eruditis est, Collectionem illam Epistolarum *Rusdorfii* originalem, unde b. *Arckenholtzius* hos Commentarios excerpsit atque adornavit, in celeberrima Bibliotheca Ser. Landgravii Hassiae, Cassellis asservari. Consilium autem operis utilissimi typis edendi, successu caruit; quare Codex scriptus tanto majoris haberi debet pretii. De vita, meritis, scriptisque *Rusdorfii*, praecipua ex opere hoc laudato, cum orbe erudito communicavit Cel. *Guil. Jo. Chr. Gust. Casparson*, Professor Collegii Illustris Carolini quod Cassellis floret, edito libro cui titulum fecit: Nachrichten von der Perſon und dem Leben **Joh. Joachims von Rusdorf**, ehemaligen Churpfältziſchen Geheimen Rathe, geſammlet von Herrn Rath **Arkenholz**, und aus deſſen franzöſiſchen Handſchrift herausgegeben von *W. J. C. G.* **Caſparſon**, Franckf. und Leipz. 1762, 8:o. Ex eodem fonte, *Arckenholtzii* nempe quae in nostro Codice comparet *vita Rusdorfii*, eadem breviter exhibetur concinnata, in Upſoſtrings-Sällſkapets Tidningar pro A. 1782, N:is 114, 115 et 116, 117, p. 455—459, et 461—464; quae diligentiae debetur M. *Jacobi Tengström*, Adjuncti jam Fac. Theol. in R. hac Academia laudatissimi.

53. *Ambassade de Monsieur* DE LA BODERIE *en Angleterre, es Années 1606, 1607, 1608 et 1609 Tom. I. Pre-*

miere Partie. Cette premiere partie contient les depeches et lettres du dit Sieur de la Boderie depuis le 22 May 1606, jusques à la fin de l' année 1607. Codex chartaceus in Folio, nitidissime scriptus; solam hanc *Primam partem* complectitur. Epistolis Legati praemittitur *Instruction pour le Sieur de la Boderie, Conseiller du Roy en son Conseil d' Etat, que sa Majesté envoye presentement pour Son service devers le Roy de la grand Bretagne Son très cher Cousin et ancien Allié.* Cui subscriptum legitur: *Fait à Rheims le 26 Avril 1606* HENRY. Et inferius: *D. Meufville.* Excipiunt *Orationes Legati* ad Regem et ad Reginam Magnae Britanniae. Tandem ipsae Epistolae adjunguntur. An in publicum emissae unquam sint, esse fateor mihi ignotum.

56. Consilium, sive Institutio, de Imperii Turcici gubernaculo rite tenendo, a Turca aliquo prudenti et suae reipublicae perito, Sultano alicui Turcico nuper ad imperium admoto exhibita; in Svecicam linguam conversa, plagulis chartaceis XIX cum dimidia continetur. Rubro nullo insignitur, neque vel auctoris vel temporis quo scripta est ulla facta reperitur mentio; ut nec interpretis nomen comparet. Caeterum notitiam simul totius status Turcici exhibet diligentem, Magistratuum Praefectorumque omnis generis officia describit, Ministrorum Aulicorum diversos ordines persequitur, Exercitus cum suis institutis, nec non Reditus atque Sumtus publicos, cognoscendos praebet. Post Solymanni II:di tempora auctorem scripsisse, inde liquet quod Budam inter urbes Imperii Turcici recenset; quin ex sequenti loco colligere licet, scriptum hocce Sultano *Ibrahimo,* fratri *Amurathis (Myrad)* IV:ti qui Bagdadim expugnavit, fuisse exhibitum: Min Stormächtigſte Keyſare, när Eders May:ts broder glorwörbigſt i åminnelſe war för Bagdad, då ſloges Venetianerne med Algererna, ſåledes, at Venetianerna wunno Battailen och togo til fånga 15 ſkepp och Galeyor och giorde dem ſtoor ſkada. Eder Broder bleſ deröfwer mycket ond, och ſkref til Venetianerne ſåledes: jag will bryta freden med Eder och will intet wetta utaf Eder wänſkapp; då bleſwo Venetianerne rädde, och tilbödh Eders Maij:tts Broder 500000 Riksdal.

att freden ey ſkulle brytas: etc. (Cfr. quae de eadem hac re narret LAUGIER *Hist. de la Republique de Venise, T. XI, L. XLIII p. 299—303, et 306 sq.*). Capite *de Rusticorum et subditorum conditione*, sollicitam horum curam auctor Sultano commendat; unde quaedam verba exscribemus: Nu blir Böndernes och underſåtarnes tillſtånd förklarat. Eders Maij:tt bör wetta att Bönderne äro Eders Maij:ts Skatt; uthan Bönderne kan man ingen Skatt ihoopſambla, och uthan Skatten kan man inga troupper ſammanbringa, och uthan troupper kan man intet wara Keyſare. Man måſte altijd hafwa medlijdande med de fattige underſåtare, och med flijt ſee efter deras tillſtånd ꝛc. Paullo post adjicit: Men, Nådige Keyſare, igenom deße många krijgen äro Bönderne bleſne utharmade, och derföre bortlupne, för den orſaken ſkull att man dem giort oförrätt; ſåſom til exempel: uthi en by hafwa tillförende 10 huus warit anſlagne att betala contribution, men af dem äro bönderne uthi 9 huus bortlupne och en allenaſt bliſwit qwar; när nu den kommer ſom ſkall upbära contribution, ſå tar han lijkafullt af det ena för 10 huus contribution, hwilken ſig beſtijger till 3 Riksdal. på hwart huus, etc. Ignotum mihi, an ullibi hoc scriptum typis expressum fuerit; qua tamen cura haud indignum est. A translatore Svecano, adjecta margini interpretatio conspicitur vocum praecipuarum Turcicarum, quas ut Technicas in textu retinuerat; qualia sunt nomina dignitatum, mensurarum, pecuniae etc. Initio circiter seculi praesentis, aut ad finem vergente superiore, interpretationem factam esse, stilus et orthographia indicant.

57. Volumen Chartaceum, in Folio; collectionem Epistolarum aliorumque varii generis monumentorum complectens, ad res maxime Svecicas illustrandas pertinentium, partim manu Ampl. Arckenholtzii exscriptorum, partim ab eo cum autographis aliisve certae fidei exemplis collatorum. Reliquias hasce paucas sane sparsasque, quae ex locupletissima sua diligentissimaque monumentorum hujus generis collectione, (nescio quod fatum experta), ad nos pervenerunt, in unum volumen compingi curavimus. Sunt quaedam typis jam vulgata, alia vero adhuc inedita: quam tamen rationem diligenter persequi, et genus utrumque accu-

rate distinguere, nobis hactenus non licuit, quibus otii satis non superfuit, tot percurrendis Collectionibus ac Voluminibus, per quae rerum patriarum hujusmodi monumenta dispersa lucem publicam adspexerunt, impendendum. Ut qualia nostro tamen hoc volumine contineantur judicari quadantenus possit, indicem quorundam dabimus, (omissis iis quae typis exscripta alicubi exstare certo meminimus): 4, Hertig *Carls* Bref (contra Senatores) dat. Westerårs d. 13 Febr. 1597. 6, *Jo. Messenii* Epistola ad R. Cancell. Ax. Oxenstierna, dat. Ups. d. 21 Mart. 1612. 7, Fem ſt. K. *Gustaf Adolphs* Bref til Fröken Ebba Brahe, a. 1613 et 1614. 8, 15, Binae *L. Camerarii* Epistolae ad Ax. Oxenstierna, dat. Hagae Com. $\frac{1}{11}$ Mart. 1623, et Alton. 15 Maji 1626. 9, 14, 25, 28, 29, *Joach. Rusdorfii* Epistolae, ad R. Gustavum Adolphum, Lond. 14 Cal. Jan. 1624, ad Senat. Gabr. Oxenstierna, Hampton. 13 Cal. Sept. 1625, atque tres ad R. Canc. Axelium Oxenstierna, dat. Lugd. B. 6 Jul. 1629, Lut. Paris. non. Dec. 1629 et 8 Cal. Febr. 1630. 10, 12, *Joh. Rutgersii* quinque Epp. ad eundem; dat. Hagae 30 Mart., 5 et 26 Jun. 1624, et Hafn. 20 Jan. 1625. 16, 19, 49, Trenne K. *Gustaf Adolphs* Bref til R. C. Axel Oxenstierna, dat. Häringe d. 1 Apr. Stockh. 26 Dec. 1628, Lägret wid Nürnb. 1 Aug. 1632. 17, 18, 37, 51, 53, 56, 57, 58, *Ax. Oxenstierna* Ep. ad P. Strasburgh, Elb. 26 Jul. 1628; *Ejusd.* Bref til Rikſ. Råd Ib. 30 Nov. 1628, til K. Gustaf Adolph ib. 17 Jan. 1631, til Rikſ. Råd Frankf. wid Mayn 14 Nov. 1632, Cöln an der Spere 4 Febr. 1633, til Rikſ. Ständer 4 Febr. 1633, til Ridderſkapet och Adeln, it. til Präſterſkapet, it. til Borgare- och Bonde-Ständen wid Riksdagen förſamlade, Mayntz, 20 Jun. 1634. 20, Instruction womit — Wir *Gustavus Adolphus* — unſern Hoff-Marſchaln — Dietrichn von Falkenbergh — naher Teutſchland abgefertiget haben. It. alia, dat. Stockh. 2 Jan. 1629. 21, 22, Literae salviconductus, et Instructio ad cujus tenorem in militibus peregrinis conducendis, eidem erat agendum. Stockh. d. 16 Jan. et d.? Jan. 1629. 23, Instruction für den Hoffmarſchalk (eundem) wegen Königl. Maj:ts Kupfers, ſo Ihr Königl.

M:ſt in Amsterdam anitzo liegen haben. Stockh. 27 Jan. 1629. 24, Tres Epist. *Jo. Cabeljavii* ad Ax. Oxenstierna, dat. Holmiae e Museo, Hagae Com. 5 Jan. 1629, et Holm. 5 Jun. 1648. 27, K. Gustaf Adolphs och Riſſ. Råds Deliberation ang. Tyſka Kriget, på Upsala Slott d. 26 Oct. 1629. 38, Litterae R. Gustavi Adolphi Commendatitiae ad Turcarum Imperat. Amurathem III, pro Principe Vidua Transsylvaniae Catharina. 89, Responsum Amurathis ad has litteras, (dat. die 26 Jun. 1642). 40, Mandatum R. Gustavi Adolphi ad Legatum suum Paulum Strasburgh, de negotiis ejusdem Principis Catharinae promovendis, dat. Gembergae d. 3 Sept. 1631. 41, Epistola Pauli Strasburg ad R. Gustavum Adolphum, d. Albae juliae $\frac{1}{12}$ Febr. 1632. 45, R. Gustavi Adolphi Ep. ad Principem Transsilvaniae Catharinam, dat. Augustae d. 18 Maji 1632. 26, *Cornelii Haga* Epist. ad..., dat. Constantinop. d. 26 Jul. 1629, ad eadem ista negotia etc. pertinens. Praeterea multae variorum Litterae ad R. Cancellarium *Ax. Oxenstierna:* 30, *Thomae Roe,* Legati Anglici in Aula Svecica, dat. Gedani $\frac{1}{11}$ Apr. 1630; 33, *Eliae Pauli* Consulis Stetin. d. 9 Sept. 1630, et 7 Apr. 1631; 54, *Johannis Braun,* d. Hamb. 16 Nov. 1633; et *Joh. Narssii* d. Francof. $\frac{1}{11}$ Jul. 1633. 63, *Tilem. Stellae* d. Lut. Paris. 16 Cal. Aug. 1637. 61, 68, Quatuor *Claudii de Mesmes* (Com. d'Avaux), d. Lut. Paris. 15 et 19 Dec. 1642, 20 Jun. et 10 Jul. 1643. 66, Tres *Evurtii Jollyvet,* d. Lut. Paris. 17 Febr. 1634, 6 Maji et 1 Aug. 1637. 71, Quatuor *Hugonis Mouati,* d. Lond. 24 Oct. 1645, postrid. Cal. Jan. 1646, postr. Cal. Jul. et 22 Jul. 1747. Etc. 47, 50, *J. Camerarii* Ep. ad... dat. Herspruch in Norico d. 21 Jan. et Norib. 16 Sept. 1532. 65, Skriftwäxling emellan Ambassad. Gr. Joh. Oxenstierna och Hof-Canc. J. Adler Salvius. Nov. et Dec. 1641. 80, Transsumt ur 2:ne Riks-Canc. Gr. Ax. Oxenstiernas bref til ſin ſon Eric, d. Stockh. 19 och 24 Dec. 1653. 84, Stäl til beweka de Engelſke at träda uti närmare Commerciers handel med Swerige, af R. R. Bengt Skytte, 1662. 85, Rationes pro Hollandis et contra Anglos (ad idem negotium pertinentes) 1663. 89, Extract af Instruc-

tion för Kongl. M:ſts Plenipotentiarier och Extraordinarie Legater — wid förekommande fredz negotiationes uti Nimwegen. Dat. Stockh. d. 19 Apr. 1676. 90, Menige mans i Skåne och Blekingen deprecation til K. Carl XI, för det de tagit Danſka partiet. 91, Riks-Canc. Gr. Magn. Gabr. Dela Gardies Vindiciae Veritatis eller Sannings-Förſwar emot onſkefull — beſkyllning Dat. Höjentorp d. 7 Febr. 1678. 92, K. Carl XI:s Skydds-Bref för Lifländſke Bönderne, dat. Stockh. d. 23 Maji 1684 (in originali). 93, N. Lilienroths (Legati Svec.) bref (til Gr. Bengt Oxenstierna?) ang. den uprättade Scandaleusa Statuen i Paris, dat. d. 19 Febr. (1 Mart.) 1686; it. hans memorial derom til Franſka Stats-Ministern N. N. 96, Gränſe-Commissions (mellan Herjeådalen och Trondhiems-län) Bref til K. Carl XI, dat. Meßlinge bruk d. 8 Aug. 1690; it. 2:ne til Danſke Commissarierne dat. d. 5 och 9 Aug. ej. a. it. et ifrån Swenſka Commissionens Secreterare And. Utterclo til den Danſke Paul Steen, d. 9 Aug. ej. a. 117, Cane. Rådet *Ol. Estenbergs* Memorial til Kongl. Canc. Collegium, ang. 1282 års Riksdags-Beſlut på Helge Ands Holmen, dat. Stockh. d. 23 Sept. 1734. 118, Ass. *Jo. Helins* Mem. i ſamma ämne. 125, Tilförlåtelige Bewis af Franſke Nationens ſinnelag och ombömen — om den Swenſke Nationen etc.; ex iis *Arckenholtzii* nostri operibus politicis, quae fatalia auctori fuerunt.

58. Codex Chartaceus in Folio, monumenta varii generis continens, res praecipue Svecicas, Historiamque Literariam spectantia. Exempli caussa quaedam indicabimus: 5, E Collectione Palmsköldiana, Tom. de Uplandia, *de R. Amiralio Com. Carolo Gustavo Wrangel,* Gallice. 8, *Matthiae Palbitzki* narratio de vita sua atque peregrinationibus: Germanice. 9, Vita *Georgii Stiernhielm, et Magni Rönnovii Dublars.* 15, K. Carl XII:s Cancellie-Ordning, gifwen Timurtasch d. 26 Oct. 1713. 35, Index Alphabeticus rerum in Patria, regnante Regina Udalrica Eleonora gestarum; sub lectione, ut videntur Commentariorum Senatus Regni (Råds-Protocollerne) confectus, quorum volumina et paginae citantur: Labor inceptus modo, neque ultra men-

sem Maji a. 1719 continuatus. Historiam Patriae, a morte R. Caroli XII, ad mortem R. Friderici I, ex decreto Ordinum Regni scripturus, hujusmodi sese apparatu atque subsidiis instruere diligentissimus *Arckenholtzius* coepisse videtur; sed morbo senioque impeditus, pertexere telam non valuit. 36, Memorial ang. Perl-fifferierne (til K. Cammar-Collegium?), af *Henr. Schylman* (postea Commiss. Status), dat. d. ? Dec. 1733. Huic volumini etiam adjectae quaedam plagulae sunt, e schedis *Lindheimianis* servatae, (supra p. 99 sq. not. q), et p. 155), haud illae quidem integrae, res Russicas Ecclesiasticas spectantes, Germanice perscriptae; e Russico translata idiomate scripta pauca exhibent, atque inter illa Testamentum illud insulsum, quod Monachi Russici *Magno Erici* R. Svecorum affinxerunt (cfr. Tidn. utgifne af et Sällſkap i Åbo, 1783, N:o 36).

59. *Recueil de Diverses Pieces.* Volumen Chartaceum in 4:o, nitidissime scriptum et compactum; foliis constans 160 cum dimidio, praeter indicem contentorum et Epistolam dedicatoriam, ad D:num *Guil. de Gehebe,* Consil. Hassiacum *(Conseiller de Guerre et des Finances, et Secretaire du Cabinet)* Gallice scriptam et volumini praemissam, dat. Stockholmiae d. 24 Nov. 1735, cui nomen suum auctor subscripsit C. L. H. Meditationes varias continet, judiciaque et annotationes, Politici, Ethici et Literarii generis, sermone partim Germanico; quasdam etiam ad res patriae nostrae spectantes: non maximi tamen pretii.

60. Volumen Chartaceum in 4:o, ex schedis variis sparsisque compactum, a b. *Arckenholtzio* vel propria manu exscriptis, vel cum autographo collatis, vel undecunque collectis; Historici plerumque aut Politici argumenti. Exempli loco quaedam horum etiam monumentorum indicabimus: 2, *Personalier* öfwer Hertig *Carl Philip,* af K. Gustaf Adolph fielf med deß egen hand upſatte och conciperade. In margine annotatum legitur: *ex Msto R. Gustavi Adolphi.* Typis exscribi curavimus in Tidn. utg. af et Sällſk. i *Åbo,* pro A:no 1778, N:ris 15 et 16. 3, R. Canc. *Axelii Oxenstierna* 7 Literae ad Canc. Regni Poloniae, ad Vice-Cancell. Zamoi-

scium, ad Castellanum Cracoviensem, etc. omnes dat. Elbingae d. 5 Febr. 1631. 7, *Ejusd.* Företa[l] til K. Gustafs den Stores af Swerige begångne gerningar och Hiſtorie (una cum initio operis ipsius imperfecti). Ex autographo Illustriss. Auctoris. 8, *Ejusd.* 4 Epistolae ad filium (Jo. Oxenstierna) dat. 13 Jul. d.? Jul. $\frac{?}{?}$ Jun. 12 Sept. 1635. 4, R. *Gustavi Adolphi* Litt. ad Ax. Oxenstierna, dat. Falkenoviae 5 Oct. 1626. 5, *Ejusd.* Ep. ad Bened. Oxenstierna, dat. Lägret wid Dirschow d. 12 Jul. 1626. 14, Kongl. M:ſts Skrifwelſe til Gr. Pehr Brahe om Triple Alliancen etc. dat. Stockh. 17 Febr. 1669. 15, Quatuor *Lud. Camerarii* Epist. ad Axel Oxenstierna, dat. d. $\frac{6}{16}$ et $\frac{12}{22}$ Apr. 1630, Hagae Com. d. $\frac{18}{28}$ Nov. 1632 et $\frac{1}{11}$ Jan. 1633. 21, *Compositio Caroli Gustavi* (Itinerarium, Latine scriptum) *ab A:o 1638 mense Majo,* (a d. 16 Maji ad d. 24 Julii). Ex autographo Regis. 22, *Ejusd.* Epist. ad R. R:que Sveciae Tutores et Curatores, dat. Montforti d. 12 Maji 1639. 23, Brevis vita *Johannis Adler Salvii,* ex Coll. Palmsköld. 25, *Jo. Schefferi* Epist. ad Jo. Mothium, dat. Ups. 13 Dec. 1665. 28, *B. C. Rålambs* Oration öfwer Hr. *Carl Båts* Hufwud Baner då det ſönderſlogs på grafwen, hållen i Ridderholms Kyrkian d. 20 Nov. 1698. 31, *Cl. Örnhielms* Berättelſe til Kongl. Rådet Gr. Dahlberg, ang. Swenſke Riddare-Orden, dat. Stockh. d. 5 Dec. 1693. 40, Anonymi annotatio de Mulieribus Sveciae Eruditis, Svetice. 45, Index rerum ad Historiam Sveciae Politicam et literariam, Regnantibus Regg. Gustavo Adolpho, Christina, Carolo Gustavo et Carolo IX, pertinentium; accurate significatis fontibus, partim typorum ope vulgatis, partim adhuc in Mss. delitescentibus, unde hauriri earum cognitio queat. Pagg. 91. Cognoscere ex hoc scripto licet, quam diligenti et vasta hujus generis monumentorum instructus fuerit auctor collectione; qua dispersa, laboriosissimus hic Index nullius jam est usus. 52, *Remarques sur l' Histoire de la vie de Gustave Adolphe Roi de Suede, ecrite par Mr. Walter Harte.* Folia 22. 66, om Sultans Hoff. Narratio de aula et Regimine Turcico. Tempus quo scripta est, prima verba indicant, quae talia sunt: Den Turkiſke nu

1711 regierende Herren Peter Achmet den trebie. Etc. Auctor mihi ignotus. Pagg. 42. Praeter multa alia scripta, pretii haud spernendi.

61—74. Epistolarum Volumina XIII, a Viris diversis Illustribus, Nobilibus et Eruditis, plurium Nationum ac gentium, ad B. *Arckenholtzium* scriptarum; quas in ordinem ab ipso, dum viveret, redactas, numerisque suis signatas, compingi curavimus. Neque aequalis omnes esse pretii, neque exspectari omnino posse ut quid contineant doceamus, facile intelligitur. Usu tamen ac pretio minime carere, talium rerum periti non nesciunt; neque alio loco nos etiam fructum ex iis repetere atque impertire supersedebimus. Praeter haec vero, fasciculi literarum ad virum eundem celeberrimum scriptarum *quatuor* in Bibliotheca Acad. asservantur, quas ipse a reliquis secrevarat, ad posteritatis cognitionem minus fructuosas. Majoris autem pretii sunt, et in se, et ad Epistolas fautorum atque amicorum quas spectant plenius intelligendas, fasciculi *quatuor* alii, prototypa exempla s. adumbrationes (concepterne) Literarum quarundam complexi, quas ipse ad claros viros dedit, quibuscum sibi genus hoc commercii intercessit.

75. *Regitre des Memoires de Gustave Adolphe Roi de Suede.* Codex Chartaceus in 8:o. Nihil aliud est nisi Index Alphabeticus a b. *Arckenholtzio* in Commentarios Rusdorffii, supra a nobis descriptos confectus; quos ad res summi Regis illustrandas maxime pertinere, dubio caret. Comparatio et hujus Indicis, et ipsorum Commentariorum, cum monumentis quae Voluminibus modo a nobis commemoratis N. 58, et 60 continentur, instituta, luculenter docet *Appendicis* ad laudatos Commentarios ab auctore adornatae (quae a nostro illorum exemplo abest) ac infeliciter dispersae partem in illa immigrasse. Tantum de Mss. *Arckenholtzianis.*

76. *Mappam Japanicam,* rarum Bibliothecae nostrae cimelium, quam liberalitati favorique debemus Illustrissimi Maecenatis, Regis Regnique Senatoris etc. Comitis *Ulrici Scheffer,* supra jam descripsimus, (§ XXX, not. [4]), p. 98 sq.)

quantum a nobis, et linguae et literarum quibus insignita est penitus ignaris, praestari potuit.

77. Quod idem de plagula Tanguticis literis inscripta, (de qua supra cit. § not. [2]) fine, p. 98, commemoravimus), amicitiae Celeb. *Laxman* debitae, confiteri necesse habemus.

78. Volumen Chartaceum in 4:o, scripta quaedam Theologica atque ad res Ecclesiasticas pertinentia continens, hinc inde Bibliothecae nostrae acquisita. Inter haec comparent edicta bina R. Johannis III de Decimis, de annis 1572 et 1575; quorum hoc in Diss. Cel. RABENII *de Legis Publicatione*, Upsaliae a. 1767 edita, illud in *Novellis Aboënsibus* (Tidningar utg. af et Sällskap i Åbo) a. 1782, N:o 31, typis vulgatum legitur [36]); nec non 3, *Capita rerum Synodicarum recitata in Synodo Aboënsi anno Domini MDLXXIII, praesentibus Dominis Pastoribus et aliis Ecclesiarum Ministris*, sive Oratio b. Episcopi Aboensis M. *Pauli Juusten*, initio habita Synodi anno mox commemorato hic Aboae celebratae, quae prima post repurgata apud nos sacra, fuisse convocata videtur. Tria haec monumenta amicitiae Bibliotheca debet Cel. D:ni M. *Matthiae Calonii*, Juris in Academia nostra Professoris; quae cum serius sint reperta, quam ut Capita ista rerum Synodicarum Reverendissimo Archi-Episcopo et Pro-Cancellario D:no D. *Mennander*, praeclaram *de Synodis, et speciatim Dioecesanis Aboënsibus Orationem*, in conventu Synodali a. 1773 hic Aboae habitam, luci publicae committenti, innotescere consulique posset, pauca inde loca, quae ad illustrandam conditionem Religionis et Ecclesiae, qualis in his oris versus finem seculi XVI esset, nonnihil forte conferre queant, excerpta in notis dabimus [37]). 4, *Testimonia recentissimorum Scholasti-*

[36]) Vetusta manu utrumque descriptum, vel exeunte seculo XVI, l. ineunte XVII; quod autem in *Novell. Aboëns.* l. c. not. *) edicitur, inter relictas schedas Episcopi *Pauli Juusten* reperta, ejusdemque manu scripta esse, utrumque sine dubio falsum est, et ex errore editoris profectum.

[37]) Non longe ab initio ita habet: . . . „vos earum rerum breviter commonefaciam, quas in his Synodalibus conventibus

corum, Sophistarum et Monachorum, contra Manichaeam Papistarum communionem sub una specie, aut Sacrosancti Testamenti Christi violationem: ad hoc tantum congesta, ut li-

Clero unanimiter collecto majores et praedecessores nostri ad communem auditorum aedificationem proponere consueverunt. Scio deinde illos ritu solenni, caeremoniis splendidis et pompa celebri consedisse ad hujusmodi colloquia; quem apparatum ego quoque, exemplo aliarum Svecicarum Ecclesiarum volens et libens jam intermitto, cum non sit de substantia hujus rei, sed magis de Ecclesiastico, neve dicam papistico ornatu." Alio loco dicet: „In coena Domini, — porrigatur utraque species tam laicis quam aliis, nec sint sacerdotes tam sordidi et impii, ut pro sanguine solam aquam porrigant *in cochlearibus per aedituos.* Caveant sibi omnes ab hoc iniquissimo furto coenae Dominicae, et procurent vinum distribui in calice. Nec aliter fieri debet in quadragesimali visitatione. Qui alteram speciem laicis praeripuerit, aut alioqui turbidum et corruptum vinum propter suam avaritiam praebere ausus fuerit, merito beneficio privabitur sacerdotali." Alio loco: „Sacellani praestent suis Dominis Pastoribus obedientiam debitam, fidelitatem et reverentiam. Sint diligentes in Divinis officiis, in visitatione mortuorum *(ad morbidorum?),* in docendo populo, et vitam alioqui instituant suam ut Deus glorificetur et multi alliciantur ad pietatem. Domini Pastores numerent eis salarium conveniens eorum laboribus, victum suppeditent tempestivum, paterno amore prosequantur eos, nec denegent eis sepulturas parvulorum, ad decennium: eamque legem servatam esse volo per totam Dioecesin in singulis parochiis. Nec debent Domini Pastores tyrannice adigere Sacellanos suos ad servilia opera, et ea ratione prorsus adimere illis omnem studendi occasionem. Quomodo satisfacient nomini sacerdotali, si studium sacrarum litterarum et humaniorum artium propter operas rusticas negligere debeant?„ Tandem hunc apponemus locum: „Moneantur scholastici ante resignationem Scholae per earum Rectores, quod in rure eleemosynas conquirendo abstineant a mendaciis, sortilegiis, variis scripturis deceptoriis et aliis abusionibus, scilicet *promulgatione Indulgentiarum* etc. et modis omnibus quibus nituntur occulta furta quomodolibet investigare; quod si quis inventus fuerit agere, scribere, uti vel portare, ab ingressu ecclesiae suspensus, flagellatione virgarum et carcerum custodia puniatur." Plura non damus. Peritis priscarum rerum aestimatoribus, sine dubio haec et alia quaedam hujus generis loca non omnino nihil, ad temporis ejus ingenium, mores et conditionem cognoscendum, lucis subministrare, videbuntur.

quido cernantur eorum faedissimae contradictiones: et non tantum in Veteri Christiana, sed etiam in istorum synagoga integram institutionem in usu fuisse: et contra, Papistarum sacrilegium prorsus recens esse. Opusculi, ex Germania seculo superiore ad nos delati, auctorem ignoramus; qui pro more temporis stilo in adversarios acri utitur. Adjecta est *Tabula centum Gravaminum Germanicae nationis in comitiis Noribergensibus 1522 finitis oblatarum;* ad cujus calcem legitur: *Finis Tabulae Gravaminum: atque utinam non essent per universum centuplo plura quam hic per sacri Rom. Imperii principes seculares enumerantur. Manu Michaëlis fratris Germani descripta haec mihi Neoburgi mens. Novemb. 1585.* Reliqua opuscula, quae in hoc occurrunt volumine, aevi recentioris sunt.

79. Volumen chartaceum in 4:o, Concionem comprehendens Nuptialem, et Conciones Funebres XIII, Svetice partim, partim Fennice conscriptas, intertextis passim sententiis Latinis. Operculo inscriptum legitur: *Possessor hujus libelli chartacei legitimus est Josephus Josephi Wallenius. Anno 1662.* Ad morem concionandi e suggestu sacro, apud nos illa aetate solennem, prodest cognoscendum.

80. Tankar om et rätt Kammar och Skattläggnings Wärk, upſatte af *Ephr. Otto Runeberg.* Libelli egregii, Stockholmiae a Laur. Ludov. Grefing 1761 in 8:o typis expressi exemplum, charta pura singulis foliis interposita auctum; in qua auctor acutissimus ipse, (cujus dum viveret, in possessione exemplum nostrum fuit) emendationes, illustrationes et additiones varias adscripsit, levis minime pretii. Dono Bibliothecae dedit Praecl. Dn. M. *Gust. Chronander,* Rector Scholae Trivialis Uhloburgensis meritissimus.

81. Öfwerſättning af *Elemens du Commerce,* eller Grundſanningar uti Handeln, af *Ephr. Otto Runeberg.* Exemplum autographon, pagg. constans 661, 4:o. Interpretatio haec libri Gallici haud ignoti, a Viro diligentissimo et perspicacissimo a. jam 1754 perfecta, publica eo dignior est luce, quo majus adjectae interpretis observationes, explicationes

et applicationes, pro Ejus more, acutae et subtiles, pretium libro addunt.

82. Utkaſt til en *Anthropotypiſt* Stat. Folio. Opus Viri Ejusdem Amplissimi ingenio debitum, suaque manu scriptum. Cui geminum est alterum, ad res patriae propius relatum. Tangit has Philosophi nostri meditationes paucis, qui Elogium ejus scripsit Vir Laudatiss. *Joh. Frid. Kryger* (Åminnelſe-Tal öfwer Directeuren wid Landmäteri-Commissionen i Finland Herr Ephraim Otto Runeberg hållit på Kongl. Wet. Academiens befallning), p. 29; si nimis a vulgari ratione recedere, novasque plane vias sibi aperire et persequi, aliis videbitur, summi Platonis exemplum auctoritatemque advocabunt alii, nec subtili minus nostrum humanae naturae cognitione instructum, amoriqne patriae vivido, non otiosis ingenii lusibus indulgentem, his semitis institisse, defendent. Nobilissima Vidua annuente, post mortem b. Auctoris Bibliothecae Acad. asservanda miserunt ejus amici.

83. Volumini, quod *Leges* Regni Svecici complectitur *Municipales*, Regis *Gustavi Adolphi* jussu typis editas, Stockholmiaeque a. MDCXVII in folio impressas, adjecta sunt scripta quaedam calamo exarata, Juridici item argumenti. Qualia sunt: 3 Gloſa öfwer Stadzlagen. 4 *Explicatio Juris Civilis Svetici dictata a Johanne Skytte;* opusculum rarius obvium. 5 *Norrköpings* Stads *Privilegier, confirmerade* af Hert. *Johan* til Öſtergöthlandh. 7 K. *Johan III:s* Strå-Ordning för Gullſmederne i *Suderköpingh*, dat. Wadstena Slott then 23 Febr. a. 1587. Item Strå-Ordning för Gullſmederne i *Stockholm*, af Borgmäſtare och Råd derſtädes ſtadgad. Item *Statuta sartorum tonsatorumque* (urbis Sudercopiensis) Svecice. 8 Sjörätten ſom på Gotlandh war; idem Jus Nauticum quod curatius edidit *Hadorphius*, Stockh. 1689 Fol. — 9. Siöökort, thet är then högſta och elſta Siöö-rett (och) Skipmåla Lag . . . . ſkipat och *ordineratt* fordom i *Wisby* på Gottlandh . . . . uthdragin aff Tydſkon på Swenſko *per M. Michaelem Agricolam, 12 Dec. anno 1549.* Cujus interpretationis facit mentionem *Hadorphius* l. c. in Praefatione. 10 K. *Carls* Hampna rätt, dat. a. Domini 1400.

Non modo integrum et illaesum exemplum, sed et auctius multo atque plenius illo quod supra, p. 109 n. 12, indicavimus. Volumen hoc dono Bibliothecae nostrae dedit Praecl. Dn. M. *Josephus Mollin*, Collega Scholae Trivialis Wasensis dexterrimus.

84. *Codex* Legum Svecicarum *Christophorianus*, (excepto tamen Titulo *Juris Ecclesiastici)* nitidissime scriptus, literis ad formam typis impressarum eleganter effictis (textab). Cui praemittitur Praefatio, in editionibus non exstans typis expressis, ac *Regulae Judiciales*, cum aliis quibusdam praeceptis, dictis, metris, proverbiis etc. ad Judicem officii sui commonefaciendum accommodatis; nec non Indice contentorum Legis. Adjuncta, praeter brevem explicationem obscuriorum Juris vocabulorum, reperiuntur edicta statutaque varii generis atque pretii; qualia sunt: 1 Calmare Recess af år 1474 (vid. ab *Hadorphio* editum Jus vetus Municipale, Biärköa Rätten, p. 56). 2 K. *Gustaf* I:s Gårdsrätt (cfr. supra p. 109, n. 3); K. *Eric* XIV:s Hof-Artickiar (ib. n. 2); 4 K. *Eric* XIII:s Gårds Rätt; 5 K. *Carl* IX:s — Artikiar meb — Rikesens Rååb samtyckie i Swerige etc. numero VI; 6 Nyköpings Recess, af åhr 1537 (ita *v. Schmedeman* l. c. p. 6; noster Codex annum habet 1538), cujus tamen hic nonnisi VIII articuli comparent; 8, Ordinantia som giordis j Westerååns j Herrebagar, anno Domini 1527; 9 Westerååns Recess, a. 1528 (Schmedeman p. 3); 13, K. *Johan* III:s Artickler för menige Mann i Finland 1575: aliaque praeterea ejusdem generis: sententiae quaedam Judiciales etc.

Egregium hunc Juris Codicem, Bibliotheca Academica liberalitati debet Amplissimi atque Consultissimi D:ni *Nicolai Christiani Gadd*, Judicis Territorialis in Territorio *Säxmäkiensi* meritissimi.

85. Codex Chart. 4:tae formae, foliis constans XV, quibus lingua litterisque Grusinicis s. Georgianis (ipse vocant se *Kartvelt)* Historia Georgiana metrice exponitur: elegantissime scriptus. Fronti sententia inscripta legitur, qua (lingua litterisque iisdem) nomen aetasque Auctoris,

Carminis argumentum, atque locus ubi compositum est, hoc modo significantur: *Scriptum in septentrionali terrae tractu in urbe Astrachan* [38]*) anno 1771: Historia Georgiana, brevi tempore composita a Principe Alexandro Amilachoris filio, qui tum annos natus erat XX, quique haec perscribere officii sui esse duxit* [39]). De pretio vel Carminis vel Historiae judicium adponere, mihi percupienti, ut linguae penitus ignaro haud licet; raritate autem sese maxima commendare facile intelligitur. Literae quodammodo referunt eas quas exhibet Orient. b. Occident. Sprachmeiſter (ed. a. *Jo. Frid. Fritz.* Lips. 1748, 8:o) Tab. aeri incisa inter p. 76 et 77. Donum Praecl. Dn. M. *Car. Frid. Meinander,* Astron. ad R. hanc Acad. Docentis dexterrimi.

86. *Recueil de Phrases Turques.* Hunc titulum gerit Codex Chart. in 4:o, quem dono Bibliothecae dedit Ampliss. ejus nunc temporis Praefectus, Secretarius Regius Dn. M. *Abrahamus Nicolaus Clewberg.* Continet collectionem Phrasium Turcicarum, Latinis literis exaratarum; quibus e regione adjecta reperitur interpretatio earundem Francogallica.

87. Kurtze Anleitung zu der Diplomatiſchen Wißenſchaft im Deutſchen Reich, nescio quo auctore, Germanice conscriptus, formae 4:tae (vel etiam Fol. minor.), brevis, is qui cum ad b. *Arckenholtzium* pertinuiset, nostrae deinde Bibliothecae fuit redditus.

§ XXXII.

Typis impressorum e numero librorum, quosdam *Raritatis* maxime nomine insignes enumerasse contenti, ad

---

[38]) Ubi captivus, nisi fallor, a Russis detentus fuit?

[39]) Latinis expressa litteris, ita fere sonare verba textus originalis, didicimus: *Agizera kvekanasa tschrdiloietisasa samuitroua kalaksaschina Astarchans zälsä 1771: zchovrsbä* Karthveltha *mziresa raisamä Chanisa tkmuli* Aleksandres *mier* Amilachoris, *cholozelni misni iunes 20 tumza martebs agzera mis.* Interpretatio, et partim lectio, Russo alicui debetur, linguae Grusinicae perito.

faciem porro depingendam Bibliothecae praesentem pretiumque ac usum ejus summatim indicandum pergemus: *raritas* enim librorum scimus quam sit incertae aestimationis, pro locorum, temporum, judicantium, amatorum ratione saepe varians, quamque ambigui sint omnino pretii, qui praeter hoc, nullo censeantur alio. Itaque paucis hac parte, (a more tamen recepto non prorsus recedere volentes), defungemur. Primum autem libros *seculo* quod vocant *Typographico*, prelo emissos nonnullos, quos supellex servat Academiae litteraria, dabimus; titulis breviter plerumque indicatis: quorundam uberiorem vel ex vulgaribus indicibus atque Catalogis [1]) haurire notitiam licet. Tales hae sunt Editiones vetustae Auctorum Romanorum, haudquaquam illae pretio omnes destitutae [2]):

Terentius cum Directorio — Glosa interlineari, — commentariis *Donati, Guidonis, Ascensii.* Argent. per Jo. Grüninger 1496, Fol. c. figg.

Lucretius cum commentariis *Jo. Bapt. Pii.* Bonon. in ergasterio Hieron. Bapt. de Benedictis, Platonici Bononiensis. 1511 Fol.

Cicero de Officiis, de Amicitia, de Senectute et Paradoxis. *Bened. Brugnolus* — castigavit etc. Venet. in edibus magistri Jac. Pencii, de Leuco oriundi. 1502. Fol.

Ejusd. Quaestiones Tusculanae, cum commentariis *Phil. Beroaldi.* Venet. per Bartholom. de Zannis de Portesio. 1499. Fol.

Ejusd. De Finibus bonorum et malorum Libri V. Magunt. (ed. Nic. Carbacchio) per Jo. Schefferum 1520 8:o.

Ejusd. Epistolae ad Familiares, cum commento *Hubertini* Crescentinatis et *Martini Philetici* super Epistolis et *Georgii Vallae* Alexandrini etc. Parisiis per Nic. de Pratis. 1510 Fol.

---

[1]) VOGT *Catal. Libr. rarior.* BAUER *Biblioth. Libror. rarior. universalis. et c.* Cfr. MAITTAIRE *Annal. Typogr.* passim.

[2]) Conferri de iis possunt FABRICII Biblioth. Lat. Ed. ERNESTII; FUNCCIUS *de Adolescentia, Virili aetate, Imminenti Senectute, et Vegeta Senectute Latinae linguae;* passim.

Ejusd. Orationum Vol. III:m, 1519. (Oratt. 33 — 57 etc.) It. de Philosophia Vol. I:m (Acad. Quaestiones, Libri de Finibus, et Tuscul. Quaestiones). 1523. Utrumque Venetiis in aedibus Aldi et Andr. Asculani. 8:o.

Horatii Flacci — Opera, cum quibusdam annotationibus imaginibusque. Argent. per Jo. Grüninger 1498. Fol.

Opera *Vergiliana*, docte et familiariter exposita; Bucolica et Georgica a *Servio, Donato et Mancinello,* cum adnotationibus *Beroaldinis:* Aeneis vero *Servii* Commentariis, *Phil. Beoraldi* Annotationibus, *Donati* enodationibus, *Aug. Dathi* introductione, cumque familiarissima *Jodoci Badii Ascensii* elucidatione. Access. *Maphei Vegii* liber addititius, cum Ascensianis annott. Venet. 1512, per Georg. Arrivabenum. (Praemittuntur *Culex, Dirae, Aetna, Ciris* etc). Fol.

2. *Vergilii Maronis* Aeneis cum familiari expositione. Acced. *Maphei Veggii* Aeneidos Liber XIII s. a. et l. 8:o mai. l. 4:o.

3. *Livii* Historiae ab U. C. Decadis I Libri X, Belli Punici s. Decadis III Libri X, Belli Macedonici et Asiatici Libri I, II, IV—X. Apud Alex. Minutianum (Mediol. 1505). Fol.

Ovidii Epistolae Heroides, diligenti castigatione excultae, aptissimis figuris ornatae. Commentantibus *Ant. Volscio Ubertino* Crescentinate, et *Omnibono.* — In Ibin vero ultra *Domitii* scripta, *Christoph. Zarothi* Declarationes. Venet. opera et impensa Jo. Tacuini de Tridino 1501. Fol.

Ejusd. Fastorum libri VI cum interpretationibus *Antonii de Fano et Pauli Marsi.* Ibid. 1502 Fol.

Asconii Paediani in Orationes Ciceronis Enarrationes. Cum Georgii Trapezuntii in Orationem pro Q. Ligario interpretatione, adnotationibusque ac commentariis *Ant. Lusci* Vicentini in reliquas Ciceronis actiones. Impr. Luteciae ap. Conr. Resch, industria et arte Petri Vidoae 1520 Fol.

Persius cum duobus commentis *(Jo. Britannici* Brixiani, et *Barthol. Fontii).* Impr. Venet. per Pet. Jo. de Quarengis, Pergomensem, 1495. Fol.

Juvenalis Satyrae cum tribus commentis *(Ant. Man-*

cinelli, Domitii Calderini et Georgii Vallae). Venet. per Jo. de Cereto de Tridino. 1494. Fol.

Senece Omnia Opera. Venet. impressa 1492 per Bernardinum de Coris de Cremona. Fol.

Ejusd. Tragoediae, pristinae integritati restitutae per — D. *Erasmum Roterodamum, Gerardum Vercellanum, Aegidium Macerium.* Explanatae — tribus commentariis *G. Bernardino Marmita, Dan. Gaietano, Jodoco Badio Ascensio.* Imp. et industria Ascensiana 1514. Fol.

Lucani Pharsalia — per *G. Vercellanum* recognita. Cum commentariis *Jo. Sulpitii* Verulani, *Phil. Beroaldi, Jod. Badii Ascensii,* cumque annott. *Ant. Sabellici* etc. In aedibus Ascensianis 1514. Fol.

M. *Fabii Quintiliani* Oratoriarum Institutionum Libri XII. Sine auctore a. et l. editionis. Fol. *(Ernesti,* in *Fabricii Bibl. Lat.* L. II C. XV p. 269 laudat, et repetitionem esse docet *Jensonianae* anni 1471.) Literae initiales adpictae sunt et quaedam auro ornatae.

Martialis cum duobus commentis *(Domitii Chalderini* et *Georgii Merulae.* Impressit (Venetiis?) Jac. Pentius de Leuco 1503. Fol.

Catho cum glosa et moralisatione. 8:o maj. s. l. et a.

Apuleii Asinus aureus, cum *Phil. Beroaldi* commentariis. Impr. Lutecie expensis Lud. Horken et Gottfr. Hittorpii, industria magistri Jo. Philippi. 1512. Fol.

Gellii Noctium Atticarum Libri XIX Parrhisiis per Nic. de Pratis (1517?) Fol.

Solinus de Memorabilibus mundi, diligenter annotatus etc. Parrhisiis (apud Ascensium 1503?) 8:o maj. l. 4:o min.

Plutarchi Vitae, post Pyladen Brixianum longe diligentius repositae, cum majore verioreque indice. Nec non cum *Aemylii Probi (Cornelii Nepotis)* Vitis. In chalcogr. Ascensiana, idibus Novemb. 1514. Fol.

Julii Firmici Astronomicorum Libri XIII *Manilii* Astronomicorum Libri V. *Arati* Phaenomena, *Germanico Caesare* interprete, cum commentt. et imaginibus. *Ejusdem* phaenomenon fragmentum, *M. T. Cicerone* interprete. *Ejusd.*

Phaenomena Graece. *Theonis* Commentaria in *Arati* Phaenomena, Graece. *Procli Diadochi* Sphaera, Graece. *Ejusd.* Sphaera, *Tho. Linacro* interprete. Venet. in aedibus Aldi 1499. Fol.

Boetii — Libri V de Consolatione Philosophie — una cum commentaria editione per me Johannem de Koelhoff de Lubek in sancta civitate Colonia diligenter elaborati 1482. Fol.

Ejusd. de Consolatione Philosophie Liber, cum optimo commento b. Thome. Argent. 1491 4:o.

Quibus addantur:

Diogenes Laercius, Latine. Venet. impressus per Phil. Pinzi, sumt. Bened. Fontana 1497. Fol.

Plotini Operum Philosophicorum Libri LIV, in VI Enneades distributi. Latine, ex interpretatione et cum commentatione *Marsilii Ficini,* Sumtu Laur. Medicis, impr. ex archetypo Ant. Miscominus, Florent. 1492. Fol.

E reliquis, ad hanc classem pertinentibus, indicasse satis fuerit hos qui sequuntur:

Dyalogus Creaturarum moralizatus. 4:o [3]).

Libri Missales Ecclesie Aboënsis, quos Episc. *Conradus Bystz* — per *Dan. de Egher,* alme Univers. Parisiensis S. Theol. Professorem optime correctos, — per Barthol. Ghotan in inclita civitate Lubecensi impressos, auctoritate ordinaria approbavit et confirmavit etc. 1488. Fol. [4]).

---

[3]) Quoniam laesum est hoc exemplum (figuris rudissimis, coloribus etiam allinitis, ornare opus editor voluit), et ultima inprimis folia desunt, non possumus certo quidem hactenus definire, (quod alias editiones cum hac comparandi non fuit potestas), utrum editio sit Stockholmensis a *Joh. Snell* impressa, an ea antiquior Coloniensis a. 1481, industria et impensis Conradi de Hombroch e prelo emissa: sed pro Stockholmensi tamen potius habendam putamus. Cfr. interim von Stiernman Tal om be Lärda Wetenſk. tilſtånd i Swea Rike etc. p. 111 sqq.

[4]) Cfr. v. Stiernman l. c. p. 59. Ubi tamen *Breviarium Aboënse* perperam vocatur, (nisi aliud opus in manibus ille habuit, eodem tamen loco et anno, ab eodem Typographo impressum, iisdem subjunctis versibus; quod vix credibile videtur):

Volumen omnium celestium *Revelationum* — Sancte *Birgitte.* — Lubece impr. Bartholom. Ghotan 1492. Fol. [5]).

Breviarium alme Ecclesie Arosiensis. Basil. per magistrum Jacobum de Phortzheim 1513. 8:o maj. [6]).

Biblia, Latine. 1479 Fol. sine mentione a. et l. impressionis. In fine versus leguntur noti: *Fontibus ex Graecis Hebraeorum quoque libris* etc. (cf. *Bauer* T. 1 p. 91).

Biblia integra, summata, distincta, superemendata, utriusque Testamenti concordantiis illustrata. Basil. per Joh. Froben de Hammelburck 1491. 8:vo.

Biblia diligentissime emendata: cum concordantiis non solum ejusdem, sed et Juris Canonici, summariis — Lugduni in officina Jacobi Mareschal, anno D:ni 1019 (1509?) 8:o.

Hartmanni Schedel Liber Cronicarum — Anth. Koberger Nuremberge impressit etc. 1493. Fol. c. figg.

Thesaurus, Cornu Copiae, et Horti Adonidis. Graece. Venetiis in domo Aldi. 1496. Fol.

Franc. de Platea Libri Restitutionum Usurarum et Excommunicationum. Colonie per Joh. Colhoff. 1474. Fol.

Der Sachſenſpiegel, mit ſamt den cautelen und additionibus *Bockstorff.* — Augsp. durch Hannsen Schonsperger 1496. Fol.

Missale secundum Diocesim *Warmiensem.* Argent. per Frid. Bumbach, 1497. Fol.

Laur. Vallae de vero bono Libri III. De Libero Arbitrio Dialogus. In Poggium Apologus. Lovanii 1483. 8:o maj.

Antonini Archiep. Florent. Opus de eruditione confessorum. — Acced. *Jo. Crisostomi* de penitencia etc. Memming. per Alb. Kunne de Duderstat 1483. 8:o maj.

---

per errorem etiam in ultimo subscriptionis versiculo pro *Ghotan* (quo nomine hunc sese Typographum appellasse, vel ex iis quae ipse habet p. 41, discere poterat) legit *Johan,* ipso sensu refragante; in nostro exemplo *Ghotan* perspicue legitur.

[5]) Cfr. v. STIERNMAN l. c. p. 41 sqq.

[6]) Cfr. v. STIERNMAN l. c. p. 60.

5. Tractatus solennis de arte et vero modo predicandi, ex diversis sacrorum doctorum scripturis, et principaliter — *Thome de Aquino* recollectus. Ibid. 1483. 8:o maj.

Johannis Veneti Opusculum: nosce te. (Heidelb. 1489) 8:o maj.

Mamotrectus. Venet. per Franc. de Hailbrun 1483. 8:o maj.

Rob. Carazoli de Licio Ep. aquinat. sermones de laudibus Sanctorum. Venet. per Bernardin. Benalium 1490. 4:o.

Esopus moralizatus cum bono commento. In profesto Bartholomei 1490. 8:o maj. (sine mentione loci).

Franc. de Mayronis Sermones, ab Adventu cum Quadragesimali usque ad IV feriam post Pascha. Venet. per Bernardin. de Novaria 1491. 4:o.

S. Vincentii (Ferrer) Tractatus de vita et instructione pie in Christo vivere volentium. Magdeborch arte Mauricii Brandis 1494. 8:o.

Angeli de Clavasio (Carleti) Summa Angelica de Casibus Conscientiae. Argent. per Mart. Flach, 1495. Fol.

Discipuli (Jo. Herolti) Liber de eruditione Christi fidelium. Arte et imp. Hermanni Bungardt de Retvijch, Colonie impr. 1496. 8:o maj.

Textus sequentiar. cum optimo Commento. Bas. 1497. 4:o. It. Hymnor. expositio, cum notabili Commento etc. ibid. per Mich. Forter 1497. 4:o.

Alexandri de Villa Dei, Grammatici, Doctrinale pro eruditione puerorum. Venet. pro Jo. Rubeum Vercellens. 1497. 4:o (l. 8:o maj.)

Liber florum b. *Bernhardi.* Impr. est presens opus solerti opera Phil. Pigoueti, imp. vero communibus ejus et Durandi Gerleri 1099 (1499?) XII calend. Decembris. 8:o.

Quibus addendas has antiquas editiones judicavimus, intra primum fere vicennium Seculi XVI typis vulgatas:

(Jacobi de Voragine) Lombartica Historia. Impr. per Anth. Koberger Nurnb. 1501. Fol.

(Petri Comestoris) Historia Scholastica. Argent. 1503. Fol.

Alberti Magni super Marci Evangeliare Postilla. Impr. expensis Jo. Rynman de Oringaw in Hagenaw, Henrici Gran — in officina 1505. Fol.

Sabellici Rhapsodiae Historiarum ab orbe condito Enneades XI. In aedibus Ascensianis 1504. Fol.

Sebast. Brant Navis Stultifera, ab Jac. Lochero Latinitate donata, et ab Jod. Badio Ascensio — illustrata. Cum figg. Impr. (Basil.) per Nic. Lamparter 1406 (1506) 4:o.

Psalterium Quincuplex, Gallicum, Romanum, Hebraicum. Vetus, conciliatum (studio JAC. FABRI *Stapulensis)* cum Expositione. In clariss. Parisiorum Gymnasio ex chalcotypa Henr. Stephani officina — emissum 1509. Fol.

In Proverbia Salomonis *Rob. Holcoti,* seu *Thome Gualesii* — Explanationes. Parrisiis in edibus Ascensianis Jo. Parvi et Jo. Frellon 1510. 8:o maj.

(Greg. Reischi) Margarita Philosophica nova. Argent. 1512 exc. Jo. Gruninger. 8:o maj.

Eusebii Caesar. Ep. Chronicon — *Prosper et Mathaeus Palmerius et Matthias Palmerius et Jo. Multivallis* complura — adjecere. — Per Henr. Stephanum — nec non Ejusd. et Jod. Badii — expensis. 1512. 4:o.

Valesci de Tharanta Practica Usualis. Lugd. per Jac. Myt. 1516. 8:o.

Polydori Vergilii de inventoribus rerum Libri III. Impr. Parisiis pro Cl. Chevallon 1517. 8:o maj.

Wolfg. Fabritii Capitonis Hebraicarum Institutionum Libri II. Bas. ap. Jo. Frobenium 1518. 4:o.

Pet. De Crescentiis von dem nutz der ding die in ackern gebuwt werden; von dem nutz der Buwleut; von der cultur, art, gebruch und nutzbarkeit aller gewächs, fruchten, thyeren ꝛc XII Bücher. Gedr. zu Strasburg durch Jo. Schott 1518. Fol.

Familiarium Colloquiorum Formulae, et alia quaedam per *Des. Erasmum Roterodamum.* Paris. apud Henr. Stephanum, expensis Conradi (Resch) Basiliensis, mense Febr. 1518. 8:o maj.

Bartolomei Anglici (Glanvill) de proprietatibus rerum. Lips. impr. Wolfg. Monacensis, 1518 Fol.

Lud. de Varthema, Bolognese, Itinerario ne lo Egypto, ne la Suria, ne la Arabia deserta et felice, ne la Persia, ne la India, et ne la Ethiopia. Stamp. in Venetia per Zorzi di Ruscone, Milanese, 1518. 8:o.

Viaggio de Venetia al sancto Sepolchro etc. Stamp. per Nicolo ditto Zopino et Vincentio compagno (Venet.) 1518. 8:o.

Borchardi Alimani *(de Monte Sion)* Descriptio Terre Sancte eidemque adjacentium regionum. Venet. in edibus Jo. Tacuini de Tridino 1519. 8:o [7]).

Alb. Kranzii Wandalia. Colon. 1519, mense Aprili. Fol.

Ptolemaei Liber quadripartiti [8]). It. Centiloquium. *Hermetis* Centiloquium etc.. *Almansoris* CL propositiones. *Zabel* de interrogationibus etc. *Messahallach* de receptionibus planetarum etc. Venet. sumtibus Hered. Octaviani Scoti — et socior. 1519. Fol.

Jo. Mesue cum expositione *Mondini* super Canones Universales, ac etiam cum expositione *Christoph. de Honestis* in Antidotarium Ejusdem. Additiones *Pet. Apponi et Franc. de Pedemontium.* Antidotarium *Nicolai* cum expositione *Platearii. Joannes de S. Amando* super Antidotarium Nicolai. — Compendium Aromatorium *Saladini.* Impr. Lugduni industria Bilberti de Villiers, impens. Vincentii de Portonariis de Tridino de Monteferrato. 1519 Fol.

Breviarium juxta lecturam ordinariam Chori *Arhusiensis*, — correctum etc. per Melchiorem Blumme, artis Calchographe magistrum, impensis Capituli Arhusiensis. Arhuszie 1519. 8:o.

---

[7]) Eundem librum possidet Bibliotheca Ac. excusum una cum *Bartholomaei de Saligniaco*, Equ. Galli, Itinerario Hierosolymitano (Ed. *Reinero Reineccio)* Magdeb. 1577. 4:o.

[8]) Alia, illa quoque rarior editio, in Bibliotheca Acad. servatur: *Cl. Ptolemaei* de Praedicationibus Astronomicis — s. quadripartitum, Libri IV Gr. et Latine, *Phil. Melanthone* interprete. *Ejusd.* Fructus Librorum suorum, s. Centum dicta, Gr. et Latine, ex convers. *Joviani Pontani.* Basil. per. Jo. Oporinum 1553. 8:o.

Theobaldi Episcopi Phisiologus de Naturis XII Animalium. 8:o maj. sine loci et anni ment.

Reginonis Annales (curante *Sebast. de Rotenhan*). Mogunt. in aedibus Jo. Schoeffer 1521 Fol.

Canones Apostolorum, Veterum Conciliorum Constitutiones, Decreta Pontificum antiquiora, de primatu Romanae Ecclesiae. Mogunt. in aedibus Jo. Schoeffer. 1525 Fol. [9]).

Ex reliqua copia librorum, qui raritatis laude passim celebrantur, quorumque non parvam Bibliotheca nostra vim possidet, satis fuerit sequentes, speciminis loco, quasi per lancem saturam enumerasse, (quorundam praeterea, alio consilio postea fiet mentio):

Franc. Georgii (Zorzi) Veneti de Harmonia Mundi totius Cantica III. Paris. ab Andr. Berthelin 1543 Fol.

Marini Mersenni Quaestiones — in Genesim. Lutet. Paris. sumt. Seb. Cramoisy 1623 Fol. (Pagg. 670 — 276 mutat.) *Ejusd.* Observationes — ad *Fr. Ge. Veneti* Problemata. Ib. 1623 Fol.

L. Osiandri Refutatio Scripti Satanici a Franc. Puccio, Filindo, in lucem editi — quo Epicureismum invehere conatus est. Tubing. 1593. 4:o.

Franc. Glissonii Tractatus de Natura Substantiae Energetica etc. Lond. 1672. 4:o.

Gust. Seleni Cryptomenytices et Cryptographiae Libri IX. Lunaeb. 1624 Fol.

Gilb. Cognati Opera. Tomi III. Bas. 1562 Fol.

Pet. Apiani et *Barthol. Amantii* inscriptiones Sacrosanctae Vetustatis. Ingolst. 1534 Fol. c. figg.

Hieron. Henniges Theatrum Genealogicum. Tomi IV. Magdeb. 1598 Fol.

Giov. de Barros Asia, de' fatti de' Porthoghesi nello scoprimento et conquista de' Mari et Terre di Oriente. Di

---

[9]) Possidet etiam Bibliotheca Academica: *Constitutiones S. S. Apostolorum.* Doctrina Catholica a *Clemente* Rom. Episcopo et cive scripta, Libris VIII. *Franc. Turriani* Prolegomena et explanationes apologeticae in easdem Constitutiones. Graece. Venet. ex off. Jordani Zileti 1563. 4:o.

lingua Porthoghese tradotta dal S. Alfonso Ulloa. Venet. 1562. 4:o.

Giov. Villani Historie Universali de suoi Tempi, — con diligentia ricorretta etc. da M. Remigio Fiorentino. Venet. 1556. 4:o.

Ant. a Wood Historia et Antiquitates Universitatis Oxoniensis. e Theat. Sheld. 1674 Fol.

Jac. de Strada Epitome Thesauri Antiquitatum. etc. Lugd. 1553. 4:o.

Octav. Stradae Hierographia s. Symbola varia etc. Tomi III. Pragae 1601, 1602, 1603 Fol. c. Figg.

Ger. de Roo Annales rerum — ab Austriacis Habspurgicae gentis Principibus gestarum. Libr. XII. Oenoponti exc. Jo. Agricola 1592 Fol.

Historia de los Reyes Godos. — por *Julian Del Castillo.* Burgos 1582 Fol.

Diego Saavedra Faxardo Corona Gothica Castellana, y Austriaca, politicamente illustrada. P. I. impr. en Munster, en Casa de Juan Jansonio 1646. 4:o.

Gabr. Barth. Gramondi Historiarum Galliae ab excessu Henrici IV:ti, Libri XVIII. Tolosae ap. Arn. Colomerium 1643 Fol.

Historiae Regni Bojemiae — Libri XXXIII (Auct. *Jo. Dubravio* Ep. Olom.). Prostannae in Off. Jo. Guntheri 1552 Fol.

Bibliotheca Homiliarum et Sermonum priscorum Ecclesiae Patrum — *Laur. Cum-Dii* Itali primum opera collecta, et post ejus abitum a *Ger. Mosano* — ad finem perducta. Tomi IV. Lugd. ex off. Juntarum 1588 Fol.

Flavii Cherubini Compendium Bullarii a Laërtio Cherubino Patre editi. Tomi III. Romae ex typ. Camerae Apost. 1623 Fol.

Index Auctorum damnatae memoriae, tum etiam Librorum qui vel simpliciter vel ad expurgationem usque prohibentur, vel denique jam expurgati permittuntur. Editus auctoritate D. *Ferd. Martins Mascaregnas* etc. Ulysipp. ex off. Pet. Craesbeeck 1624 Fol.

Musladini Sadi Rosarium Politicum, s. amoenum sortis humanae Theatrum. Persice. In Lat. versum necessariisque rebus illustratum a *Georg. Gentio*.Amstel. ex typogr. Jo. Blaev 1651 Fol.

Geographia Nubiensis, recens ex Arabico in Latinum versa a *Gabr. Sionita* et *Jo. Hesronita*. Paris. ex typ. Hier. Blageart 1619. 4:o.

Phil. Aquini Veterum Rabbinorum in exponendo Pentateucho modi XIII. Access. VIII Rabbinorum Commentaria in Psalmum CXIX, etc. Lutet. Paris. ex off. Nivelliana 1620. 4:o.

Introductio in Vitalem Philosophiam. Cui cohaeret omnium morborum — explicatio atque curatio. Francof. typ. Hartm. Palthenii 1623. 4:o.

Tho. Rosa Idaea, s. de Jacobi Magnae Britanniae — Regis virtutibus et ornamentis dilucida enarratio etc. Lond. exc. Jo. Norton 1608. 8:o.

Athanasii Libri contra Idololatriam gentium, et de fide S. Trinitatis. Cum Praef. Mart. Lutheri et *Jo. Pomerani*, cujus opera instituti et editi sunt. Witeb. per Nic. Schirlentz 1532. 8:o.

Ludov. Centofloreni Clypeus Lauretanus adv. Haereticorum sagittas. Romae typis F. Caballi, 1643. 4:o.

Grammaticae Latinae Auctores antiqui — opera et studio *Heliae Putschii*. Hanov. typ. Wechel. ap. Cl. Marnium etc. 1605. 4:o.

Sylv. Sguropuli vera Historia unionis non verae inter Graecos et Latinos, s. Concilii Florentini exactissima narratio. Gr. et Lat. Transtulit in serm. Lat. notasque adjecit *Rob. Creyghton*. Hagae Com. ex typ. Adr. Vlacq. 1660 Fol.

Acta primi Concilii Pisani a. 1409, et Concilii Senensis 1423 celebrati. It. Constitutiones factae in diversis Sessionibus Concilii Pisani II, a. 1511 etc. Lutet. Parisior. 1612. 4:o.

Juan Calvino Institucion de la Religion Christiana, — traduzida en Romance Castellano por *Cypriano de Valera*. En casa de Ricardo del Campo 1597. 4:o.

Jo. Meursii Criticus Arnobianus, tributus in Libros VIII. It. Hypercriticus Minutianus, et Excerpta Ms. Regii Paris. Lugd. Bat. ex off. L. Elzevirii 1599. 8:o.

Ejusd. De Gloria Liber, cum Auctario Philologico. Lugd. Bat. ap. Andr. Cloucquium 1601. 8:o [10]).

Casp. Barlaei Rerum per octennium in Brasilia et alibi nuper gestarum sua praefectura J. Mauritii, Nassoviae etc. Comitis. Amst. 1647 Fol.

Aeneae Sylvii Opera omnia. Bat. ex off. Henric. Petrina 1571, Fol.

Confucius Sinarum Philosophus, etc. Paris. ap. Dan. Horthemels ex typogr. Andr. Cramoisy 1687 Fol.

Phil. Brietii Parallela Geographiae veteris et novae. Paris. ap. Cramoysi 1648 et 1649. Tomi III, 4:o.

M. Ant. Sabellici Exemplorum Libri Decem. Valent. Schumann Lipsiae impressit. 1518, Fol.

Euclidis Elementorum Geometriae Libri XIII, Arabice, ex traditione Nasiridini Tusini. Romae in typogr. Medicea, 1594 Fol.

Hesychii Dictionarium. Graece. Venet. ap. Aldum Manutium 1514 Fol.

Angeli a S. Joseph Gazophylacium Linguae Persarum. Amst. ex Offic. Jansonio Waesbergiana, 1684 Fol.

Cl. Ptolemaei Magnae Constructionis Libri XIII. *Theonis Alex.* in eosd. Commentarior. Libri XI. Bas. ap. Jo. Walderum 1538 Fol. *Ejusd.* Id. Liber, Lat. donatus ab Ge. Trapezuntio, per Luc. Gauricum recogn. Venet. in Luceantonii Junta off. 1528, Fol.

Ejusd. Opus Geographiae, etc. Laur. Phrisius — in lucem jussit prodire, Jo. Grieninger — perfecit. (Arg.) 1522, Fol. It. Bil. Pirckeymero interpr. Cum annott. Jo. de Regio Monte. Ib. 1525, Fol.

---

[10]) Scriptorum *Meursianorum* (seorsim editorum) magnum praeterea numerum Bibliotheca Academica possidet; quorum pleroque rariores esse perhibent: quod idem de *Athanas.* quoque *Kircheri* scriptis, nonnullorumque aliorum valet auctorum.

Manuelis Moschopuli de ratione examinandae orationis libellus, Graece. Lutet. ex off. Rob. Stephani, 1545. 4:o.

5. *Lutheri Catechesis* nyligen på Lappeſka Språket uthſatt och uthtålkat, ſåſom Lappfolcket för thenna tjiden naturligen och klarligen tala uthi Pitheå och Luleå Lappmarker, utharbetat aff *Olao Graan, Pith. Praep. et Past. Stockh.* 1667 (ut videtur, nam exemplar hoc loco laesum est) *apud eund.* 8:o (Lapp. et Svetice).

6. Korta och Enfaldiga Spörsmåhl öfwer Catechismum, lämpade til ungdomens förkofring i Chriſtendomen, enkannerligen ſammanfattade för Pitheå och Luleå Lapmarker, ſampt medh ſijth deras egit Språk bijfogat, aff *Ol. Graan, Pith. Praep. et Past. Ib.* 1667, 8:o.

7. Enfaldige och kårta Frågor ſampt Swar aff *Thesauro Catechetico Paulini* ſammanhemtade för Lapparnes ungdom — i *Lychzela Uhmeå* Lappmark, på Lappeſke tungomålet förwändt och ſammanfattat aff *Olavo Stephani Graan, V. D. Comministro, p. t. Paedagogo, (Pastorem* Ecclesiae Lyckselensis appellat *Wallin*, illi muneri postea, sine dubio, admotum), *Stockh.* ap. viduam Ge. Hantsch, 1668, 8·o. (Temere, eundem forte esse cum libro proxime superiore, conjicit *Loenbom* l. c. qui et ab alio auctore et alio anno editus est).

8. Manuale Lapponicum minus, ubi agenda Ecclesiastica et omnia quae supra in Manuali Tornaei, exceptis Libris Biblicis. In usum Lapponum Markiae Umensis, eodem auctore (vocat se *Paedagogum* och Predikant i Lyckzele och Uhmå Lappmark), Stockh. 1669, apud Nic. Wankif, 8:o. Et haec editio satis pulcra, Regioque sumtu curata est. Commemoratur praeterea *Alenio: Anonymi A. B. C. Liber et Catechismus*, neque anno aut loco impressionis addito neque forma significata; de quo nihil nobis constat. An proxime sequentes, n:o 9 et 10 intelligit?

9. *Liber Alphabetarius* Lapponico-Sveticus, Stockh. apud Joh. L. Horrn, 1726, 8:o.

ſatt på American-Virginiſte Språket (cum interpr. Svecica, et adjecto Vocabulario Barbaro-Virginiorum, etc.) Stockh. 1696,

---

10. Catechismus minor b. Mart. Lutheri, Lapponico-Svethicus, Ib. eod a:o, 12:o. Hos duos postremos libros (quibus Bibliotheca nostra Acad. caret) revisos et correctos fuisse docet *Wallinus* studio *Simonis Granmarkii*, olim dicti *Anguldolf*, Årsilla-Lapponis, S. Theol. studiosi, non multo post mortui.

11. *Ol. Svebilii Catechesen Tjälgestem katjelwasi ja vastadusi pakti*; (h. e. O. S. Explicatio Catechesis Lutheri) interprete *Petro Fjellström*, tum Paedagogo, postea Past. et Praep. Lyckselensi, sine dictis S. Scripturae (Stockh. ap. J. L. Horrn?) 1738. In Bibl. Acad. desideratur; quae alteram contra editionem, a. 1755 apud L. Salvium in 12:o, Regio sumtu impressam, additisque dictis S. Scripturae auctam, possidet.

12. *Andr. Alenii* (Past. Arvidsjaur.) Quaestiones circa Christianismum, cum Responsionibus; 16 pagg. 8:o, 1742. In Biblioth. Acad. desideratur.

13. *Liber Alphabetarius* Lapponice, Stockh. apud Laur. Salvium 1744, 8:o, (cura *Petri Fjellström).* Denuo impressa Stockh. ap. Joh. Arv. Carlbom 1779, 8:o.

14. D. *Mart. Lutheri Utjeb Catechismus* (Catech. minor), Ib. eod. anno, 16:o (l. 8:o minori?); cura *Ejusdem.* Denuo impressum Upsaliae 1761, docet *Alenius.*

15. *Psalm-Kirje* etc. h. e. Liber Hymnorum Ecclesiasticorum publicus, (cum Pericopis Euangelior. et Epistolarum, Collectis atque Precatiunculis), Historia Passionis Dominicae, et Precibus solemnibus, Ib. eod. a. 8:o. Studio *ejusd. Petri Fjellström* Regio sumtu, pulcre editus.

16. *Gät-Kirje* etc. i. e. Agenda Ecclesiastica, eod. curante *Fjellström,* Stockh. ap. L. Salvium 1744, 8:o, Regio sumtu; pulcra editio.

17. *Petri Högström Catechismus, Katjelvasi ja Wastadusi pakti* (Quaest. et Resp.) Stockh. ap. L. Salvium, 1748, 8:o; Regia Directione in Ecclesias Lapponicas sumtus exhibente; cujus impensis a. 1779, apud J. A. Carlbom, denuo impressus fuit, 12:o.

18. *Tat rektesjakkokes Christendom* etc. i. e. *Joh. Gabr. Gütneri* Postilla, *(Christianismus Orthodoxus)* e Svetica interpretatione in usum Lapponum conversa, minus aptis huic consilio locis exclusis mutatisve; opera ejusd. *Petri Högström* (Pastoris tandem et Praepos. Skelleftensis), Regioque sumtu, apud L. Salvium a. 1748, in 4:o edita.

8:o; Variarum Gentium Alphabeta, (Voluminibus II in 8:o compacta) quorum typis instructa est Typographia *Sacrae* Rom. *Congregationis de Propaganda Fide;* quibus Bibliothecam nostram ornavit Illustrissimus Academiae hujus *Cancellarius* [105]), et de quorum ratione ac indole conferre licet Cel: mi BUSCHING Wöchentliche Nachrichten von neuen Landcharten, Geographiſchen etc. Büchern und Schriften, a. 1780, p. 14 sqq. p. 102 sqq. et p. 107 sqq [106]). Nec praeterire si-

---

19. *Ådde Testament, Same kiäli puoktetum*, (h. e. Novum Testamentum, Lapponice conversum, opera *Petri Fjällström)*, Regio sumtu Stockh. a. 1755 apud L. Salvium editum, in 8:o.

Non dubitamus, quin libelli alphabetarii atque Catechesium aliae praeterea prodierint editiones, nobis ignotae.

Nec Grammaticis Lapponicis, quae in Svecia prodierunt, Bibliotheca nostra caret; nempe *Petri Fjellström*, una cum *Dictionario Sveco-Lapponico*, Holm. 1638, 8:o, Regiis impensis edita, et *Henr. Ganandri*, Ibid. (consensu et cura Directorum) typis L. Salvii 1743 publicata: quorum uterque *Vhaëlii* Grammaticam Fennicam utiliter consuluisse reperitur.

[105]) Cfr. supra p. 237, not. [46]).

[106]) Ea tamen inter exempla Cel. *Büschingii* et nostra intercedere differentia reperitur, quod *Arabicum* quidem alphabetum (N:o 6 apud *Büschingium)* nos nonnisi vetustius habemus, a. 1715 impressum, unica constans plagula (arſ)in 8:o; *Persicum* contra (N:o 1) nostrum recentius sit atque ornatius, plagula constans cum dimidia, adjunctamque *Orationem* habens *Dominicalem* et *Salutationem Angelicam* (Persice), quod prodiit a. 1783, 8:o; docet in praefatione editor, *Joh. Chr. Amadutius*, duas hujus Alphabeti suam hanc praecessisse editiones, unam in 8:o sine adjecta anni significatione (eandem quam possidet D:n *Büsching)* alteram a. 1733, in folio; de Persicae praeterea linguae indole agit, subsidiaque ejus discendae literaria, luci publicae commissa, diligenter recenset. — N:o 3 *Slavonicum* (et *Hieronymi* illud et *Cyrilli)*, in nostro exemplo paginas implet 78, anno editum 1753. — N:o 9, *Alphabetum Armenum;* nostrum exemplar, auctum *Oratione Dominicali, Salutatione Angelica, initio Euangelii S. Johannis, et Cantico Poenitentiae*, editum est a. 1784, plagulis 2, 8:o. Praefatio *Amadutii* linguae indolem, historiam, subsidiaque illius discendae, tradit. — N:o 10, *Alphabetum veterum Etruscorum* etc. Praeter vetustiorem editionem a.

lentio debemus praeclarum earundem formarum specimen, *Regi* nostro *Augustissimo* exhibitum, cum splendidae illius Typographiae officinam a. 1784 praesentia sua honoraret, versus in laudem Regis 45 linguis diversis concinnatos, ac prope 30 diversi generis characterum formis expressos, legendos praebens, foliis 25 formae majoris, (in folio) constans [107]).

Rhetoricae et *Poëticae* artis Scriptores, praeter Veteres, adsunt: *Pet. Guntheri* de arte Rhetorica Libri II, Mogunt. ap. Jo. Schoeffer 1520, 4:o; *Ger. Jo. Vossii* Commentarii Rhetorici, Lugd. B. 1630, 4:o; cujus praeterea *Opera omnia* Bibliotheca nostra possidet, Tomis VI Amst. 1695—1701, Fol. edita; *Nic. Caussinus* de Eloqu. Sacra et humana, Lugd. 1637, 4:o; etc. [108]). *Ant. Mancinelli* Versilogus, cum com-

---

1771, 8:o, habemus etiam recentiorem, quae inscribitur: *Alphabetum veterum Etruscorum, secundis curis illustratum et auctum a Joh. Chr. Amadutio, Graecarum Literar. Professore in Archigymnasio Romanae Sapientiae etc.* Romae typis Zempelianis 1775, in folio, (Literarum tamen Etruscarum formis iisdem, quibus editio superior). Addita sunt *Monumenta Veterum Etruscorum* tabulis exhibita, notisque et Lexico explicata, etc. Totum opusculum, (plagularum 17) posterioris instar partis adjungitur *Linguae Oscae Specimini singulari quod superest Nolae in marmore Musei Seminarii, cum adnotationibus Joh. Bapt. Passerii*, Romae 1784, typis Zempelianis. — Tandem accedunt nostrae collectionis exemplo *Alphabetum* quoque, quod dicitur, *Protoplasti Adami triplex*, foliis comprehensum 12; de quo *Büsching* l. c. p. 103.

[107]) De quo opere cfr. *Svenska Parnassen för år* 1784. p. 158 sqq.

[108]) Addere licet *Cypr. Soarezii* art. Rhetor. Colon. (Allobr.) 1582, 8:o; *Joh. Lud. Vivis* de ratione dicendi Libb. III, etc. Colon. 1537; 8:o; *Rollin* maniere d' enseigner — les Belles Lettres, Tomes II, Paris 1726, 12:o; etc. It. Oratores quosdam recentiores, *Muretum* (Oratt. etc. Bas. 1577, 8:o), *Melch. Junium* (Oratt. Acadd. p. I—IV, Montebelg. 1595, P. V. Arg. 1596, etc. 8:o), *Val. Thilonem, Dom. Baudium, Dan. Heinsium*, etc. etc. *Pet. Rami* Praelectiones in Oratt. Ciceronis consulares, It. *Ejusd.* quasdam Orationes, Bas. 1580, 4:o; *Eryc. Puteani* Palaestr. Bonae mentis, Lovan. 1611, 4:o; etc. atque raritatis

mentariis Jo. Murmelii, — Mich. Lother excud. s. l. et a. 8:o; *Jul. Caes. Scaligeri* Poëtices Libri VII, (Col. Allobr.) 1586, 8:o; *Lil. Greg. Gyraldi* Opera omnia, Tomi II, Bas. 1580 fol. (*Is. Casaubonus* de Satyrica Graecorum Poësi etc. Paris. 1605, 8:o) etc. [109]).

Poëtarum recentioris aevi, cum qui Latine [110]), tum

---

caussa *Reginae Eloqentiae Palatium, s. Exercitationes Oratorias etc.* Paris. 1641, fol.

[109]) Praeterimus *Rav. Textoris* Epithetor. opus, Bas. 1549, 4:o; *Jo. Claji* Prosodiam, Wittenb. 1601, 8:o; *Hier. Aviani* Clav. Poëseos Sacrae, Lips. 1627, Voll. II 8:o; *Chph. Helvicum* de Carminibus — Graecorum, Ups. 1694, 8:o; *Laur. Fornelii* Poët. tripartitam, Ups. 1643, 8:o; *Pet. Coelemanni* opus prosodicum Graecum, Ffti 1641, 8:o; *Andr. Arvidi* Strengn. Manud. ad Poësin Svecanam, Strengn. 1657, 8:o; talesque plures libellos.

[110]) Adsunt tamen (praeter quaedam supra laudata, p. 252, not.) *Jo. Pierii Valeriani* Poëmata, Ffti 1613, 4:o (c. *Ej.* Hierogl.) *Casp. Barlaei* Poëmata (Lugd. B. 1628, 8:o); *Sarbievii* Lyrica (Antw. 1630, 12:o), *Hug. Grotii* Poëmata, Lugd. B. 1639, 12:o; (*Ejusd.* Tragoed. Sophompanes, Christus patiens, et Silvae Sacrae, Amst. 1635, 12:o; It. *Ejusd.* Silva ad Franc. Aug. Thuanum, Paris. 1634, 12:o); *Bezae* Poëm. s. l. 1597, 4:o; *Jo. Casae* Lat. monumenta, Halae 1708, 4:o; *Willichi Westhovi* Poëm. (Rost. 1621, 8:o); *Marc. Palingenii* Zodiacus vitae, Venet. apud Bernardin. Vitalem s. a. 8:o; *Dionys. Petavii* (Orationes et) Opera Poëtica, Paris. 1624, 8:o; *Pet. Francii* Poëmata, Amst. 1697, 8:o; *Ranutii Gheri* (Jani Gruteri) Delitiae CC Italorum Poëtarum (Ffti) 1608, Voll. II, 12:o; *Ejusd. Gruteri* Delitiae Poëtar. Germanorum, P. 1, 3, 5, 6, Ib. 1612, Voll. IV, 12:o; *Frid. Rostgaard* Deliciae quorund. Poëtarum Danorum, Lugd. B. 1693, 12:o; *Jo. Oweni* Epigrammata, Wratisl. 1668, 12:o; It. Ib. 1705, 12:o; *Dan. Hermanni* Poëmata Academica, Aulica, Bellica, Partes III, Rigae 1614 et 1615, 4:o; *Em. Swedberg (Swedenborg)* Ludus Heliconius s. Carmina Miscellanea, Scarae s. a. 4:o. Inter carmina autem hujus generis quaedam, Svecicas res attingentia, quae rariora sunt, curatius indicanda judicamus; talia sunt: *Jo. Narssii* Anastasii F. Dordraco-Batavi M. D. Sacra Natalitia, cum Paraenesi ad Milites Regios, Strenae loco, Rigae 1626, 4:o; *Er. Jacobi (Skinneri)* Stockh. (Mathem. in Schola Regia Professoris) Nuptiis — *Johannis III* Svecor. etc. Regis — atque Nobiliss. — Virginis *Gunnilae* — Epithalamion, Stockh. 1585, 4:o; *Sylvestri Johan-*

Miscellanea, Paris. 1630, 4:o; *Ejusd.* Variar. Lectionum Libb. Ib. 1633, 4:o; *Justi Reinh. Robbigii* Lexicon de rebus Criticis, Tomi II, Rint. 1622, 4:o; *Laur. Ramirez de Prado* Pentecontarchum etc. Antw. 1612, 4:o; *Car. Neapolis* Anarthychin ad Libros Fastorum Ovidii, Antw. 1639, f. *Cl. Salmasii* Exercitationes Plinianas in C. Jul. Solini Polyhistorem, Paris. 1629, Voll. II, f. *Lucae Fruterii* Librorum — reliquias, Lugd. B. 1584, 8:o; *Ge. d' Arnaud* Specimen animadvers. Criticarum ad aliquot Scriptores Graecos, Amst. 1730, 8:o; *Pet. Horrei* Observationes Crit. in Scriptores quosdam Graecos, Leovard. 1736, 8:o; *Henr. Valesii* Emendationum Libb. V, et de Arte Critica Libb. II, etc. ed. P. Burmanno, Amst. 1740, 4:o; etc.

§ XXXIV.

Non placet diutius indicandis his opibus Bibliothecae nostrae immorari; quarum praesens conditio qualis sit, vel ex hoc specimine non difficulter existimare harum rerum peritis licet. Addendis sensim libris in genere quovis inprimis necessariis, hiatibusque explendis maxime foedis, si casus omnes infestos averterit Divina benignitas, speramus fore ut ad laudem attingat libraria nostra supellex, quae et ornamento Academiae sit et ad hominum nostrorum adjuvanda provehendaque studia praeclare conducat.

Unde omnis quae in libros vel emendos vel compingendos conservandosque impendenda sit pecunia jam redeat, quantillaque ea sit, in superioribus passim significavimus. Habetur illa, 1:o ex aere quod Academiae nomen daturi singuli pendunt adolescentes studiosi, prout jubent Literae Regiae a. 1692 die 2 Julii datae; de quibus supra p. 42, § XI. Efficitur hinc quotannis summa 80 circiter thalerorum imperialium. 2:o ex pecunia quam ad munera vel dignitates quascunque Academicas promoti, ad mandatum earundem solvunt literarum Regiarum, summam per medium annuam vix implente imperialium 18. 3:o ex censu capitationis (Mantalspenningarne) qui ab hominibus redit Jurisdictioni Academicae subjectis, ad summam quotannis per-

tingens circiter 80 imperalium. (Cfr. de concessa Bibliothecae nostrae hac ope quae diximus supra p. 66). Post recentissime, a. 1777 constitutum pecuniae argenteae valorem, ad plenam demum horum redituum perceptionem Bibliotheca pervenit Academica, dimidia summa per pecuniae nostrae rationem inconstantem diu fraudata. 4:o ex pecunia quam Clerus Dioecesis Aboënsis, ex praescripto Ordinantiae Gymnasticae Scholasticaeque de a. 1724, Bibliothecae pendere debet (cfr. supra p. 67 not [14]); in qua colligenda nova illa accuratiorque numerandae ejus ratio non observatur, unde igitur nec plus quam 12 circiter imperiales annuatim redeunt. 5:o ex stipe perexigua a Scholaribus Cathedralem hujus urbis Scholam primum frequentaturis, vi Ordinantiae ejusdem pendenda (Vid. supra p. 67), aegre ad summam annuam Thaleri Imperialis cum besse, assurgente. Ita ut tota redituum Bibliothecae annuorum summa vix Thaleros aequet Imperiales CC. Unde, cum reliqui subducuntur sumtus necessarii, ad augendam ornandamque splendidioribus inprimis et pretiosioribus libris Bibliothecam non multum quotannis sperari opis potest; sed nec tamen nihil haberi subsidii, gaudemus.

Numerum vel voluminum vel singulorum scriptorum et tractatuum quibus jam Bibliotheca constet, inire atque exhibere, (quam rationem neque ad verum indicandum pretium neque ad caeteras laudes demonstrandas multum valere, saepe intelleximus), operae pretium non duximus: voluminum tamen inter sex et decem millia adesse conjectamus, quorum permulta plures diversosque complectuntur tractatus; consilio non illo quidem commodissimo, sed ad sumtus minuendos, in illa quacum colluctati sumus redituum publicorum tenuitate, hactenus necessario, in quo quidem exsequendo nec summa semper in argumentorum similitudine consulenda diligentia observata fuit. Crevit autem adeo jam librorum copia, ut spatiosiores propediem aedes, quo et ad usum commoda et ad speciem elegans, prout Bibliothecam decet publicam, esse pergat, desideret. (cfr. supra p. 72, § XX fin.) Cui necessitati, non minus quam rebus aliis

ad Academiae florem atque dignitatem pertinentibus, quin benefica eadem Superiorum cura atque liberalitas, quam experti hactenus saepe fuimus, porro prospectura sit, haud dubitamus [1]).

Appendix.

§ I.

Quod curam Bibliothecae Academicae, ante hos XVI annos depositam, rursus ad tempus in me recipere ac aliquamdiu administrare, necesse habuerim, opesque ejus interim laete crescere perrexerint: caussa utraque satis idonea visa fuit, cur Historiam gazae hujus nostrae librariae, per illud quod ab a. 1778 defluxit pertextum temporis intervallum continuare, fataque et incrementa sua recentissima prius expositis [1]) breviter descripta adjungere, neque alienam neque ingratam judicare operam deberem. Quo consilio, constitutum adhibitumque olim ordinem servantes, primum Praefectorum suorum Custodumque per haec tempora seriem dabimus brevem; deinde praecipuas, quae interim ei contigerunt, accessiones atque ornamenta commemorabimus; tum faciem, quam haec fortuna jam ei comparavit laetiorem, leviter adumbrabimus: procuratam sic sensim defectuum, quibus hactenus laboravit, quasi sanationem, cognoscendam praebituri, eaque simul re studiosis literarum hominibus nostratibus, quibus hoc thesauro librario utendi facultas est, quid opis inde sibi studiisque suis sperare liceat, ostensuri.

[1]) Animus quidem fuit, (quod et supra p. 26, § VI, not. [2]) significavimus) vitas quoque Bibliothecariorum reliquorumque qui Bibliothecae nostrae administrandae curam impenderunt, virorum doctorum breviter enarratas adjicere: sed nolumus jam vel molem opusculi augere vel conclusionem diutius morari. Fortassis alias hanc perficere operam licebit: aut post nos alii id consilium, ut et continuandae porro Historiae thesauri Academiae literarii, exsequentur. Quare nunc quidem huic labori finem imponimus.

[1]) Quae Dissertationibus Academicis XXIII, annis 1771—1787 pedetentim illustravimus.

§ II.

Cui Praefectura Bibliothecae Academicae, Diplomate Regio d. 18 Febr. a. *MDCCLXXVIII* dato, commissa fuerat, Dn. M. *Olavus Schalberg*, Ordinis Philosophici hactenus Adjunctus, non nisi brevi illam tempore gessit. Qui postquam Diploma, quod obtinuerat, Senatui Acad. exhibuisset [1]), operamque supellectilis librariae, quam administrandam recepturus erat, diligenter percensendae, in se a Senatu Acad. derivari passi essent Dn. Dr. *Nicolaus Avellan*, Anat. et Chirurg. atque Dn. M. *Johannes Bilmark*, Hist. et Philos. Practicae, Professores [2]); veterum primo Indicum cum novo (Inventario) nuper condito, libros omnes (prout collocati suis quique in loculis essent) exhibente [3]), explorare consensum illis necesse fuit [4]): qua re perfecta novoque Catalogo, Bibliothecae tuto recensendae in posterum quoque inservituro, Deputatorum fide atque auctoritate munito, ad ejus ductum opes Bibliothecae cunctas diligenter lustrabant; atque opere tandem rite peracto, easdem novo ineunte anno Academico [5]) novo tuendas Praefecto tradebant. Sed ille ante finem anni sequentis ad Professionem Logicae atque Metaphysicae translatus [6]), successorem in hac provincia habuit Dn. M. *Abrahamum Nicolaum Clewberg*, (Philosophiae ad hanc Academiam Adjunctum Extraordinarium), qui Diplomate Regio d. 15 Martii a. 1780 dato, Bibliothecae nostrae praefectus fuit. Cujus fidei antequam haec committeretur, Senatus Acad. nomine jussuque eam rursus proximo mense Augusti (d. 28 sqq.) perlustrabant, qui saepe antea Dn. Prof. *Joh. Bilmark* et qui nuper Bibliothecae praefuerat M. *Henr. Gabr.*

---

[1]) Die 2 Julii ejusd. anni. Vid. *Protocoll. Senatus Acad.* ad hunc diem, § 10.

[2]) Vid. l. c.

[3]) Cfr. supra *Hist. Bibl.* § XXIX pag. 94 sqq.

[4]) Qui labor, adscripta veteribus indicibus a Bibliothecario decedente nova libri cujusque sede, facilior redditus fuerat.

[5]) Mox post initium intervalli autumnalis, sive initio mensis Novembris.

[6]) Diplomate Regio die 20 Dec. 1779 dato.

Porthan, Eloqv. Prof. [7]) Bibliothecario autem a. 1783 ad alia negotia Stockholmiae traducto [8]), Senatus Acad. jussus fuit curam de Bibliotheca Acad. interim habere [9]): quam igitur pluribus per vices obeundam mandavit [10]); donec ab intervallo a. 1789 autumnali mihi ut illam provinciam administrandam reciperem, Senatus Acad. (Illustr. etiam Cancellarii auctoritate accedente) persvasit [11]): e qua quin rursus abire propediem liceat, absente hactenus Bibliothecario ad

---

[7]) *Prot. Cons. Ac.* d. 23 Junii a. 1780.

[8]) Spectaculis Dramaticis in splendide exstructo nuper Theatro Regio edendis praeficere virum Poëtices et Musices non minus peritum, quam elegantiarum pulcrique in artibus quibuscunque judicio exquisito pollentem, Regi placuerat.

[9]) Litt. Illustr. R. Regnique Senatoris D:ni Lib. B. *Frid. Sparre*, (qui Fratris cum Rege peregrinantis nomine Acad. Cancellarii provinciam administravit) dat. d. 14 Oct. a. 1783.

[10]) Primum autumno anni 1783 Dn. M. *Jacobo Tengström*, Philos. Adj. Extraord. et Amanuensi tum Bibliothecae Academicae, *(Protoc. Consist. Acad.* d. 7 Nov. et Litt. Illustr. Cancell. d. 18 Dec. ej. a.); eoque non multo post ad munus *Adjuncti Facult. Theologicae* atque curam simul Ecclesiae Pikisensis promoto, Dn. M. *Gabrieli Tidgren*, *(Prot. Cons. Acad.* 1784, d. 2 Mart.) Facult. Philos. Adjuncto Ordinario, qui a. 1784 et prima dimidia parte anni 1785 (interim ad *Professionem* Ord. L. L. Graecae et Orientalium Diplomate Regio d. 17 Dec. 1784 promotus) hoc onus sibi imponi passus est. Deinde, autumno a. 1785, Dn. M. *Johanni Gadolin*, qui hactenus Amanuensis Bibliothecae Ordinarius, dignitate Professoris Philos. Extraordinarii a S. Regia Majestate ornatus nuper fuerat *(Prot. Cons. Acad.* ej. a. d. 27 Sept.); quo iter ad oras exteras, venia Regia, aestate sequentis anni faciente, ego hanc provinciam, D:no *Tidgren* sociam operam, quantum infirma sua valetudo permitteret offerente, ad tempus usque autumnale a. 1788 administravi. *(Prot. Cons. Acad.* 1786 d. 2 Oct. 1784 d. 27 Junii et 19 Oct. 1788 d. 22 Febr. et 20 Maji; nec non Litt. Illustr. Cancell. d. 15 Apr.) quam tum redux Dn. Professor *Gadolin* in se, rursus curandam recepit, *(Prot. Cons. Acad.* a. 1788 d. 25 Sept.), donec eidem, ad munus *Chemiae Professoris* administrandum admoto, illam paullo post deponere videretur: quam hinc mihi rursus demandandam Senatus Acad. judicavit.

[11]) *Prot. Cons. Acad.* a. 1789 d. 17 Sept.

aliud atque honorificentius munus nuper promoto [12]), non dubito.

§ III.

Amanuensium nomine, operam diligentiamque Bibliothecae Acad. custodiendae curandaeque praestiterunt post Dn. M. *Henricum Alanum* [1]) qui a. 1779 ad munus Academiae Secretarii admotus fuit [2]), primum Dn. M. *Gabriel Tidgren* [3]), et deinde, cum ille post laudabilem biennii diligentiam munere ornatus fuisset Adjuncti Facult. Philosophicae Ordinarii [4]), Dn. M. *Jacobus Tengström*, Philos. Moralis Docens et Facult. Philos. Adjunctus Extraord. [5]), cui post biennii itidem in hac statione moram, munus Adjuncti Facult. Theologicae Ordinarii obtigit [6]). Obtulerat interim suam quoque in labore hoc ejus levando operam Dn. M. *Ericus Tulindberg*, atque Senatus Acad. assensionem nactus, illam adjunxerat [7]); sed mox ad alia Reip. negotia administranda animum adjiciens, musis nostris valedixit [8]). Petiit igitur atque obtinuit vacantem tenuem hanc stationem Dn. M. *Johannes Gadolin* [9]), in qua per V mansit annos (interea pri-

---

[12]) *Regiae Cancellariae Consiliarii* nomine honoreque (Diplomate R. d. 12 Nov. a. 1783) jam decoratus, juribus quoque ad hoc munus pertinentibus, Diplomate R. d. 7 Nov. a 1784 plene auctus fuit: postquam jam ante dignitate *Secretarii Regii a manu* (Konungens Hand-Secreterare) ornatus, atque Nobilitatis jure donatus, novum nomen *Edelcrantz* adscivisset.

[1]) Vid. *Hist. Bibl.* § XXVIII p. 93.

[2]) Diplomate Regio d. 23 Apr. ej. a. dato.

[3]) Cfr. *Hist. Bibl.* § XXIX p. 97; Protoc. Cons. Acad. a. 1779 d. 17 Junii.

[4]) Diplomate Ill. Cancellarii d. 7 Julii a. 1781 dato.

[5]) *Prot. Cons. Acad.* d. 25 Dec. a. 1781.

[6]) Diplomate Illustr. Acad. Cancellarii d. 21 Dec. a. 1783 dato.

[7]) *Protoc. Cons. Acad.* d 7 Nov. a 1783.

[8]) Negotiis Cameralibus, Paterni laboris levandi caussa operam addicens, Patrique postea in munere succedens, *Camerarius Provincialis* (Lands-Camererare) *Provinciae Uloburgensis* constitutus fuit, cui hodieque officio praeest.

[9]) *Prot. Cons. Acad.* d. 20 Febr. a. 1784.

mum nomine Adjuncti Facult. Philos. Extraordinarii ab Illustr. Acad. Cancellario a. 1785 d. 2 Julii, et postea honore Professoris Philosophiae Extraordinarii, Diplomate Regio d. 8 Aug. a. 1785 dato, ornatus); qui cum non solum munus Adjuncti Fac. Philos. Ordinarii ab Illustr. Acad. Cancellario sibi esset delatum [10]), sed etiam administratio Professionis Chemiae Ordinariae (a cujus laboribus vacationem Antecessor suus ex Regia clementia obtinuerat) sibi Diplomate Regio demandaretur, quo successionis certae jus in locum stipendiumque ordinarium simul concessum fuit [11]); dicatam hactenus Bibliothecae Acad. curandae operam deposuit. Habuerat interim socios ejus operae, primum ab a. 1785 Dn. M. *Johannem Poppium,* Lingg. Oriental. et *Alexandrum Ingman,* Eloqv. Docentes [12]); quorum ille *Pastor* Ecclesiae *Jockas* in Savolaxia post triennium constitutus [13]) abiit, hic cum anni 1789 fine fungi hoc officio desiit: deinde ab a. 1787 Dn. M. *Jacobum Bonsdorff* [14]), qui post quadriennium ad munus Adjuncti Facult. Theol. Ordinarii fuit promotus [15]). Ordinarium autem Amanuensis Bibliothecae Acad. locum (a fratre relictum) mandabat Senatus Acad. a. 1789 [16]) Dn. M. *Gustavo Gadolin,* qui Linguas litterasque Orientales simul Docens, hinc per quinquennium et quod excurrit, laudabili illum diligentia (honore interim auctus Adjuncti Fac. Philos. Extraordinarii [17]), orna-

---

[10]) Diplomate d. 3 Jan. a. 1789 dato.

[11]) Diplomate Regio dato d. 6 Maji a. 1789; cum quo jure, jus etiam stipendii, suo ordine percipiendi, ab eo repetendum tempore, quo vices gerere Chemiae Professoris Ordinarii coepit, conjunctum fuit.

[12]) *Prot. Cons. Acad.* d. 4 Oct. a. 1785.

[13]) Diplomate Regio dato d. 19 Febr. a. 1788; postquam honore Adjuncti Philos. Extraord. anno jam 1785, d. 30 Nov. auctus fuisset.

[14]) *Protoc. Cons. Acad.* d. 19 Oct. 1787.

[15]) Diplomate Illustr. Acad. Cancellarii d. 16 Maji 1791 dato.

[16]) *Prot. Cons. Acad.* d. 1 Oct. a. 1789.

[17]) Diplomate Illustriss. Acad. Cancellarii d. 27 Martii a. 1793 dato.

vit. Cum vero crescens sensim librorum copia, decentem illorum curam laborosiorem indies redderet; Senatui Acad. visum fuit alterum dehinc Amanuensem adjungere, et Collegam ei dare primo Dn. M. *Samuelem Castrén*, Log. et Metaphys. Docentem [18]), ac deinde, eo ad curam suscipiendam demandatae fidei suae Ecclesiae *Utsjoki* [19]) Lapponiae Kemiensis, ad viciniam Maris Glacialis hinc abeunte, Dn. M. *Petrum Johannem Alopaeum*, Hist. Litterar. Docentem [20]), qui in hac hodiedum statione manet.

§ IV.

His igitur curam supellectilis nostrae librariae gerentibus, reditus tenues, ei augendae ornandaeque dicati, ita administrati impensique sunt, ut praeter operum periodicorum continuationes annuas, atque librorum recens editorum talium qui maxime necessarii viderentur comparationem, occasiones non negligerentur ex opibus Bibliothecarum privatarum divenditarum [1]), inprimis earum quae intra Patriae fines habitae sunt, penum nostrum augendi. Quales hic Aboae fuerunt *Kalmiana* [2]), *Pryssiana* [3]), *Hartman-*

[18]) *Protoc. Cons. Acad.* d. 1 Febr. a. 1793.

[19]) Diplomate Venerandi Consist. Eccles. Aboënsis d. 15 Jan. a. 1794 dato.

[20]) *Protoc. Cons. Acad.* d. 28 Febr. a. 1794.

[1]) Sic praestantissima illa quam Gedani ipse vendidit possessor Admodum Rever. Dn. *Cur. Benj. Lengnich*, pulchra librorum egregiorum accessione, (amicam nobis praestante operam Maxime Rever. D:no Doct. *Lüdeke)*, nostra crevit supellex.

[2]) Ex relictis libris Celeb. Profess. *Petri Kalm*, a. 1780 hic divenditis, egregios aliquot ad *Hist. Nat.* et *Oeconomiam* pertinentes acquisivit Bibliotheca publica.

[3]) Ex relicta Bibliotheca Ampliss. Profess. *Olai Pryss*, a. 1786 supellex nostra librorum Juridicorum inprimis atque Historicorum non spernendum accepit augmentum. Possumus hoc loco etiam commemorare Bibliothecam Cel. Prof. *Andr. Joh. Lexell*, olim nostri, Petropoli quidem divenditam, sed cujus Catalogus hic Aboae fuit a. 1785 typis impressus. Acquisivit inde gaza nostra libraria praeclara quaedam opera Mathematica.

niana [4]) et *Nordensköldiana* [5]); in Svecia autem ut minores taceam [6]), praestantissimae *Aurivilliana* [7]) et *Mennandriana* [8]). Nec ex libris iis, qui ex officinis per Patriam Typographicis interim prodierunt, quosque gratis Bibliothecae Acad. tradi oportuit [9]), omnino nihil ei accessit incrementi [10]).

§ V.

Neque ejusdem documentis benignitatis, qua hactenus opes suae laete creverant, hoc etiam intervallo temporis Bibliotheca nostra caruit. Praeter ea enim ornamenta atque opes, quas, cum iis post a. demum 1782 aucta fuisset, ordine atque ex instituto commemorare supra [1]) non poteramus, sed passim tamen (quia ante finem operi nostro im-

---

[4]) Quam reliquit Reverendiss. Episcopus *Jacobus Haartman.* Catalogus typis a. 1789 expressus exstat.

[5]) Quam collegerat Nobil. *Aug. Nordensköld,* Rei Metallicae Fennicae Praefectus (Berge-Hauptman). Sub hasta divendita fuit Aboae a. 1789; unde non contemnenda nobis librorum Chemicorum, Metallurgicorum atque etiam Philologicorum accessit copia.

[6]) Inter quas eminuit *Taubiana,* quam reliquit Rever. et Illustr. L. B. *Car. Edv. Taube,* Stockholmiae a. 1785 divendita, cujus exstat Catalogus typis expressus.

[7]) Quae fuerat Celeb. Prof. Upsal. *Car. Aurivillii,* et copia et selectu parem in Svecia haud facile inventura; ut Catalogus a. 1787 typis expressus, abunde docet. Egregia librorum praestantissimorum accessione nostra inde Bibliotheca ditata fuit.

[8]) Cujus multiplicem et pretiosam copiam demonstrat Catalogus diligenter conditus, atque a. 1787 (cum supplemento a. 1792) typis descriptus.

[9]) Caveri tamen hactenus non potuit, quominus defectus quidam ex hac parte semper juri Bibliothecae nocerent; sumtusque ad tenues plerumque has opes colligendas atque ad nos transmittendas necessarii, non admodum magnum rei Academicae ex hoc consilio lucrum relinquunt.

[10]) Eidem huic legi Typographia quoque Gripswaldensis nuperius fuit subjecta; unde igitur libri quidam haud contemnendi pretii postea nobis accesserunt.

[1]) Hist. Biblioth. § XXX, p. 98 sqq. Ubi scil. benefactorum Bibliothecae nostrae novissimorum facta fuit mentio.

positum accesserant) deinde tetigimus [2]); numerat jam inter cimelia sua splendidum *Florae Rossicae opus* [3]), munificentia *Augustissimae Rossorum Imperatricis* dono sibi, anno superiore, gratiosissime concessum [4]). Munere quoque aucta fuit magnifico usque ex Italia transmisso, liberalitati debito Viri Illustris *Francisci Piranesii*, Legati jam Regii Svecici Romae constituti, Equitisque Ordinis Regii de Stella Polari: qui, quinquennio abhinc, Voluminibus XII formae maximae (vulgo Atlanticae) ad Res Romanas antiquiores spectantibus, vel a *Patre* suo, vel a sese elaboratis editisque, pretiosoque Tabularum aeri pulcherrime incisorum apparatu ornatis, illam decoravit [5]). Domi praeterea haud vulgaria

---

[2]) Quo pertinent libri ab Academiae nostrae olim *Cancellario* Illustrissimo R. Regnique Senatore L. B. *Carolo Sparre* benigne ad nos missi, Hist. Bibl. p. 237, 265 (cfr. 253, 264) 268, 281 sq.; item quos liberalitati debemus Virorum Nobilissimorum *Joh. Hisinger* (ib. p. 224) et *de Grubbens* (p. 213) Virorumque Amplissimor. Celeb. et Praeclarissimor. *Calonii* (p. 170), *Gadd* (p. 174), *Alopaei* (p. 158), *Chronander* (p. 172), *Mollin* (p. 174), *Meinander* (p. 175), ac Nobil. D:nae *Runeberg* (p. 172 sq). De munere *Fredenhemiano* mox commemorabitur.

[3]) *Flora Rossica, seu Stirpium Imperii Rossici per Europam et Asiam indigenarum Descriptiones et Icones. Jussu et auspiciis Catharinae II Augustae edidit P. S. Pallas.* Tomi I Pars I, Petrop. 1784; Tomi I Pars II, ibid. 1787. Cum Tabulis aeneis C, vivis coloribus plantas depictas sistentibus. Voll. II Fol. Maj.

[4]) Procurante Regis ad Aulam Rossicam *Legato Primi Ordinis (Ambassadeur Extraord.)* Illustr. Generalis Locum Tenente ac Equite de Magna Cruce R. Ordinis Ensiferi D:no *Lud. Phil. Curt. von Stedingk*, qui et de facto nobis dono Gratiosissimo Senatum Acad. certiorem fecit, et opus ipsum benevole ad nos misit. Vid. Litt. Ejus datae *Petropoli* d. $\frac{4}{15}$ Nov. a. 1783, et *Protoc. Consist. Acad.* d. 22 Nov. ej. a.

[5]) Suggerente hoc sibi consilium (ut ipse literis significavit humanissimis, Romae d. 13 Febr. a. 1790 datis) propensissimo nostro Fautore Generosissimo *Fredenheim*, qui litteris *Aquisgrani* d. 3 Aprilis ej. a. scriptis (quibus illas Donatoris adjunxit) primum nobis rei nuntium misit. Ipsa deinde Volumina *Portu Liburno* in Sveciam, nullo nostro sumtu, eodem curante

perennantis in se benignitatis Bibliotheca percepit documenta; inter quae longe eminent, primum ea, quae debemus Alumno olim Musarum nostrarum lectissimo, hodie Maecenati faventissimo, Generosiss. D:no *Carolo Friderico Fredenheim*, Supremo jam Aedificiorum Regior. Praefecto, caet.; de cujus prolixo in gazam nostram librariam favore

---

perpetuo rerum nostrarum Fautore navi venerunt, atque postea ad nos transmissa sunt. Quorum indicem subjicimus:

Le Antichità Romane, opera del Cavaliere *Giambatista Piranesi*, Architetto Veneziano, divisa in quatre Tomi. In Roma 1784 nella Stamperia Salomoni (Edit. 11) Voll. IV. — Cujus cum quaedam folia, maritimo sub itinere casu laesa fuissent, idque Sibi innotuisset, novis integrisque Roma missis Donator mutanda benigne curavit.

Ejusd. Lapides Capitolini, sivi Fasti Consulares Triumphalesque Romanorum, ab Urbe condita usque ad Tiberium Caesarem. (Romae, 1761? licet neque locus neque annus expressus inveniatur).

Jo. Bapt. Piranesii, Antiquariorum Regiae Societatis Londinensis Socii, *Campus Martius Antiquae Urbis* (Lat. et Ital.) Romae 1762.

Ejusd. Romanorum Magnificentia et Architectura. (Latine et Italice, sine a. et l.). Accesserunt:

Osservazioni di *Gio. Battista Piranesi* sopra la Lettere de M. *Mariette* aux Auteurs de la Gazette Litteraire de l' Europe, inserita nel supplemento dell' istessa Gazette stampata Dimanche 4 Novembre 1754, e parere nel' Architettura, con una Prefazione ad un nuovo Trattato della introduzione e del progresso delle Belle Arti in Europa ne' tempi antichi. In Roma 1765.

Vedute di Roma, disegnate ed incise da *Giambattista Piranesi*, Archit. Venez. (sine a. et l.) Voll. II.

Monumenti degli Scipioni, publicate dal Cavaliere *Francesco Piranesi*, nel' anno 1785. (De quo opere cfr. **Götting. Anzeigen von gelehrten Sachen 1787, 138 Stück.**, p. 1382 sqq.).

Raccolta de' Tempj Antichi, opera di *Francesco Piranesi*. Prima Parte, che comprende i Tempj di Vesta Madre, ossia della Terra, della Sibilla, ambedue in Tivoli, e dell' Onore, e della Virtù fuori di Porta Capena. In Roma (sine a.).

Ejusd. Planta delle Fabriche esistente nella *Villa Adriana*. (Ibid. s. a.) Folia VI.

commemorandi etiam supra [6]) materiam habuimus: deinde Celeberrimus (mortalibus non ita pridem ereptus rebus) Dn.

---

[6]) Hist. Bibl. p. 268 not. Praeter Tabulas autem aeri incisas splendidas, eo loco commemoratas, dono miserat libros aliquot curiosos (*Magnan*, ib. p. 222, *Scoto*, *Vasi*, *La Ville de Rome*, ib. p. 238). Postea autem divitiis auctus literariis omnis generis, ex Italica peregrinatione (contractisque ibi amicitiis Virorum Illustrium, Eruditorum et in Artibus praestantissimorum) uberrime comparatis, multo etiam amplioribus musas nostras muneribus locupletavit. Ut enim Tabulas res Reginae *Christinae* Romanas attingentes, aliasque nonnullas, aut maximorum manus Artificum ostentantes, aut Antiquitatis aliqua monumenta illustrantes, praetereamus; splendidi Operis *Piranesiani*, Statuas antiquas quae supersunt praestantissimas accurate delineatas aerique incisas sistentis (de quo supra *Hist. Bibl.* p. 268 not.) Tabulas IV novas superioribus XXIII addidit, una cum delineatione aeri arte simili incisa Statuae quam *Piranesio Patri* Haeredes posuerunt, (quibus unum etiam, *Caesaris Germanici* illam, quae Roma Versaliam migravit, benigne adjungere placuit Illustriss. D.n. Baroni *Georgio Gust. Wrangel*, Generalis Locum Tenenti et R. Ord. Ensifer. Commendatori cum Magna Cruce), reliquarum posthac adipiscendarum spe simul nobis oblata: *Mappam* Quatuor Partium Mundi *Armenice* Venetiis a. 1789 editam (sive ut Idiomate Italico adscriptus titulus habet: „Carte Geographiche delle quattro parti del Mondo, disegnate e incise con varie correzioni dal P. *Elia Endasè* Constantinopolitano, Monaco Armeno di S. Lazaro, in Venezia — nel 1789"). Praeterea ex relicta supellectili locupleti b. Parentis sui, Monumentorum ad Geographiam, Historiam, Oeconomiam et rem Grammaticam etc. Fenniae illustrandam MSS. volumina complura, (in Folio, 4:to et 8:vo) jucundissimum nobis donum transmisit, quorum infra indicem atque descriptionem diligentiorem dabimus: (inter ea exemplar nitidum *Chronici Episcoporum Finlandensium Juusteniani*, Ejusdem *Juusteni Narrationem de infelici Legatione sua Moscovitica*, quam typis ante aliquot annos vulgavimus, Exemplar *Versionis Fennicae Codicis Legum Svecicarum Christophoriani*, multaque alia Scripta eximii pretii ususque); quibus accessit egregius *Codex Chartaceus Satyrarum Juvenalis*, ex Italia adductus, initio (ut videtur) seculi XV scriptus, in forma 8:va majore, infra item describendus. Libros simul typis expressos liberalitati Ejusdem debemus, partim raros apud nos, partim etiam praestantissimos. Ex. g. *Istoria de' Fenomeni del Tremoto* avvenuto nelle Calabrie e nel Valdemone nell' anno

Professor *Johannes Henricus Lidén*, cujus beneficentiam, ut multi olim cives institutaque publica, ac res inprimis lite-

---

1783, posta in luce dalla Reale Accademia delle Scienze e delle Belle Lettere di Napoli. In Napoli 1784, (Alterum volumen Tabularum aeri incisarum magnam vim continet) Fol. Maj. — Istoria degli ultimi quatro secoli della Chiesa — descritta da Fr. *Filippo Angelico Becchetti*, T. I—IV, in Roma 1788, 1791, 4:o — Fragmentum Euangelii S. Johannis Graeco-Copto-Thebaicum Seculi IV — ex Veliterno Museo Borgiano nunc prodeunt in Latinum versa et notis illustrata opera et studio F. *Augustini Ant. Georgii*, Romae 1789, 4:o — Charta Papyracea Graece scripta Musei Borgiani Velitris — edita a *Nic. Schow*, ib. 1789, 4:o. — *Josephi Mingoni* Historia Medica Thermarum Patavinarum, Patav. 1775, 4:o — Elogio di Domenico Maria Manni, col Catalogo delle sue opere, (item effigie sua, rubrica adumbrata), scritto da *Giulio Bernardino Tomitano*. In Venezia 1789, 4:o — Dissertazione polemico-critica sopra due dubbj di coscienza concernenti gli armeni Cattolici sudditi dell' impero Ottomano . . . del Marchese *Giov. de Serpos*. Ib. 1783, 4:o — Expositio Fragmenti Tabulae Marmoreae operibus caelatis et inscriptionibus Graecis ornatae Musei Borgiani Velitris, Auctore *Arn. Heeren*, Romae 1786, 4:o — Orazione funebre in lode di Don Carlo III Re delle Spagne e dell' Indie recitata 1789 dall Abate D. *Bernardino Botteri*, Parma dalla Reale Stamperia (monumentum laude egregiae hujus Typographiae dignum, cujus splendidiora adhuc documenta exhibent Volumina duo proxime significanda) — *Anacreontis Opera*, (Graece) praefixo Commentario quo Poëtae genus traditur et Bibliotheca Anacreontica adumbratur. Additis var. Lectionibus. Parmae ex Regio Typographeio. (Omnia litteris quadratis, typorum et chartae nitore maximo) 1785, 4:o — *Λόγγου Ποιμενικῶν τῶν κατὰ Δάφνιν και Χλόην βιβλοι τέτταρες*, cum Proloquio de libris Eroticis Antiquorum. Ib. 1786, 4:o — Della origine e di fatti delle Famiglie illustri d' Italia, di M. *Francesco Sansovino*. In Vinegia 1609, 4:to — Compendio storico di Memorie Cronologiche concernenti la Religione e la Morale della Nazione Armena suddita dell' Impero Ottomano — Dal Marchese *Giovanni de Serpos*. T. 1, 2, 3. In Venezia 1786, Voll. III, 8:o — Istruzione generale sulle verità Cristiane in Forma di Catechismo ad uso delle Città e Diocesi di Pistoja e di Prato. T. 1. 2, 3. In Venezia 1782, Voll. III, 8:o — Lettera Pastorale o sia Istruzione Canonica sul Battesimo Cristiano — da Monsignor D. *Giuseppe Capecelatro*, Arcivescovo di Taranto. Napoli 1785,

raria Patriae universa, non vulgarem[7]), ita nostra etiam gaza libraria prorsus egregiam experta fuit, ex perenni quasi fonte novas eidem suppetias posthac etiam perpetim fundentem[8]).

8:o — Pistoriensis et Pratensis Episcopi *(Scipionis de Ricci)* ad Clerum et populum Civitatis et Diocesis Pratensis Pastoralis Epistola latine reddita. Pistorii 1787, 8:o — *Ejusd.* Quo tempore libellus quidam in lucem prodiit inscriptus Annotationi pacifiche etc. Pastoralis Epistola, latine reddita. Ib. 1787, 8:o — Indicazione Antiquaria per la Villa suburbana del Eccellentissima Casa Albani (ed. Abb. *Marini).* In Roma 1786, 8:o — Il Genio Patrio dell' Abate *Filippo Mattei Baldini.* In Venezia 1788, 8:o Etc. — His addidit ex Bibliotheca b. Parentis sui, non modo exemplar utriusque libelli Botanici Celeb. olim Prof. Aboënsis *Eliae Tillandz* hic 1683 editi. *(Catal. Plantarum, quae prope Aboam inventae sunt,* charta pura foliis interposita, cui nomina Linnaeana b. Possessor olim adscripserat, et *Icon. Nov.* etc. quibus nomina vulgaria Svecica et Fennica veteri manu adscripta leguntur), nec non libellum *Johannis Gerson* de Arte moriendi, Svetice a. 1514 in 4:o Upsaliae impressum, rarissime hodie obvium, et exemplar Proverbialis Fennici Aboae 1702 ab *Henr. Florino* editi. (charta pura foliis inserta, supplementa libelli copiosa b. Archiepiscopi manu adscripta, exhibente), sed etiam Collectionem Dissertationum Academicarum et Tractatuum minorum Theol. et Philol. cum in Germania tum intra Patriam editorum, Volumina 180 in 4:o, Dissertationes et Tractatus 4730 diversos complectentem. — Ut alius generis Cimelia varia (Nummos antiquos etc.) et ab Ipso donata, et sua commendatione nobis ab aliorum munificentia comparata, (de quibus alio loco), nihil jam commemoremus.

[7]) Confr. Celeb. GJÖRWELL *Svenska Archivum* T. I p. 97, 149, 299 sq, et T. II p. 237 sqq.

[8]) L. c. Cfr. *Fol. Hebd. Aboëns.* a. 1793, N:o 24. Praeter volumina 12 partim ante, partim post penus suae librariae factam inter Bibliothecas publicas Acadd. Upsaliensis, Lundensis et Aboënsis, nec non Gymnasii Lincopiensis, distributionem, nobis dono missa: ex ipsa Bibliotheca sua nobis cesserunt Voll. 23 in folio, 33 in 4:o, 104 in 8:o et 44 in 12:o, in summa 213. Inter quae erant: *Aeliani* Opp. Gr. et Lat. cura Conr. Gesneri, Tig. 1557, Fol. *Jo. Stobaei* Eclogar. Libri II, . . ex Bibl. J. Sambuci, Antw. 1575, Fol. — *Synesii* opera Graece et Lat. Interpr. Dionys. Petavio, Lutet. 1612, Fol. — *Diodorus* Sic. Gr. et Lat. studio Laur. Rhodomanni, Hanov. 1604, Fol. — *Solinus* cum Enarrat. Jo. Camertis, Viennae Austr. 1520, Fol.

DISSERTATIO

DE

POËSI FENNICA

AUCTORE

HENR. GABR. PORTHAN.

(Aboae 1766—1778)

Riemu-Laulut Runoiſißa,
Weiſatut filloin wäleehen
Koſca Runot Kuuluiſimmat
Suomen laulut ſuloiſimmat
Warſin hywin waſtatuxi
Tulit tuolla Turkuſeßa
Kuuluiſaßa Kaupungißa
Otetuxi oppineilta
Muitten kielten Kumpalixi.

Suomen kieli kangiaxi
Kyllä kuuluwi kowaxi;
Waan on ſitä wakaiſembi
Synkiämpi ſuloiſempi
Paljon ſitä painawampi,
Tähynnä tarckoja ſanoja,
Tähynnä toimea toſingin
Solmuſanohin ſujuwa.

Täßä kieleßä kowaßa
Löydät Lelly-lähteitä
Jotka juoxewat joixi
Lewiäwät lammikoixi,
Jotka janon jähdyttäwät
Kielen ſaawat ſuckelaxi
Kaikenlaiſiin kelpawaxi:
Joßas tahdot toimelliße
Paljon parweßa puhua,
Taiwahaſta tuliſeſta,
Eli maaſta matalaſta,
Taicka tähtein taloiſta,
Nijn on kieli kelwollinen
Tuommoſihin toimellinen
Warſin luonnoſta wakawa.

Taickas tahdot taſaiſeſti,
Ilman itzewallaiſeſti
Ilman ſolmuja ſanella,
Iocapäiwäſtä puhua;

Eli joßä ſowitella
Tahdot ſolmuhin ſanaſi
Laulamalla laſketella
Mitä mieles mieliſtypi;
Eli Runohin ruweta;
Tott' on kieli kelwollinen
Suomi ſihengin ſujuwa
Warſin aiwan kuin walettu
Tuohon Tuiki taipununna,
Aiwan mieleſi mukahan.
Sijtä ſanowat ſamaiſet
Todiſtawat täyttä päätä
Suomen kielen Laulu-laſkut
Runot, monet mainittawat,
Ioit' on juuri jouckottaiſin
Ylönpaljon ylimaaſa
Sakialta Sawon-maaſa
Pitkin koko Pohjolata
Hunnakolla Hämeheßä
Tuonne tänne tuiſkuteltu;
Ioita matkij matkamiehet,
Loruttawat Laulu-miehet,
Pidoiſanßa, pejahaiſis,
Häißä huiki hyppäeßä.

Nuoita nuoret nauru-ſuiſet
Nuoita Neitot näppäräiſet,
Wanhat waarit wanuttawat
Keſkenänſä kertonewat
Lembiäſti laulelewat.

Näiſtä nyt nimitethiſtä,
Suomen kielen kuckaiſiſta

Näämme poimitut parahat
Koko lyhteet cootut,
Ioista warsin wickelästi
Wisut wijsahat wetäwät,
Ilo suulla imelewät
Opin oikian urosten
Suomen miesten mielen pidon
Kielen luonnon Kaunihimman.

Iospa Wanha **Wäinämöinen**
Tämän tietäsi todexi,
Näistä saisi sanomia,
Totta Wanha wetähsi
Tulis tänne Tuonelasta,
Haappajaisi hartioillen
Kantelensa kaappajaisi:

Tuopa itze Ihmettelis
Kuinga Suomi Korkiallen
Kambia ombi käennyt
Oppineitten olkapäillen:
Totta Wanha wiheltäisi
Kalliftaisi Kalloansa
Hyppis warsin haltioisans.
Itze wanha **Wäinämöinen**
Iloisanßa istuißanßa
Wirittäisi wickelästi
Kajaawaisen Kantelonsa,
Ionga kielet kijnnittäisi,
Että Kuuluši Kumina,
Helinästä heikommasta
Hawattaisihin humina,
Tuonne Tornoan talohon
Pitkin koko Pohjolata,
Yli suuren Suomen-saaren!!

CHRISTFRIED GANANDER,
Tuomaan poika.
Pappis-mies Pohjanmaalta.

D. D.

§ I.

Almae Poëseos uti ea est jucunditas atque praestantia, ut nulla facile, non solum cultior, sed etjam barbara, reperiri queat natio, quae non specie saltim ejus aliqua delectata, suo illam modo tractare atque colere allaboraverit; ita gens quoque Fennica a pulcherrimo hoc studio adeo non fuit aliena, ut singulari potius ardore et successu, pro rerum conditione haud infelici, ab antiquioribus usque temporibus illi incubuerit. Ad summum vero illud fastigium, quod apud quasdam cultissimas gentes, et olim et hodie attigit, a nostris hominibus, quamvis ingenii vi haudquaquam destitutis, perduci non potuisse, nemo credo mirabitur. Non fuit is status gentis, vel cum primum apud nos ab omni cum litteris commercio remotos haec facultas coli, vel etjam postea cum illarum tandem familiaritati admoveri coepisset, qui locum tantae spei relinqueret. Non is linguae, quamvis communi intelligentium judicio pulcherrimae, honos est habitus, non illi doctissimorum et cultissimorum lectorum plausus, illique laudis et gloriae fructus uberrimi poëtis nostris fuerunt exspectandi, non illa denique praeclara praemia illaeque florentes gentis res ingenia hominum accenderunt, ut summus his litteris nitor summumque decus accedere potuerit. Naturali igitur cujusque impetui et exercitationi artis subsidiis parum adjutae, tota fere relicta fuit pulcherrima facultas. Praecepta ejus distinctius explicare, majorique et doctiori eandem cura atque diligentia excolere, aggressus est nemo. Quid itaque mirum, si rudiorem aliquanto, quam pro caeterarum litterarum flore, quarum nempe opibus et cultu satis ornata non fuit, retinuerit habitum? Mirandum potius est, illam tamen venustatem illos-

que lacertos ei non deesse, quibus eam pollere, qui propius spectarunt, omnes fateri necesse habent. Accessit vero caeteris ejus malis, quod neque rationem hujus studii apud nos singularem, et fortunam qua hactenus usa fuit, quisquam curatius et plenius hucusque exposuit. Tentarunt quidem indolem carminum nostrorum breviter explicare PETRAEUS *Brev. Instit. Ling. Fennicae,* parte *Prosodica,* WEXIONIUS *Descript. Sveciae Goth. et Fenn. Lib. III cap. XIV, et* MARTINIUS *Hodeg. Ling. Fenn. p. 105 sqq.* qui *Petraeum* verbotenus sequitur; sed neque plene neque accurate satis in eo argumento versati sunt. Praeclara autem et eruditissime observata sunt, quae de Poësi nostra passim tradit vir de gente nostra immortaliter meritus Reverendiss. JUSLENIUS cfr. *Diss. de Aboa Vet. et Nova, § 33 p. 91. Orat. de Conv. Linguae Fennicae cum Hebraea et Graeca* (NETTELBLADT Schwed. *Biblioth.* 1 Stück *p. 163) et praefat. Lexici Fennici* § 16, sed tamen ea etiam pauciora et quasi in transcursu tantum dicta. Factum hinc est, ut non modo pauci adhuc integram poëseos nostrae rationem rite et distincte perspexerint, adeoque his litteris digne perpoliendis operam navare potuerint, sed multi etjam popularium doctiorum, vix ipsam carminum nostrorum faciem, quoad pulcherrimam sui partem, notam habuerint, longe itaque difficilius ab illis cognoscendam, qui extra linguae nostrae commercium degentes, litteras tamen nostras attentione sua dignas judicant. Ex eodem quoque fluxit fonte, quod et nostratium nonnulli exiguum musis nostris statuerunt pretium, et quidam vernaculi caeteroquin sermonis satis gnari, cum ad versus scribendos se contulerunt, usque adeo a vera illorum aberrarunt indole, ut ludibrium prudentioribus suis civibus, etjam plane illiteratis, merito debuerint. Haec igitur considerans, et operae omnino judicans esse pretium in majorem lucem vernaculae poëseos rationem conditionemque proferri, statui huic negotio industriam atque studium pro virili addicere, idque eo potius, quod et harum rerum curiosis non ingratum fore laborem, popularibusque et imprimis patronis atque amicis meis consilium meum ad-

probari intelligerem, et ad litteras nostras excolendas non exiguam inde redundaturam utilitatem existimarem, si occasio praeberetur delicias illarum, quas non modo ignorare, sed iis etjam non affici, nato Fenno turpe puto, diligentius examinandi. Campum igitur ingressus satis quidem vastum, non tantum quos supra indicavi auctores consulere, proprumque adhibere judicium necesse habui, sed carmina etjam varii generis colligere quae attentius considerari merebantur, et ad historiam poëseos nostrae pertinentia haud pauca investigare. Quae cum ex interioribus inprimis provinciis conquirenda essent, a me aut nunquam aut non cum debita harum rerum cura aditis, neque facultas jam concederetur easdem diligentius perlustrandi, fautores et amicos quibus opportunum id esset, rogavi ut auxiliatrices mihi hoc in negotio manus porrigere vellent; quod etjam praestiterunt plurimi, quibus itaque ob eam benevolentiam gratias et habeo et ago meritas. Fateri tamen cogor, neque sic me omnia quae ad argumentum hocce illustrandum pertinent, ita colligere aut explicata sistere valuisse, ut vel ipsi mihi satisfecerim. Restant sine dubio haud pauca ulterius examinanda, quibus autem non alia ratione lucem facilius acquiri posse existimavi, quam si opellam, nondum licet ultima attactam manu, et rudiori tantum quasi imagine rem adumbrantem, publico Honoratissimorum Popularium, quos haec studia delectant, judicio modeste quamprimum subjicerem; quo facto, et quae deficiant et in quibus erratum sit animadvertere, commodiusque prout opus fuerit aut supplere illa aut emendare poterunt. Hoc igitur consilio, observationes meas Dissertatione Academica complexus, in lucem sensim emittenda, primam jam ejus particulam benevolis lectoribus sisto, qua par est observantia rogans, ut harum rerum prudentes opem mihi de patriis litteris bene mereri cupienti porro praebere, doctasque suas animadversiones mecum communicare velint, quas quidem in usum vertere, et sequentibus opellae partibus adjicere non praetermittam. Ex qua deinde silva, si non mihi, attamen aliis felicioribus ingeniis, perfectam et concinnam licebit de in-

tegra poëseos nostrae ratione commentationem tandem conficere. Quod si factum fuerit, studiaque gentis nostrae ad has perpoliendas litteras aliquantum incendantur, abunde scopum meum attigi.

§ II.

Fennicae Poëseos universam exposituri faciem, in limine statim observamus, non eadem hodie lege cuncta apud nos carmina factitari, sed tria illorum amari diversa plane genera. Praeter peculiare enim illud et genti nostrae proprium carminis genus, quod *Runarum Fennicarum* nomine venit, quoque prae caeteris delectantur nostri, introducta etjam fuit posteriori tempore *Poësis* sic dicta *Rhythmica*, sive ὁμοιοτελέυτοις ornata, quae apud nos non minus ac apud reliquas Europaeas nationes fere omnes, suos invenit amatores. Alii rursus, veterum Graecorum Latinorumque capti carminum justa admiratione, illorum imitatione *versus quantitatis exacta in syllabis mensura ornatos*, nostra quoque lingua componere tentarunt. De quibus itaque singulis generibus, quaque apud nos jam ratione et fortuna colantur, distincte et ordine dicemus.

§ III.

Antiquam igitur et domesticam gentis Poësin, *Runas* videlicet Fennicas, et genio linguae nostrae maxime convenientes, et majori prae caeteris versuum generibus apud nos cultura floreque conspicuas, primum considerabimus. Runot (sing. Runo) hujusmodi carmina vernacula lingua dicuntur [1]), et singulari gaudent natura atque indole. Mono-

[1]) Nomine forte ex Hebraeorum רנן orto, unde רנה *Canticum*. An cum Gothorum quoque Runa (pl. Runor) *litteram* significante, aliquam cognationem habeat, et quam, non facile dixerim. Wormius certe, qui Gothicam vocem ex Hebraea nullo modo descendere posse contendit, ejusmodi adfert argumenta, quae Fennicae vocis derivationi, quam indicavi, egregie favent. Cfr. *Ej. Litterat. Runic. Cap. 2.*

cola semper sunt, sive uniformia, et versibus constant quorum singuli octo recipiunt syllabas [2]), quae si plures quando aut pauciores adfuerint, vitiosae id tribuendum licentiae [3]). Facies illorum ex sequenti patebit exemplo:

Kewät keickuin tulepi,
Ilon kanßa ilmeſtypi;
Silloin monda metzämieſtä,
Somaiſinda ſoidinmieſtä,
Suxen päällä ſoutelepi,
Ennakolla ennättäpi,
Metzän eläinden edulle,
Soittawaiſten ſoittimille;
Silloin kaicki kalamiehet
Paatin päälle pyytelewät,
Werkot wetehen wetäwät
Heinickohon heittelewät; etc. [4]).

Quantitatis exacta quidem, qualis apud Graecos olim et Latinos, in metiendis syllabis non habetur ratio. Modos autem musicos, sive *tonum*, cui cantantes carmina sua populares nostri constanter adtemperant, si consulere velimus, quatuor *Trochaeos* singuli versus aptissime recipere videntur [5]). Neque difficulter animadvertitur, illos versus, quibus

---

[2]) Atque hoc forte respectu a Rev. JUSLENIO cum Glyconicis comparantur, *Praef. Lex. Fenn.* § 16, licet ratione pedum nulla inter eos reperiatur similitudo.

[3]) Exemplum igitur a Nobil. WEXIONIO adductum, loco supra citato, ad ostendendam indolem carminis Fennici, videl.

Pojat parat pauhakam,
Neitzet nuoret iloitkam,
Wanhat wahwaſt weiſatkam,

minus idoneum esse, vel ex hac ratione apparet.

[4]) CALAMNII Wäh. Kokous Suomal. Runoiſta, pag. 4. seq.

[5]) De quantitate syllabarum apud Fennos, in sequentibus diligentius disputabimus. Pro illis quae hac § traduntur intelligendis, Runarum hac in parte indolem cognoscendam praebenti-

hi contingunt pedes, commodissime et pulcherrime currere. Exempli loco hunc adferemus: Kohta kulki jälkehensä, item: Saapi surma wierahaxi. Imo illi quoque versus, qui hujus metri jucunditatem perfecte non attingunt, quo tamen ad illud propius accedunt, eo fluunt dulcius, quod ex adducto modo speciminis loco carmine satis patebit, instituta inter duos primos versus comparatione. Constanter vero huic metro Poësis nostra adligata non fuit; neque Graecorum Latinorumque summum illum rigorem vel linguae vel carminum nostrorum indoles patitur. Nimis certe poëtis nostris grave imponeretur jugum, si praeter peculiares nostris versibus leges, tot adhuc tamque severae observandae illis praescriberentur regulae. Caeterum indicatae pedum for-

---

bus, interea monuisse sufficiat, omnes vocales simplices in lingua nostra breves esse, et ad producendam syllabam *diphtongo, positione*, aut *vocali geminata* opus esse; geminata enim littera vocales longas significare, apud nos moris est. Quot et quasnam lingua nostra habeat diphtongos, vide apud VHAËLIUM *Gramm. Fenn. cap.* 1. § 14, et JUSLENIUM *Praefat. Lex. Fenn.* § 8. Accedere autem praeterea accentus debet, ut perfecta mora enascatur. Accentum vero in lingua nostra duplicem sentire mihi videor; quod etjam sibi visum in cit. *Dissert. de Aboa V. et N.* § 33 p. 90 innuit Rev. JUSLENIUS; unum qui cujusque vocis primam occupat syllabam, a Grammaticis quoque nostris animadversum, quem non inepte *tonicum* vocari posse existimo, qui solus brevitati syllabae nihil officit; alterum in vocibus ultra tres syllabas porrectis notabilem, qui vocum tetrasyllabicarum tertiam, hexasyllabicarum tertiam et quintam, octosyllabicarum tertiam, quintam et septimam syllabam adficit, sed in pentasyllabis et heptasyllabis paulo diversam sequitur rationem, quam jam non est necesse explicare. Hunc *Euphonicum* commode dici arbitror; qui a Grammaticis nostris non est animadversus, tamen facile agnoscendus. Sic in vocibus soutelepi, ennättäpi, praeter primam syllabam accentu quodam manifesto adficitur etjam tertia, et in huolimattomuden etjam quinta. Hic accentus, effectum ad morae similitudinem propius accedentem habere, quam primus ille, videtur. Elegantius certe fluit metroque trochaico paret exactius hic versus: Waabit kanßa kandamahan, item: Koska kuuli mainittaman, quam hi: Joskas näitä pyydät pitä, et Kuto kaunit kangas kabat, Että suuret liina pakat.

mae, quantum fieri commode potest, libenter poëtae nostri imminent, ipso aurium sensu ducti, licet nulla suffulti distincta regularum notitia. Inculta videlicet plane et intacta hucusque haec apud nos fuit doctrina, primoque conatu rite explicari difficillime potest. Quamobrem qui hactenus de poësi nostra judicium tulerunt, nullam prorsus in Runis nostris quantitatis syllabarum haberi rationem, pronuntiarunt; quam tamen opinionem firmo haud niti fundamento, vel inde potest intelligi, quod eaedem voces in versu aliter atque aliter collocatae, salvis licet regulis grammaticis et prosaicae orationis compositione, aut svavem illum gratumque auribus, aut durum et intolerabilem reddant. Exempli loco hi versus sint: Mieckа wälckypi werinen, Hengi huokupi hewoiſten; item: Kurjat werckoa kutowat, Pahat neuwoja niwowat, Jalon ſurmaxi Jumalan, Palkaxi parahan neuwon; item: Eikä rijtoja rakenna, Eikä ſuututa ſanoilla; Sulle ſijwollen ſanowa, Mitä tarwitaan taloſta; qui licet supra laudato metro exacte non pareant, minime tamen inficeti apud nos habentur. Sed immuta paullulum vocum ordinem, ita ut hac ratione legantur: Werinen mieckа wälckypi, Hewoiſten hengi huokupi, et Kurjat kutowat werckoa, Pahat niwowat neuwoja, Jalon Jumalan ſurmaxi, Parahan neuwon palkaxi, et Eikä rakenna rijtoja, Eikä ſanoilla ſuututa; Sulle ſanowa ſijwollen, Mitä taloſta tarwitaan; omnis illico perierit illorum svavitas. Quae etjam aures Fennicae hos ferent versus: Kuin minä tulin Turkuhun, Nijn minä näin ihmeitä, etc. Aut quis poëseos nostrae gnarus, omnino versus esse largietur? Quibus similia innumera possent adduci exempla, non alio quam neglectae quantitatis vitio laborantia, quae tamen aurium mox judicio damnantur. Omnem itaque de syllabarum quantitate curam abjicere, poëtis nostris haudquaquam licere, luculentissime patet. Quousque autem extendenda sit, et quaenam hic inprimis observari debeant regulae, difficilius statuitur. Mihi hujusmodi observationes se obtulerunt: 1:o. *Ubi a veri metri rigore necessitas recedere jubet, multo semper facilius syllabis brevibus moram imponere, quam longas corripere licet.* Exempla ex praecedentibus hauriri possunt. Longae autem in Runis non aliae

censendae sunt, quam quae cum diphtongo, positione, aut vocali geminata, accentum aliquem conjunctum habent; reliquae breves putandae (cfr. not. praec. [6]). 2:o. *In prioribus pedibus facilius aberratio permitti aliqua potest, quam in extremis,* in quibus maxime perfectio atque absolutio judicatur. Compensat aliqua ratione accentus *tonicus* moram in primis pedibus, sed aegerrime in postremis. Longe dicitur tolerabilius: Joſkaſ pitä näitä pyydät, quam Joſkaſ näitä pyydät pitä. 3:o. *Monosyllabo non facile terminatur versus Runicus;* quod vitium, hujusmodi vocum et paucitas et indoles facillimum evitatu poëtis nostris reddit. Fuerunt tamen qui neque ab illo sibi caverunt. Exemplum praebet ingratissimus hic versus: Jonga Herra hurſkaxi tieſ. Inprimis vero 4:o *penultimae syllabae, quae etiam inter cantandum longissime semper producitur, aegrius licet esse brevi;* quod praecipue valet, si accidat ut antepenultima simul sit longa, quo nimirum facto, conjuncta illa duo vitia aures gravius offendunt. Atque hinc est, quod exempla nuper adducta, immutato verborum ordine tantopere displiceant. Aeque ingrate hi versus sonant: Pyrkitöhön ſun pyörilläs, Kulkekohon ſun kannoillas; a quorum igitur similibus accuratiores poëtae diligenter sibi cavent. Neque dubitant ad hanc asperitatem evitandam, figuram aliquam grammaticam, et inprimis mutatum naturalem ordinem vocum, si opus sit, potius adhibere, quantum quidem perspicuitas et puritas sermonis permittit. Luculenter hoc etjam probant hi versus: Judas pettäjä Jumalan, Saa täſtä ſuru ſydämmen; Raha joutui raſkahaxi, Käändyi huolexi hopia, Saatu ſurmalla Jumalan, Werellä wakaiſen Herran. Tunnuſti ſamalla ſuulla, Jolla Luojan pettänynnä, Työnſä tyhmäxi todiſti etc. [6]). Non dicit poëta: Judas Jumalan pettäjä, vel Hopia läändyi huolexi etc. Sed patitur tamen allata regula etjam haud paucas exceptiones. *Voces* enim *quatuor aut sex constantes syllabis, quamquam penultimam habeant brevem, apte tamen versum terminant,* quod accentus Euphonicus in illis

[6]) Salamnii Ilo Laulu Jeſuxeſta etc. Cap. XI de Judae proditoris perversa poenitentia et morte funesta.

productionem penultimae compensat (cfr. not. praec. [5]); cujus rei exempla carmen in initio §:i allatum plura praebet. Atque in genere observandum, *versus nostros aptissime semper longiori voce, nisi alia ratio obstet, terminari.* Itaque non tam placent hi: Koſta Kuningamme kulki, Matkuſteli meidän maalla, quam si hac ratione verba collocentur: Koſta kulki Kuningamme, Meidän maalla matkuſteli; et longe ingratius dicitur: Kulki kolmannengin kerran, quam Kulki kerran kolmannengin. Cujus etjam rei ratio, in accentus illius secundi nescio quo pondere latere videtur. Porro eo usque sollicitudo de debita penultimae syllabae mora extendi non debet, ut exemplo nonnullorum qui nimis rigidam in quantitatis legibus servandis accurationem sectati sunt, omnes voces trisyllabicae, utpote metro trochaico repugnantes, penitus ex Runis nostris excludantur [7]). Praeterquam enim quod a vetusto carminum nostrorum more nimis sic esset recedendum, magna etjam vis vocum et ponderosissimarum et elegantissimarum, ingenti sane jactura, a poëtis nostris proscribi deberet, et quod metri jucunditas lucraretur, reliquae carminis virtutes perderent [8]). Deinde cum hujusmodi versus, trisyllabicis etjam constantes vocibus recitantur, non tantum non ingratum habent sonum, sed virtutem etjam haud exiguam ab ipso hoc metro suo interdum mutuantur, auriumque sensui abunde satisfacere scita potest recitantis opera. Exempla

[7]) Ex eadem ratione omnes etjam voces pentesyllabicae et heptasyllabicae, quod accentus in syllabam producendam non incidat, proscribi deberent; quamquam hoc minori cum damno fieri potest, quam si omnia trisyllaba effugere velimus. Neque monosyllaba, nisi duo juxta se invicem posita adhibere liceret, si summum metri trochaici rigorem in lingua nostra attingere conaremur.

[8]) Inter alios, ab omnibus vocibus trisyllabicis, constanter abstinet Auctor Spectatiss. Runarum super bello novissime in Fennia gesto, illudque subsecuta pace etc., sub hoc titulo editarum: Suru ſuuri Suomalaiſten, Parku poru Pohjalaiſten etc. nec non Auctor Anonymus Poëmatis, sub tit. Huonen Speiſi etc. nuper denuo typis evulgati; qui vero parum intellexit Poëseos nostrae rationem.

in illis versibus quos passim allegavimus, luculenta habentur. Cantui quidem hi versus aeque accommodati non sunt; sed neque omnia carmina cantari opus est, et si hoc etjam placet, longo usu leviori huic asperitati assvefactae aures nostrae non tantopere illa offenduntur, ut gravi adeo jactura evitari debeat. Neque timendum est, ne Runis nostris suum propterea non constet pretium, quod ob hanc rationem versus interdum paullum vacillare patiamur. Tolerabiliores hujusmodi defectus, linguae cujusque indoli saepe condonandi sunt. Ita Galli, quorum caeteroquin poësis ad tantum ascendit fastigium, praeterquam quod, miro exemplo, in versibus recitandis ab illa recedunt verba pronunciandi consvetudine, quam in prosaico sermone sectantur, non tantum in Rhythmorum finalium venusta similitudine, sed in accentus quoque et quantitatis legibus exacte servandis, cedunt Svecis et Germanis; et hi rursus a dulci illo atque elegantissimo Graecorum et Romanorum metro longe absunt. Contra, in sequentis versus initio sensum claudere, quam priori versu inchoaveras; quod Gallis praeeuntibus hodie tantopere cavent omnes, apud Graecos Latinosque, Lyricos inprimis, vix in vitio ponebatur. Sed ad Runas nostras redeamus. Quaenam praeter jam explicatas, in syllabis illarum rite mensurandis necessariae sint regulae, indicare hactenus nequeo. Aurium autem exactissimo judicio, quod peritos usu poëtas raro fallit, cuique soli plus in hoc negotio quam omnibus regulis confidendum est, vacillantes et asperos versus a jucundis svavibusque discernere, facile semper licet.

§ IV.

Rhythmos quos vocant finales (Svecis Rim), sive similes clausularum sonos, plurimis hodie gentibus tantopere amatos, Runae nostrae haud desiderant. Qui tamen sponte incidunt, nulla poëtarum cura arcessiti, non displicent. Quamquam hi et rarius se offerunt et pauci eorum accuratissimi sunt, ut ex allatis praeced. § exemplis satis patet. Inprimis versus, quos trisyllabicae claudunt voces, accentum nisi

in antepenultima syllaba non habentes, rhythmum accuratum plane respuunt; cujusmodi tamen versibus varie intertextis, carmina nostra frequenter gaudent, difficillime igitur genuinis rhythmis ornanda. Et nescio etjam quomodo qui voce dissyllabica terminantur versus, si perfectior accedat rhythmus minus placere videntur, quam si vel nullus vel neglectior adfuerit. Exemplo erunt hi versus: Yhden höſen kerta kuuſi, Koſka jocu händä huuſi, cum his comparati: Wielä oli toinen wirka, Iſäldänſä päälle pandu, et Kirkaſti koreat kilwet, Herätit häreät mielet. Non tamen defuerunt, qui constanter Runis suis rhythmos finales adjicere instituerunt [1]), non feliciore multum consilio, quam qui Latinis eosdem carminibus obtrudere voluerunt. Plerumque autem, quo quis Runicae Poëseos minus intellexit rationem, eo de versibus suis rhythmis exornandis sollicitus magis fuit, aliis contra neglectis potioribus virtutibus, moreque vetusto carminum nostrorum plane everso. Quamobrem hujusmodi Runae nullius etjam solent esse pretii, nec ab aliis fere amari, quam qui versus intelligere ullos sine rhythmo nequeunt [2]). Qui vero et indolem linguae nostrae cognoverit, ὁμοιοτελεύτοις parum faventem, et nativas nostrae Poëseos elegantias perdi non voluerit, novum hoc vatibus nostris et peregrinum jugum imponi haud cupiet, quo vis illorum et impetus, nullo jucunditatis lucro frangeretur et opprimeretur. Horum vero rhythmorum loco, *nostri singulas aut saltim duas in quoque versu voces eadem syllaba aut littera inchoari amant* [3]), sicque rhythmi quandam et concentus spe-

[1]) Rhythmum hunc ut in versibus nostris necessarium, commendarunt etjam Petraeus et Martinius in Grammaticis suis, ll. cc.

[2]) Qui cum hunc tamen rhythmum quem venantur, perfecte attingere in lingua nostra aegre possint, eo insulsiora evadunt carmina omni alio ornatu destituta. Non immorabor exemplis subjiciendis. Affatim dabit poëma supra memoratum, quod sub titulo: Huonen Speili etc. typis descriptum exstat.

[3]) Observandum hic, litteram C eandem esse cum K littera, adeoque in Runis pro eadem semper haberi, licet nescio quo Latinos imitandi studio apud plerosque nostratium recep-

ciem non in fine sed in initio vocum in unoquoque versu quaerunt. Exempla supra adducta, etjam hanc rem illustrare possunt. Atque haec litterarum earundem initialium repetitio, non sine vitio negligenda, et jucunditatis plurimum apud svetas aures habet, et ad versus in memoria retinendos non minus valet quam rhythmus finalis, longeque cum genio linguae facilius conciliatur. Caeterum cum duae in versu voces ab eadem incipiunt littera, necesse non est, ut aut in initio versus aut in fine ambae juxta se invicem collocentur, sed quemcunque locum libere occupare possunt, et aliis quoque vocibus varie interpositis apte saepe sejunguntur [4]); ut ex carmine in praeced. § initio adposito apparet. Neque quod nonnullis placuit, ut sine exceptione omnes in quovis versu voces ab eadem littera ordirentur [5]), probari potest. Tantum enim nimius hic rigor svavitatis carmini non addit, quantum Poëtis remorae et difficultatis creat. Quare etjam pauci arctiori hoc vinculo se adstrinxerunt.

§ V.

Praeter indicatam autem singularem rhythmi speciem, alia quaedam adhuc Runis nostris familiaris est, praecipua digna attentione, in ipsius sensus et totius versus consistens

tum sit, illam hujus loco ante vocales duriores a, o et u adhibere. Itaque in exemplis adpositis sprevimus hunc morem et sola f usi sumus. Quod autem i et j, nec non u et w, a quibusdam ut non diversae litterae in Runis usurpantur, id licentiae est adscribendum. Accurate dicitur: Ylo᛭i paha᛭ iſännän, et Juhla jouᛏunut Jumalan, item Ulwos u᛭eſta iſoiſta, et Waiwan alla waiᛏaloiſen; sed vitiose: Uros tunnuſti waᛏainen, et Ylon ᛏanßa juo᛭eᛏaha᛭an.

[4]) Ad principium versus utramque adligant Grammatici nostri saepius citati; sed contra usum communem. Quod autem carmina nostra integras periodos habeant, ab eadem littera incipientes, ut itidem asserunt, id casu fit interdum, non ratione.

[5]) Hoc consilium, praeter alios, secutus est Praepos. quondam et Pastor Uloënsium in Ostrobotnia ZACHAR. LITHOVIUS, in *Epitaphio Episc. Joh. Gezelii, filii*, Runico carmine conscripto, impresso Holmiae A. 1718.

aliis verbis facta repetitione. Admodum enim in omni Runico carmine necessarium habetur, *ut quivis sensus, non simplici enunciatione exhibeatur, sed duobus ut plurimum versibus, aut etjam pro re nata pluribus, diversis tamen in quoque versu verbis, idem exprimatur et inculcetur.* Sive, sententiae singulae quibus carmen constat, duo semper aut plura habere debent distincta membra, totidem comprehensa versibus, eoque inter se modo juncta, ut insequens eandem cum praecedenti rem, diverso verborum apparatu, et si fieri potest, efficaciori pronunciet. Ita primi versus sententia repetendo absoluta, altera demum subjicitur, rursus simili ratione conduplicanda, atque sic deinceps. Diversam a reliquorum Europaeorum poëmatibus, hoc metri genus Runis nostris indolem adfert, et habitum orientalium populorum poësi similiorem inducit, sed magnificentiam quandam simul et vim plane insignem illis conciliat. Non enim potest non vehementius affici mens legentis aut audientis, cum repetitis quasi ictibus verberatur, et quod de figura *interpretationis* dicit *Auctor Rhett. ad Herennium, necesse est ejus, qui audit* (aut legit), *animum commoveri, cum gravitas prioris dicti renovatur interpretatione verborum* [1]). Atque hac ratione totum carmen continua quadam figurarum serie insurgit. Sed exempla rem uberius illustrabunt, quae ad verbum latine reddam, ut linguae nostrae minus etjam periti, aliquam tamen de indole Poëseos Fennicae notionem acquirere sibi possint. Unus ex felicioribus nostris Poëtis, carmen gratulatorium Regi nostro Augustissimo Fenniam peragranti dicatum ita orditur:

Koſta kulki Kuningamme,	Cum proficisceretur Rex noster,
Adolph Fredric armollinen	*Adolphus Fridericus* clemens
Meidän maalla matkuſteli,	Per terram nostram iter faceret,
Kaicki wereni wenähti,	Omnis sanguis meus extendebatur,
Kaicki lihkähti lihani,	Omnis commovebatur caro mea,
Että wirteni wiritin,	Ita ut canticum meum intenderem,
Kannoin minun kandeleni	Portarem lyram meam
Isän iſtuimen edehen,	Ante (ad) solium Patris,

[1]) Lib. IV cap. 28.

Kaikkivallan kamariħin;	Ad omnipotentis domum;
Joſta anoin anbimia etc. [2]).	Unde expetebam dona etc.

Alius terrae motum, mortem sanctissimi Servatoris secutum, ita describit:

Mielä maatkin manberetkin,	Quin terraeque firmique terrarum tractus,
Itze kaiken ilman pohja,	Ipse omnis aëris fundus,
Luojan ſurmaa ſurepi,	Creatoris caedem dolet,
Wapiſepi waikiaſti.	Tremit misere,
Sangen hämmäſtyy ſuruſta;	Admodum stupet prae dolore,
Tahtoi painua peräti	Voluit sidere (ruere) prorsus
Poſes pääldä patzaſtenſa,	De columnis suis,
Kaata muurit korkeimmat,	Evertere muros altissimos
Hywät huoneet hukata,	Eximias domus perdere,
Rakata pöös alaiſin.	Dejicere funditus.
Mielä kalliot kowimmat,	Etjam rupes durissimae,
Joit' ei kiſko kirwes pohja,	Quas non avellit securis malleus,
Ei ſärje ſepän waſara,	Non frangit fabri tudes,
Piſtäne teräwät piſlit,	Forant acutae sagittae,
Murhen tähden murtunewat,	Prae dolore diffringuntur,
Pelwoſta pakahtelewat,	Ex metu disrumpuntur.
Tuſtan tähden halkiawat,	Prae anxietate finduntur,
Koſk' on Luoja kuolemaſa etc. [3]).	Cum est Creator in morte, etc.

Nemo credo hic virtutem carminis desiderabit, cujus etjam in tam exili versione non obscura apparent vestigia; neque indoles metri nostri ex his exemplis non intelligetur, quibus igitur, brevitatis studio hoc loco plura non addimus. Parcissime ab hujus rhythmi observatione Poëtis nostris recedere licet, et duos inprimis aut plures tali vitio laborantes versus conjungere, aegerrime permittitur. Exemplum praebent hi versus: Koſka kijni tahtonetta Mieſtä muita wieckahinda, Muiſtatte uſehen ennen, Karkaiſi käſiſtä kanſan etc. qui prosaicum nimis habitum produnt. Ipsa autem linguae Fennicae indoles, copiosae et phrasibus synonymicis abundantis, egregie vatum favet conatibus. Caeterum nemo, antiquae poëseos Hebraicae, cujus in sacro Vet. Testamenti

[2]) Calamnius Wähäinen Kokous Suomal. Runoiſta, p. 1.
[3]) Salamnius Jlo Lauln Jeſuxeſta, etc. Cap. XX.

codice exempla habemus, vel tantillum cognoscens indolem, aut carmina Biblica, etjam in alias linguas fideliter translata, diligentius considerans, insignem illorum cum nostrarum Runarum conformatione hac in re facile non animadvertet convenientiam, quam pulchre indicat, ipsamque hanc poëseos nostrae rationem, a se primum distincte expositam, simul aperit Reverendiss. JUSLENIUS [4]), his verbis: *Inprimis notabilis est Hebraicorum et Fennicorum carminum concentus, consistens qua poësin in periodi* (aut cujusvis enunciationis) *divisione in duo hemistichia, quorum posterius variata phrasi, sensum cum priori continet eundem vel etjam ἐμφατικώτερον. Si vero contingit plura poni membra, aut partium* (plerumque) *est enumeratio, aut gradatio orationis. ... Ex unico nostrati proverbio, sunt enim ut plurimum metrica, tota res apparebit.* Jumalall' on onnen ohjat, Luojalla lykyn awaimet: Waan ei kateen kainaloſa, Pahan ſuowan ſormen pääſä. *Sic sonaret ad verbum: Deo sunt habenae fortunae, Creatori sortis claves; sed non inviḍi sub axilla, malevoli digitorum in apicibus. Quo poëmate, cum id in idiomate suo consideratur, quid uspiam elegantius, quid concinnius, quid quod veterum Hebraeorum poësin referat exactius?* Metri hujus, quod cum Hebraeis nobis commune est, naturam et laudes uberius explicatas, videre licet in elegantissima *de Poësi Biblica* dissertatione, Upsal. A. 1758 edita [5]); cfr. ejus § 3, ubi egregie inter alia dicitur: *Quid? quod Biblicae Poëseos metro, quod ostendimus, haec inest singularis omnino praestantia, ut quam demum cunque in linguam, fideliori quidem versione transfundatur, migret una et illaesum servetur, rerum quippe ipsarum intextum imaginibus, quae mutari versione non possunt, dum contra caeterarum in gentium poësi omnium, perire adeo cogatur metrum versi carminis, ut nisi disjecti postea poëtae membra vix appareant.* Quamquam praeter hoc rhythmi genus, nostra carmina multis gaudent, quae popu-

---

[4]) *Orat. de conv. ling. Fenn. cum Hebr. et Graeca.* NETTELBLADT Schwed. *Bibl. 1* Stück. p. 163.

[5]) A. Cl. Sv. ULLHOLM, Praeside Cel. CAR. AURIVILLIO.

larium aures impense delectant, in versionibus vero intereunt, uti ex supra disputatis facile intelligitur, quod videlicet syllabarum et numerum et quantitatem nostri exactius curent quam Hebraei, literasque insuper vocum initiales easdem repeti velint, adeoque versus artificiose magis struant. Caeterum peculiarem quam et Biblica et nostra carmina agnoscunt metri constitutionem, modo descriptam, aptissime *Rhythmum sensus, Rime du sens*, appellavit, et Europaeorum *Rhythmo soni, Rime du son*, opposuit, JOH. des CHAMPS [6]), utpote sententiarum et notionum ipsarum harmoniam, loco ejusdem in fine versuum recurrentis soni, exhibentem. Specialius autem ut hujus rhythmi naturam, qualem Runae spectandam praebent, explicemus, observamus varie eundem pro re nata a vatibus nostris instrui, non tantum membra ejus nunc plura nunc pauciora ponendo, sicut allata ostendunt exempla, sed etjam integram modo sententiam, modo partem tantum enunciationis insigniorem repetendo. Sic in his versibus: Raha joutui raſkahaxi, Käändyi huolexi hopia, *pecunia fiebat onus, argentum mutatum est in curam*, integra sententia dupliciter exprimitur; nec non in his: Wierywät wedet-wäkewät, Aallot paljon pauhajawat, *volvuntur aquae potentes, fluctus multum tumultuantur.* Sed cum dicunt: Kewät keickuin tulepi, Ilon kauſza ilmeſtypi, *ver tripudians venit, cum gaudio manifestatur,* apparet solum *praedicatum* enunciationis repeti, uti *subjectum* solum in his duplicatur: Suru ſaatti rohkiaxi, Murhe Herran haawoiſta, *Dolor fecit audacem, Sollicitudo de vulneribus Domini.* Interdum et *subjectum propositionis et praedicatum* conduplicatur, sed utrumque separatim, ut in his versibus: Kanſan huuto huikeimbi, Poru pappein pahinden, Tucki korwat Tuomarilda, Pehmitti pahoin ſydämmen [7]), *Populi clamor gravior, vociferatio sacerdotum pessimorum, obturavit aures judicis, mollivit male animum.* Nonnunquam praeter *subjecti* aut *praedicati* sigil-

---

[6]) In Epist. inserta Diar. Britann. T. XIII p. 268, sicut docet Auctor Dissert. supra laudatae.

[7]) SALAMNIUS l. c. Cap. 15.

latim factam repetitionem, tota quoque propositio iteratur, ut in his: Suru ſärjepi ſydämmen, Haikiaſti haawoittapi, Murhe lyöpi rinnat ridi, *Dolor frangit cor, acerbe vulnerat, luctus lacerat pectora;* aut alio ordine, qui magis placere solet: Suru ſärjepi ſydämen, Murhe mielen rikottapi, Haikiaſti haawoittapi, *dolor frangit cor, luctus animum lacerat, acerbe vulnerat.* Saepe etjam non totum *subjectum* aut totum *praedicatum*, sed insignior alterutrius pars aliis verbis enunciatur, ut in his: Kerran mendyä merelle, Lainehille laiwan kanſſa, Meri miehet melkiähän, Tulit ilmahan iſohon, *Aliquando petentes mare, Undas cum nave, Nautae in magnam venerunt, in tempestatem ingentem.* Et quis omnem hujus collocationis varietatem persequetur? Uti licet hac in re poëtis summa libertate, modo generalibus pareant rhythmi legibus. Perfecta autem si adhibetur periodus, non nisi per partes suas duplicari facile potest, quae varie repetuntur, ita ut colon quodvis, singulo contentum versu, sigillatim repetatur, hoc modo:

Ehkä Juuttahat iloitzit,	Quamvis Judaei laetabantur,
Paha parwi pauhaſapi,	Mala grex plaudit,
Surmaſa ſuloiſen Herran,	In morte benigni Domini,
Luojan pijnaſta parahan;	De Creatoris cruciatu optimi;
Kärſi kuiteng' kaikki luondo,	Tamen patiebatur tota natura,
Alla tuſtan taiwahatkin etc. [8]).	Sub anxietate etjam coeli etc.

L. B.

Alteram jam dissertationis de Poësi Fennica particulam, benigno Lectoris C. judicio submitto. Praeter continuatam ipsius opellae seriem, passim observationes inserui, quae in priore adferendae fuissent parte, si tum quidem in eas incidissem; nunc vero quo loco commodissime fieri potuit, eas collocavi, qui non absolutam et diligentissimo ordine elaboratam de poëseos nostrae ratione commentationem, sed silvam tantummodo observationum ad eam illustrandam pertinentium et

[8]) l. c. cap. 19.

subinde augendarum, me exhibiturum promisi. Quae in superioribus minus diligenter explicata, melius mihi postea innotuerunt, accuratius exponere studui; quae necdum satis explorata habeo, si deinceps comperero, sequentibus adjungam partibus: non enim primo conatu hujusmodi res perficiuntur. Quamobrem etiam, ut docti Populares, quibus vernaculae placent musae, studium his litteris mecum illustrandis, operaeque meae adjuvandae porro conferre velint, enixe rogo; illis qui hactenus consilio meo benigna faverunt ope, gratias agens habensque summas, meritissimas.

§ VI.

Ex iis quae de repetitionis sententiarum indole et necessitate [1]), § proxime antecedente diximus, luculenter simul patet, quemvis in carminibus nostris versum, integram quodammodo sententiam partemve periodi continere debere, neque sensum unquam nisi cum versu terminari, aut vocem aliquam, quae ad superiorem sententiam pertineat, ad sequentem versum rejici, qui novam rursus enunciationem simul inchoet. Illud igitur vitium quod *enjamber* Galli dicunt, sollicite poëtae nostri fugiunt; neque Graecorum Latinorumque, hac in parte, carminum libertatem imitari licet. Quare hujusmodi haud probantur versus: Saawat tietäjät totuden Tietä, kautta kirjamieſten, et Mutta joka ombi aina Laiſka, ei hän paljon paina, et Talos joku hywä pala Jos on, ſen hän pitä ſala, et Taicka koſkas wiljemään Peldos, niittus nijttelemään Menet, ſilloin owat walmit Sinull talon kalut kaunit, etc. Namque in his, praeterquam quod sensus valde fluit impedite, repetitio ejusdem locum nullo modo habere potest; qua itaque licentia, tota ratio carminum nostrorum

[1]) Omitti nimirum sine vitii nota haud potest, nisi gravior subest caussa, ut cum SALAMNIUS Ilo-Laulu, etc. Cap. I hunc morem negligit, de Jesu puerulo canens: Iſä iſtu taiwaḥaſa, Äiti waljuſa wajaſa; ubi celeritas oppositionis, vim et elegantiam insignem orationi concilians, per repetitionis longiorem anfractum languesceret et periret. In cujusmodi locis saepe virtus est, leviora vitia non reformidare.

perturbatur. Quod autem, hac lege, poëtis nostris injici frenum, in tam brevi praesertim versuum genere, videtur, id rem diligenter tentanti haud magnam parere difficultatem reperietur. Propter eundem hunc repetendarum sententiarum morem, raro etiam fit, ut commode plura *subjecta* vel plura *praedicata* enunciationis in eodem versu enumerentur, sed vel *simplicem* quisque *propositionem* totam complectitur, ejusve partem solummodo alterutram (subjectum nempe aut praedicatum), vel partium *compositae propositionis* singula membra (cfr. § praec. p. 323 sq.) continet. Inficetos igitur hujusmodi versus nemo probat: Hacka wahwat wenhes, lautas, Ruhes, airos, melas, porkas, Pieles, pidä purjet puhtat, Waruſt leula, perä, tuhto, et Mies ja waimo, iſä, äiti, .. Olles wierais, taicka koto, Siſäll huones, eli ulkon, Olles töiſä ja myös matkois, Iſtuis, ſeiſois, maates, walwois .. Pelkä Herra kohdaſtanſa. Accommodatius ad poëseos nostrae indolem, felicior Poëta ita hac *distributionis figura* utitur: Kow' on laki kuolemalle, .. Sillä ottapi omaxi Milloin nuoren nuorukaiſen, Milloin miehen miehulliſen, Milloin wanhan waipuwaiſen, Milloin tarttupi tawalla Ruhtinoihin rupiapi etc., ubi singula enumerationis membra singulis exhibentur versibus, apto cuique adjecto epitheto. Atque haec via patentissimum et commodissimum repetitioni aperit campum; etsi hic quoque illud tenendum: *ne quid nimis*. Latius enim quam res postulat si evagemur, in vitium superflua haec copia mutatur. Neque negari potest, repetitionis consvetudinem, quamvis modeste etiam et sobrie usurpatam, aliquanto tamen largius orationem in carminibus nostris diffundere, quod autem virtute et magnificentia, ex eodem instituto oriunda, abunde compensatur, linguae praeterea emphatica indole, et ponderosa verborum gravitate, multum sensum complectentium, huic incommodo egregie medentibus (cf. § sequentem VIII). Eo igitur diligentius cavendum est, ne temere orationem nostram inutili loquacitate circumducamus, sicque vim ejus inconsulte dissolvamus. Addo adhuc, quod ad ipsam pertinet repetitionis rationem, pulcherrime eam demtis particulis connectentibus fieri, perpetuisque sic *asyn-*

detis versus nostros ornari. Ex adducto modo exemplo: Siſäll huones, eli ulkon, Olles töiſä ja myös matkois, quam ingrate in carmine nostro ista *conjunctionum* vincula adhibeantur, patere existimo; neque magis placet hoc, quod integros versus eadem ratione connexos exhibet: Sangen ſuuren ſiunauxen, Ja myös ilon ihaſtuxen. Quanto aptius dicitur: Ilon aiwan ihanaiſen! Pauca loca sunt, paucaeque connexionum formae, quae hic excipi debent. Posset tamen eleganter etiam dici v. g. Että ilon ihanaiſen. Sed in haec curiosius hac occasione non inquirimus. Caeterum nullae probatae legi et audiri possunt Runae, quin allatae modo observationis veritas manifestissime mox in oculos incurrat, auriumque indicio sentiatur.

§ VII.

Ad ipsam quod attinet orationis in versibus nostris structuram et compagem, lucida sit oportet, sana atque concinna, verbaque non moleste contorqueri, sed apte et faciliter fluere debent. Regularum Grammaticalium sancta semper servanda est auctoritas. Ad prosae tamen orationis severitatem non ita superstitiose poëtae nostri se adstringunt, ut immutare vocum ordinem, metro postulante, non audeant; quin hujusmodi *inversionem*, etiam ubi nulla cogit metri necessitas, interdum adhibent, nimis familiarem et prosaicum orationis fluxum interrumpentes, quo versibus suis magis poëticum quendam habitum concilient [1]). Exempla ex su-

[1]) Neque hujusmodi inversioni verborum, modestius adhibitae, salvisque, ut monuimus, de caetero regulis Grammaticis et perspicuitate orationis, linguae nostrae indoles repugnat. Atque sine dubio ob inversionis elegantiam interdum quoque sit quod supra § III p. 316 indicavimus, *ut* videlicet *versus longiore voce potius terminetur*, sicut ex adducto ibi exemplo: Koſka kulki Kuningamme, Meibän maalla matkuſteli, apparet. Quin hanc aliquando regulam, svadente inversionis jucunditate negligi, ex hoc versu: Iſäwöitze ilma kaidi (SALAMNIUS l. c.) qui in contextu carminis considerari debet, luculenter patet; ut variae contra rationes, praeter modo indicatas, locum inversioni commodum nonnunquam praecludunt.

perioribus, pag. 313—316, peti possunt; quibus hoc addimus: Kanſa outoja anopi, Iſäwöitze ilma laicki etc. Item: Otti Herra orjan muodon, et Pääſti pääſä puolen wuoden. Longe haec placent magis, quam si dixisset poëta: Laicki ilma iſäwöitze, et Herra otti orjan muodon, et Pääſti puolen wuoden pääſä; in quibus tamen nulla metri ratio (quod fit in primo versu: Kanſa outoja anopi, cfr. § III n:o 4), a naturali vocum ordine recedere jubet. Existimari hinc potest, in nostra non minus quam in aliis linguis, uti phrases ita et construendi rationes occurrere poëticas, quae quamvis a prosa abeuntes, probatissimae tamen habeantur, in quarum vero indolem accuratius inquirere, quod res prolixioris sit indaginis, jam non vacat.• Ad confirmanda ea quae mox disputavimus, hosce tantum adhuc versus adjiciemus: Silloin ſilmiä ſitowat, Kijnni kulmia kurowat Kyllittäin kyyneleet, Weſi piſarat wetäwät, i. e. *tum* (de dolore autem auctor loquitur) *oculos colligant, Arcte angulos* oculorum *consuunt Abundanter* provenientes *lacrimae, Aquae guttulae contrahunt;* qui quamquam notabiliter a prosaica recedunt constructione verborum, sine omni tamen offensione leguntur et audiuntur. Caeterum exquisito et limato, etiam hic, ut in multis aliis rebus, quo intra justos se continere sciant limites, poëtis opus est *gustu,* quem vocant, et judicio.

Vocibus temere fictis [2]), non probatis et prave flexis, versum infercire, aut otiosa et inania quaedam verba, quasi complementa numerorum inculcare, nemini licet, nisi qui ex-

[2]) An peculiaria quaedam *verba,* usu poëtis solis recepta, ideoque *poëtica* jure dicenda, apud Fennos habeantur, satis liquido compertum mihi non est. Voces occurrere insolentiores, atque in vulgari sermone rarissimas saltem, sed Runis familiares, dubio caret. Num vero nulla tamen forte dialecto usitatae sint, tam vasta non praeditus linguae nostrae cognitione, judicare non ausim. Fieri omnino potest, ut quaedam vocabula, a nota radice *parce detorta,* fingere sibi licere, poëtae existimaverint, et ut alia olim usurpata communiter, sensim obsoleverint atque in carminibus solum remanserint, cujus generis forte sunt Sima *mel,* Imbi *virgo,* etc. in Runis antiquioribus praesertim, saepius obvia; sed nihil pro certo affirmo.

sibilari a prudentioribus cupit. Felicibus et veris poëtis, ad inepta hujusmodi auxilia confugere, opus non est, qui non servire metro, sed quasi imperare videntur. Hinc neque anxia quaedam cura de rhythmis et repetitione sententiarum (§ IV et V), in illorum carminibus adparet, et ingratam omnem uniformitatem vitantes [3]), ita tamen libertate

[3]) Praeter eam varietatem, quam diverse collocata verba similiter incipientia, et aliter atque aliter instituta repetitio sensus (§ IV p. 318 et § V p. 323 sq.), quamvis metro constanter servato, versibus nostris largiuntur, cavent etiam poëtae praestantiores ne ὁμοιοτέλευτα nimis longa continuatione cumulentur; nam sicut ea ceteroqui nec anxie affectant, pro orationis potius figura quam constanti versuum charactere habentes, nec in illis eligendis eandem ac Sveci accurationem adhibent, adeo ut ὁμοιοπτώτοις magis quam ὁμοιοτελευτοις studere videantur, quamquam nec haec apte incidentia respuunt (cf. § IV p. 317), ita nec religioni sibi ducunt hoc schemate ornatos versus tres aut quatuor conjungere: ex. gr. Nijnkuin koſſi kuohuwainen, Joutuſaſti juoxewainen, Nijnkuin uni umbinainen, et Laittaa lapſet laulawixi, Wanhat waarit wilpiäxi, Linnun lielet lewiäxi, Wiſertämään widelāxi. Vix autem commode ferentur plures, ut taedium non oriatur. Propter hanc quoque varietatis sectandae legem, trisyllabicis in carmine nostro vocibus carere haud possumus (cfr. quae supra § III p. 317 sq. pro iis retinendis disputavimus). Illis enim damnatis, singuli fere versus duobus dissyllabis et uno tetrasyllabo constabunt (paucis exceptis, in quibus aut duo tetrasyllaba, aut dissyllabum et hexasyllabum, aut quatuor dissyllaba etc. locum invenire possunt), ad hanc formam: Joka laſſi lanpiaſti Lewon maahan matalahan; quod non potest non insvavem et molestam parere *μονοτονίαν*, quo vitio etiam auctor carminis § III not. [2]) indicati, minime caret. Longioribus vocibus, uti supra indicavi, maxime amant versus nostri terminari. Cujus rei ratio (praeter eam quam nuper attulimus not. [1]), in eo forte quaerenda, quod licet genuinam *caesuram* versus Runici respuant, tamen non adeo eleganter fluunt ubi singuli pedes dissoluti, quam cum inter se, ope vocum ultra duas syllabas porrectarum, connexi sunt; unde monosyllabis (his quidem, binis plerumque junctis, nec in eodem versu admodum frequentibus uti convenit) et dissyllabis solum constantes, minus apparent magnifici, quamobrem hujusmodi versus non debent multi conjungi, sed aliis prudenter interponi; et cum accuratio major in ultimis requiratur pedibus, longiora verba his aptissime tribuuntur. Deinde ad res

utuntur, ut in licentiam non degeneret. Exempla passim per hanc opellam habentur. Pro lubitu in verba grassari, frequentibusque mutilationibus, contractionibus etc. ea deformare, minime conceditur [4]). Male igitur PETRAEUS et qui eum ubique fideliter expressit MARTINIUS pronunciant: *viam rhythmos componendi propterea in lingua nostra esse facilem, quod syllabarum abbreviationes etiam patiatur in compositione* [5]). Et exempla quae adferunt, nemini accurato Fenno

---

celeres et motus vehementiores exprimendos, pulcherrime inserviunt versus trisyllabicas recipientes voces (quarum una plerumque etiam poscit sibi adjungi alteram), ex. g. Pirahti tuli forvinen de igne ex silice excusso, et de undis rubri maris, iter Israëlitis aperientibus Weſi wierypi mäeri, Kallivri kahden puolen, Kalbo pilwihin yleni, Jätti pohjan paljahaxi, i. e. *Aqua contorquet se in montem, In rupem ab utraque parte, Unda elevavit se* (tumuit) *ad nubes, Fundum reliquit nudum,* quibus versibus nihil audiri potest in suo genere exquisitius. Ipsa pronunciatio in hujusmodi locis ad rerum indolem accommodate instituī potest, et versus recitari ut *dactylis* constantes, immixtis *trochaeis.* Ob vim itaque et ἐνέργειαν hujusmodi versuum, in carminibus suis magicis, de quibus infra, multum iis utuntur incantatores, et cum vehementia proferunt. Cum res contra graviores et tardiores describendae sunt, tardiori metro prudenter gaudent poëtae; v. g. Lähde kulda kulkemahan, *Incipe sodes proficisci.* Natura porro cum vatis, vero inflammati enthusiasmo poëtico, tum argumenti, satis admonebit quo loco cujusque generis versus adhibendi, quoque aptissime miscendi modo. Cujus artificii vestigia in versibus nuper adductis quoque aliqua apparent. Atque si huic rei poëtae nostri attendere diligentius voluerint, egregiam carminibus nostris laudem, Graecorum Romanorumque gloriae aemulam, vindicare poterunt. Sed his diutius non immoramur; rem indicasse contenti.

[4]) Hoc igitur grave omnino vitium, quo in versibus nostris evitetur, omni inconsulto studio, regulas carmini nostro peregrinas et ad ejus naturam minus pertinentes, illi obtrudendi, plane abstinendum (cfr. § III, p. 314 et 316 sq. § IV, p. 317 sqq.), omnisque scrupulosus rigor, minus necessarias et minus inviolabiles leges constanter observandi, abjiciatur. Aliter enim istam mutilandi licentiam effugere non poterimus. Quae autem hoc malo redimuntur commoda, exiguum poësi nostrae lucrum adferunt. Apparet hinc rursus, trisyllaba ex carminibus nostris haud esse exterminanda.

[5]) ll. cc.

probari possunt. Aboënsi dialecto adsvetos, qui etiam in sermone quotidiano *elisionibus* crebris delectantur, minus fortasse haec licentia offenderit. Reliqua et maxima pars gentis, ut loquitur admodum distincte, et verba tardius profert, ita nullam facile syllabam auferri patitur, in Runis maxime. Quod autem Poëtae nostri etiam praestantiores, non ubique ab hac licentia abstinuerunt, eo nomine excusari potius quam laudari aut ad imitandum proponi merentur; praesertim cum et rarissime tamen illi indulgeant, et diligenti plerumque cautione adhibita, ut quam minime offendat [6]). Hujusmodi autem versus: Turun kirkon kauniſt' kauniſt' Katon kaiken waſkell' wahwiſt', Hywin eli, hywin opett', Hy-

[6]) Primo enim nunquam nisi *vocalem* vocis *ultimam* abjiciunt, neque ulla ratione hunc probarent versum: Hywin ſynbyn' (pro ſynbynyt) hywäſt' wäeſt', aliosque similes, ingrata *apocope* inprimis vitiosos. Deinde aegrius etiam elisioni locum concedunt, nisi *sequente voce a vocali item incipiente*, quo pacto lenius multum aures afficit, ut in his: Jok' on waſta walittuna, et Läpi maat' on matkuſtanut, et Jot' en ennätä jutella. Contra, haec duriora sunt: Pyhäin ſeuras' ſelkiäſä, et Toſin anboi alus' meille, et Jot' nyt rauhan rakenbanut, et jot' nyt jaxanen jutella, adeoque apud probatos poëtas haud facile occurrunt, qui etiam diligenter cavent *ne per elisionem existat positio in fine vocis*, indoli linguae Fennicae maxime contraria, adeoque ingratissima; quare hi non placent versus: Anboi Hengens' altihixi, et aiwan ouboix' orpanoixi. *Maxime vero laeduntur aures, si hujusmodi vocibus mutilatis terminetur versus* (cf. § III, n:o 2), quod igitur vitium accuratiores poëtae sollicite fugiunt; nam quis haec exempla probabit: Jok' on korkein korkeudes', et Tehnyt kaidi kunniaxens', - Ixiänſä ilmoitaxens', et Tapahduiſit taiwan tawall', et Eikä weren waikutuxeſt', et Elott' pyhäll' pyhitetyx'? *Verborum praeterea paucissimae terminationes, neque nomina fere nisi in casibus obliquis (adjectivis quibusdam, pauciorum praecipue syllabarum, exceptis) elisionem admittunt tolerabilem.* Quis enim feret hos versus: Hajott' hahdet wiholliſten, et Opett' oikein monin kerran, et Erkan' aiwan antuaſti? aut hos: Witz' on joutuwa Jumalan, et Rauh' on ridi ripoitettu, et Elän' ihmiſen enäne? Contra, his facilius veniam damus: Kow' on laki knolemalle, et hyw' on olla hymbyrälle. Nemo non intelligit, versum eo evadere duriorem, quo pluribus, quoque asperioribus simul oneretur elisionibus; quod adducta etiam supra exempla abunde confirmant. Caeterum levius totam hanc

wäſt' wijmein ikens' lopett', quibus vix quidquam audiri potest durius, apud illos haud invenies. Similiter *syncopen* quoque non nisi in paucissimis vocibus, praeeunte communi loquendi consuetudine, usurpare licet, ut cum mun pro minun, ſun pro ſinun etc. dicimus. Paullo frequentiorem *figurae* hujus (cum *synecphonesi* quadam conjunctae) Poëtis nostris usum concederemus, si pro communi linguae nostrae lege habere permissum foret morem a VHAELIO in *Grammatica* sua *Fennica* adoptatum, in multis nominum atque verborum flexionibus, vocales geminatas, interposita H littera distinguendi, qua rejecta, unam non raro utramque vocalem in Runis facere videmus syllabam. Exemplo sint hi versus: Suokoon Jumala iſolla, et parween toiſeen talutella, et Waan ei kateen kainaloſa, et Enändyneet endiſiſtä. Sed illud VHAELII institutum, ut quibusdam tantum dialectis consentaneum, ab aliis repudiatur, et pro epenthesi, si non plane ingrata, at minus certe necessaria habetur [7]). Duriores ta-

---

doctrinam attigimus, quod omnino ab hac licentia poëtis nostris esse abstinendum judicamus.

[7]) Secutus est hac in re inprimis dialectum conterraneorum suorum Ostrobotniensium septentrionalium, qui nonnulla etiam adverbia etc. hujusmodi epenthesi augent, dicentes v. g. kijruhuſti, hartahaſti, jälkehen etc. Neque quoad *casus* nominum *penetrativos* (et quae cum illis plane conveniunt *gerundia secunda*), analogiae praeterea cujusdam suffragatione destituitur. Nam sicut a tämä pronomine, formatur tähän et in plurali näihin, H littera in auxilium adsumta, quod imitantur omnia nomina monosyllabica, maa, puu, työ, pää etc. habentia in casu penetrativo maahan, puuhun, työhön, päähän etc.; ita his non multum absimilia sunt minuhun, ſiwuhun, waarahan etc. Lenior tamen est illa pronunciandi ratio, cum hac epenthesi abstinentes dicimus kalaan, taiwaan etc. atque difficilius H illud interseri potest cum in proxime antecedente aliud jam habetur syllaba, ut cum a puhe, waha, karhu etc. formatur puhehen, wahahan, karhuhun; abutuntur etiam hoc more, qui, cum *futuro* utendum sit, *περιφράσοντες* dicunt v. g. pitä elämähän, pitä ſanomahan, ipsis etiam VHAELII praeceptis repugnantes, qui *casum genitivum* nominis verbalis elämä, ſanoma, hic agnoscit, cf. *Gram. Fenn.* Sect. 2. c. 3. § 3 et c. 1. § 6. In caeteris istam adhibere dialectum, ad velificandum metro, vocalesque longas divisas luculentius di-

men sunt versus modo allati, quam hi qui cum VHAELII praeceptis congruunt: Herra palkas palkitkohon, et Sijrrä ſilmänſi ſiwuhun, et Tuolla taiwahan taloſa, et Jotka pulſtat pudonnehet; cujus autem rei ea ratio est, quod superiores isti in metri leges magis peccant [8]); quam ob caussam haec

---

stinguendas. Poëtis Runicis omnino permittitur, minimeque haec ex. g. auribus displicent: Ylös riſtihin ripuſta, Pane puuhun corkiahan, et Turwarenſa tutkimahan, et Lewon owat löytänehet, quin egregie potius placent. In *accusativis* vero *partialibus primae declinationis*, et *praesentibus infinitivis*, atque *tertiis personis singularibus praesentis indicativi activi, primae conjugationis*, quae vocali geminata sive longa terminantur, quamvis diaeresis adhibeatur, H tamen illud epentheticum locum habere nequit. Quis enim ferret pyhäyä, kaataha, eläyä, pro pyhää, kaataa, elää etc.?

[8]) Diximus supra (§ III p. 313) versus nostros quo propius ad metrum trochaicum accedunt, eo dulcius fluere, et in genere difficilius corripi longas, quam breves produci syllabas (§ III n:o 1). Verum quidem est, ut item docuimus (§ III not. [5]), *diphtongum, geminatam et positionem*, ad perfectam moram efficiendam non sufficere, nisi aliquis accedat accentus; cum penultimam trisyllaborum vere longam, qualem Runae, secundum metri rigorem, desiderant, reddere non valeant. Claudatur enim versus v. g. hujusmodi vocibus tuhoiſi, makaapi, pahari, ſanoimme etc. (non adhibita diaeresi), et res statim patebit. At satis tamen longae ad offendendas aures hujusmodi syllabae sunt, cum pro brevibus usurpantur, quod in his sentiri potest versibus: Aina armons' anbaa meille, et Kaiki meiltä kuluu päiwät, et Eitä tarkoin tutkiſtele, et Pojes pijſtitkin putoiſit. Longe certe hi jucundius fluunt: Aiwan äkäſi äkiſti et meibän oikia oſamme, et Waiwan alla waiwaloiſen, et Ehkä ſaawat ſurman alla. Itaque sollicite illud vitium effugere deberemus, nisi haec cura in nimis arctum nos gyrum compelleret. *Ubi tamen leviori fieri potest labore*, danda omnino est opera, ut auribus hac etiam in parte satisfiat. Ita caeteris paribus potius dico: Sota loppunut ſuruinen, quam Loppunut ſota ſuruinen, et Kepin aalbohon aſetti, quam Aalbohon kepin aſetti, quia prior ratio collocationis verborum efficit ut accentus tonicus quantitatem primae syllabae in vocibus ſota et kepin aliquantum compenset. Caveri saltem oportet, *ne plures facile in uno versu tales occurrant naevi*, qui asperiorem illum reddant; nisi res duras et asperas describere debeamus, quo facto pulchre omnino metrum rebus accommodatur. Neque *in fine versuum* durities ejusmodi ferri facile potest, qua-

exempla adhuc minus placent: Andoi monda munta prändijn, et Tule tänne kuundelemaan, et Jopa kohta pahax kuultijn, ubi in fine versuum vitium sentitur gravius (cf. § III, n:o 1 et 2). Longe dicitur elegantius: Tule tänne kuulemahan, et Kohta kuultihin pahaxi. Ut igitur metro se accommodent, qui H illud epentheticum rejiciunt, vocales tamen geminatas, ubi opus est, adhibita diaeresi distingvunt, ut ex his apparet versibus: Ynnä yhteen lukien, et halaitkoon hartaasti, et Tekt warsin terweexi. *Diaereseos* enim figura, ad implendum versum, familiarius poëtae nostri utuntur. Sic in his exemplis: Kyllittäin kyyneleet, et Pennän pääskct tuhoisi, utramque vocem kyllittäin et tuhoisi, *diphtongo* dissoluta, pro tetrasylla-

---

lis in his est exemplis: Aina meille woiton andoi; Waldakunnan kokoon kutzui; Pakanan syvän pahastui; Olet töisäs Jumalatoin, Kaidi pahat karttamatoin, cf. § III, n:o 2. Inprimis graviter displicet, si contingit *ut simul et breves producantur, et* (quod magis offendere docuimus, cf. § III, n:o 1), *longae corripiantur syllabae* (cf. § III, n:o 4), quod vitium hos adeo insvaves reddit versus: Jot' wanha ja nuori kuoli, et Joit' oppimaan ole wirja, et Koko kahta wuotta kului, et Tuli tai wijmein Turkuhun, Kuoli siellä sitt sulkuhun. Unde etiam *illa trisyllaba in fine versuum plane intolerabilia sunt, quorum antepenultima syllaba, aut geminatam aut diphtongum aut positionem habet;* quia accentu primam semper syllabam afficiente, illa longissima, et penultima contra brevis fit, invitissimo metro. Quare hi adeo graviter offendunt versus: Töisä pahoisa paatunut, et Tuli kiwinen tuobahan, et Hurskas ja hywin oppenut. (Reliqua trisyllaba, claudendis etiam versibus, apte adhiberi possunt). Non multo facilius hic fluit: Teille tawarat tuon aina, quia monosyllabum, ultimum praecedens pedem, quantitate longum est, cum tamen antepenultima syllaba necessario debeat esse brevis. Hinc maakunda vox est poëtis Runicis non tractabilior, quam Tuticani nomen Nasoni fuit. Quod etiam supra (§ III, n:o 4) monuimus, *penultimae syllabae versus Runici, aegrius licere esse brevi, id de vocibus dissyllabicis versum terminantibus inprimis valet;* quare hic non placet: Ruja sota sitten oli. Namque trisyllaba hujus regulae exemimus rigori. De tetrasyllabis versum claudentibus et supra (§ III, p. 316), dictum est, et in sequenti nota [11]) dicetur. De positione observationem addo, eam nempe in Runis non attendi, nisi utraque consonans ad eandem pertineat vocem. Julman kansan, binos igitur exhibent trochaeos.

bica usurpari, liquet. Ejusdem generis sunt hi versus: Sauwu lähtepi ſakia, Paxu peljättää pimiä (*fumus effunditur densus, Spissae terrent tenebrae*) et Käändyi huolexi hopia; nisi quis dialectum *Savonum* potius hic in subsidium venire existimet, qui ſakea, pimeä, hopea, fere efferunt, et *antithesi* quadam adhibita, diphtongos in his et similibus vocibus, etiam cum prosa utuntur oratione disjungunt, quorumque nonnulli poëtae morem scribendo quoque exprimunt. Similiter vocales longas in duas interdum breviores, vates nostri solvunt, non solum in illis *casibus* ubi H epentheticum nonnullae dialecti interserunt, qua de re modo diximus, sed etiam in vocibus quae geminata terminantur (cf. praec. not. [7]). Exempla hi praebent versus: Että ehtiſit elää, et Terwe kertaa tuhannen, et monda mennyttä pyhää, et Maahan kaataa käkeſi; quamquam hic quoque more Savonum nonnulli aliam interponunt vocalem, ultimam in brevem mutantes, qui et dicere et scribere amant eleä, kertoa, pyheä, kaatoa. In prima vero syllaba vocum, quae occurrunt vocales geminatae aut diphtongi, tantum non omnes, diaeresin plane respuunt; multoque minus H illud epentheticum illis interserere licet: nam paha ſi, tuhuli etc. pro paaſi, tuuli, quis unquam ferret? Accentus, qui hanc semper occupat syllabam, sine dubio hujus rei continet rationem [9]). De caetero generatim affirmari potest, et diphtongos, et geminatas, in Runis nostris pulchrius dividi, metro ita poscente, quam corripi [10]) (cf. not.

---

[9]) Inter pauca illa verba quae excipi hic debent, occurrit näin *(videbam)* v. g. nään näin nuduiſa. Item teen *(facio)*, per omnes fere conjugandi formas (teeſkelen, teetän etc.) quod verbum dividitur elegantius, quam producitur in prima syllaba, ex. g. Teen tietyxi teoxen, adeo ut pro dissyllabo haberi posset. Sed reperias tamen: Tulen teen lehettomaxi, et Teedos tunnus tultuanſi, et Mitä teeſkeli iſäni. In hoc autem versu: Teheſä (pro teeſä) iſän iloa, etiam per epenthesin divisas cernere geminatas licet. Jaan pro jakaan potius dissyllabum esse videtur, adeoque huc non pertinere etc. Caeterum aliam hic regulam tradere hactenus nequeo, quam ut aures diligenter consulantur, quae hunc v. g. versum mox improbant: Tahi pääſtän Barraban.

[10]) Exceptis diphtongis formativis adjectivorum et diminu-

praec. [8]). *Paragogen*, in prosa quoque oratione ad numerum explendum usitatam, qua *tertiis personis singularibus praesentium indicativorum et subjunctivorum*, particulam pi vel Savonice wi addimus, tanto minus poëtae, cum versuum eam ratio exigit, refugiunt. Exempla haec adponemus: Käypi Simoni ſuruſa, Ylen mielen matkuſtapi, Huowi pilcana pitäpi, et Koſka waara kohtajawi, Lähimmäiſtäs läheſtywi, Silloin taitawi ſinua Kanßa kohdata kowaſti. Hujus etiam figurae praebet exemplum hic versus: Oli mieſi merkillinen, Savonicae dialecto non inimicum. *Epenthesin* quoque a poëtis Runicis interdum usurpari, praeter ea, de H litterae familiari nonnullis dialectis in geminatis distinguendis usu, modo disputavimus, alia quoque exempla demonstrant. Dicunt enim aliquando v. g. kyyneleher pro kyyneler, ut ex adducto supra versu patet, ainehet pro ainet, v. g. Itkun ainehet paoſa etc. peculiari quadam nixi dialecto. Quin etiam werahat pro werat, wanaha pro wanha etc. invenias, quamquam duriora haec merito habentur. Integros adponam versus: Wiepi waiwaiſten werahat, et Taaſa waiwanen wanaha, etc. quibus et hic accenseri potest: Kaidi kauhiat karuhut (pro karhut). Ex quibus simul apparet, quales epentheticas maxime soleant vocibus adjectiones inserere. Ex dialectorum praeterea varietate, multae quoque aliae oriuntur diversae vocum formae, in Runis frequenter occurrentes, certarum litterarum

---

tivorum trisyllabicorum (waiwainen, aikainen, poikainen etc.), ut quae pro brevibus commode usurpari possunt. Quam observationem, ut et plures alias, debeo favori P. Reverendi atque Cl. D:ni Sacellani in *Lillkyro* Ostrobotniae, *Caroli Rein*, qui pulchras suas de indole Poëseos Runicae annotationes mecum benevole communicavit, ex quibus simul perspexi, in plerisque plane idem utrique nostrum esse visum, quod non parum me in sententiis meis confirmavit. Ceterum in vocibus nuper indicatis, quaedam dialecti diphtongos plane rejiciunt, quibus waiwanen, aikanen, poikanen, magis placet, adeo ut eo facilius penultima syllaba pro brevi possit haberi. Quaedam etiam *tertiae personae singulares praesentis indicativi activi*, corripi se potius fere quam dissolvi in ultima syllaba patiuntur; exemplo sit hic versus; Andaa itsens' altihizi.

vel transpositione vel additione, metro aptatae; quibus enumerandis jam supersedemus. Nonnulla tantum exempla adferemus. Pro auttaja Savonum more aliquando poëtae dicunt awittaja, pro kohtaa, kohtajaa, etc. Quali epenthesi diaeresis durior pulchre lenitur. In his versibus: Käsi waatipi walehta, et Muistit Luojansa murehta, et Ilmestyit isot imehet, pluribusque ejusdem generis, Savonica similiter adhibetur dialectus, quae admodum Runis familiaris est; dicunt enim Savones waleh, mureh, imeh ꝛc. *metathesi* quadam gaudentes, unde in genitivo formatur walehen, murehen ꝛc. in accusativo walehta, murehta, vel ut alii (qui etiam in nominativo habent muret, imet ꝛc.) lenius efferunt waletta, muretta, ꝛc. pro walhe, murhe, ihme ꝛc. (in genetivo walhen, murhen, ihmen, et in accusativo walhetta, murhetta ꝛc.), unde versibus hae voces in casibus obliquis plurimum conciliant facilitatis. Pertinet ad ejusmodi metatheseos exempla sequens quoque versus: Waimot nousewat warahin (pro warhain). Eadem praeeunte dialecto, eleganter saepe, *diplasiasmi* cujusdam beneficio augetur quantitas penultimae syllabae, in vocibus praesertim versum terminantibus, ex. gr. in his exemplis: Ison mailman majaßa, wuorokauden waihetesa (pro majasa, waihetesa [11]).

[11]) Favet metro egregie hoc consilium. Absolute tamen necessarium non est, ut penultima vocum tetrasyllabicarum et hexasyllabicarum quae versum terminant, aut geminatione aut diphtongo aut positione longa sit, cum accentus euphonicus moram sufficientem efficiat (§ III p. 315 sq). Pulcherrime quidem fluunt hi versus: Kerran naada kelwotoinen, Lindu pahin parwesansa ꝛc., sed neque hi displicent: Jotka pulskat pudonnehet Olit maahan mainittawat. In vocibus autem trisyllabicis, quamvis accedens sic beneficio dialecti Savonicae positio in casibus *locativis*, ad producendam penultimam aliquantum adjuvet, tamen perfectam moram non gignit, uti supra ostendimus. Sed ad tetrasyllaba et hexasyllaba redeamus. Jucundius dicitur: Ajattele aiwosansa, quam Aiwosansa ajattele, quia praeterquam quod penultima syllaba in ajattele est brevior quam in aiwosansa, positio antepenultimam etiam videtur nonnihil producere; sed leviorem hanc moram (ut et eam quae ex diphtongo in hujusmodi vocibus nascitur) accentus uterque, ab utraque parte vicinus, omni fere vi privat. Exemplo sunt hi versus: Kohta tuollo kourillansa,

Nihil quoque poëtis nostris familiarius est, quam ut Savones item imitantes, in *praeterito secundo* et *plusquamperfecto* verborum, *casum nuncupativum participii praeteriti* pro *nominativo* usurpent, metri ita ratione ferente, ut haec ostendunt exempla: Tott' on tulluna minulle, Sopa hetki joutununna,

---

Wäkewällä woimallanſa, elämäſtä eroittapi, Toiſen poijes toimittapi. Quoniam *accentuum*, et inprimis *euphonici*, injeci mentionem, addam hoc loco (quamquam in sequentibus ex professo illam doctrinam examinabimus) ad illustranda ea quae supra § III not. [b]) de illorum in lingua nostra ratione disputavimus, non temere nos, nisi valde fallimur, *tonicum* appellasse eum accentum qui cujusque vocis primam occupat syllabam, et alterum in longioribus vocibus accedentem, *euphonici* nomine insignivisse. Contrariam quidem eosdem denominandi rationem, more Grammaticorum Hebraeorum, iniit antesignanus noster in hac doctrina Rev. *Juslenius*, loco indicato; sed cum primae syllabae accentus sine dubio in lingua nostra sit primarius, et reliquis notabiliter acutior, ob eam etiam caussam ab omnibus animadversus, cum de posterioribus parum resciisse videantur, isque effectum constanter eundem, sive vox unius sive plurium sit syllabarum, habeat, adeoque idem semper existimandus, cujus naturalis et immota sedes in omnium vocum prima syllaba sit: nostrae linguae indoli accommodatius meum esse consilium arbitratus sum. Plane enim hic alia Hebraeae linguae esse constitutio videtur. Nos tonum in antepenultima syllaba saepe habemus (in vocibus trisyllabicis omnibus, et non paucis pentesyllabicis) illi nunquam. Apud nos accentus nunquam ultimam elevare solet syllabam, apud illos saepissime et ordinario. Voce a fine crescente, apud nos nunquam accentus priorem relinquit locum, ut apud illos, sed si ultra tres porrigatur syllabas, adsciscitur ob pronunciandi commoditatem alter, quem aptiori quam *euphonici* appellatione indigitari non posse existimo. Carent illi saepe accentu in prima syllaba, nos nunquam. Cum igitur illos in fine vocum, nos in initio, syllabas elevare inprimis solere constet; patet cur apud illos prior, apud nos posterior vocis accentus, ob euphoniam adscitus existimari debeat. Quaeritur nempe hic de *toni* loco naturali et primario. Anglicae et Gallicae linguarum exemplum, quae diversam similiter in plurimis vocibus, quoad hanc rem produnt indolem, hic etiam considerandum commendo. Pluribus, in re praesertim levioris momenti, cumulandis rationibus supersedeo; institutum meum honoratissimis popularibus ex his posse probari sperans.

et Wihan alla wiſſattuna ꝛc. Sed hunc campum aliis diligentius excolendum relinquimus.

§ VIII.

Hanc vero omnem, de qua hactenus fere diximus, in versibus concinnandis externaque illorum conformatione polienda, industriam et accurationem, etsi apprime quidem probanda et necessaria sit, ad laudem tamen praestantis poëtae conciliandam non valere, sed boni tantum versificatoris titulum parere, quotquot de carminibus nostris judicare norunt, uno cuncti ore fatentur. Possunt versus esse aridi, exsangues, jejuni, insulsi, quamvis metro exactissime parentes, cujus jucunditatem vehiculi cujusdam instar esse decet, non extrinsecus tantum ornati et intus vacui, sed optimarum rerum internarumque carminis virtutum opibus simul referti; his ut spiritu suo externa illa structura animetur, verum hinc poëmatis vigorem coloremque accipiat, necesse est. Sensibus igitur abundare probatum carmen oportet, praeclaris, pulchris, acutis, gravibus, sublimibus, et imaginibus ornari laetis, vividis, insignibus, splendidis; quae singula scite, varie et apte intexantur. Verbis poëtae utantur lectis, elegantibus, sonoris et ponderosis; tropis et figuris gaudeant et crebrioribus et audacioribus etiam, quam quae prosae orationi permittuntur. Veritas tamen servetur in omnibus, fucusque sollicite caveatur et frigus. Oratio non temere, subsultim et inaequaliter currat, humi interdum repens, interdum nubes captans et inania, sed consilio dirigatur, et prudenti temperata aequabilitate fluat; ad rerum ubique et argumentorum indolem diligenter accommodetur; atque cum horum pondera, tum dictionis ornamenta et lumina, *singula quaeque locum teneant sortita decenter. Horatius de arte Poët. v. 92.* Qui igitur praeclaras has versibus suis impertire nequeunt virtutes, a musarum sacris temerandis abstineant, et segetem ineptorum carminum quibus abundamus, augere desinant. Speciales et cuique poëmatum generi proprias regulas, non tango. De his, uti etiam de poëticae orationis in universum indole et or-

natu (plura plenioraque si desiderantur), consulantur qui hujus artis praecepta ex instituto tradiderunt; communia enim haec nobis cum reliquarum omnium sunt nationum vatibus. Et hos igitur, et illos scriptores, poëtis nostris diligenter legendos commendamus; et inter vates inprimis eos qui maxime excellunt, cum antiquiorum tum recentiorum, diurna nocturnaque manu versandos, et sollerti imitatione, pro rerum nostrarum usu, exprimendos felicibus popularium ingeniis, quae musas nostras ad altius fastigium evectas cupiunt, impense svademus. Sed de his forte in sequentibus nonnulla adhuc monebimus. Nunc ad Runas nostras redeamus. Earum virtutum quas in poëmate inprimis necessarias esse diximus, quae praeclara omnino suppeditent exmepla, carminibus gens nostra haud destituitur; neque nescit vatibus suis pretium pro majore aut minore, qua his ornare opera sua valent ingenii felicitate et studii industriaeque intentione, statuere. Quamobrem graviter de poësi nostra Reyerendiss. *Juslenius: ejus* inquit *elegantia, vis commovendi animos et affectus ciendi, brevibus enarrari nequit: et si maxime id possem, fidem facerem nemini, qui illius intima non penetraverit sermonis. . . . Figuris tam dictionum quam sententiarum abundat, ut sine illis poësis non aestimetur.* Synonymiae *inprimis et* exergasiae *ubique adsunt.* Praefat. Lexici Fenn. § 16. Nominatim indicatae *συνωνυμίας* et *ἐξεργασίας* figurae, cur a poëtis nostris inprimis frequententur, ratio ex ipsius metri constitutione, ad cujus fere naturam pertinent, facile intelligitur. Mirum enim non est, si aegre abesse possunt, a carmine, cujus primaria lex supra (§ V.) explicata *repetitionis* consuetudine continetur. Quantam vero vim et elegantiam orationi concilient, et loco jam indicato ostendimus, et praeclare explicat *Gellius* Noct. Att. Lib. XIII c. 23 ubi inter alia docet haec schemata *exaggerationem facere speciosam,* et quae ista ratione *cum dignitate orationis et cum gravi verborum copia dicuntur, quamquam eadem fere sint, et ex una sententia cooriantur, plura tamen esse existimari: quoniam et aures et animum saepius feriunt.* Neque tamen eadem plane,

aliis tantum verbis, a poëtis nostris semper repetuntur; sicut ex adductis passim exemplis satis apparet. Sed plerumque posterius est ἐξηγητικὸν prioris, v. g. in his versibus: Joka luotti Luojan päälle, Myöntyi hälle mieltä myöden, Sepä oikein oſaſi Lewon makian majahan, Sielun tywenen tapaſi. Aut etiam *incremento* oratio augetur, quod non potest non virtutem atque efficaciam carmini conciliare maximam, omnemque simul tollere sensum superfluitatis et satietatis, ex nuda *synonymia* aut *expolitione* interdum oriundae. Exemplo hi possunt esse versus: Kuka ne kaicki ſaneli, Puhui täyſin puolekkana? Item: Tuli aika armotoinen, Päiwä iſoſti ikäwä, Hetki aiwan ahdiſtawa. Indicavimus etiam § praeced. VI, (cfr. quoque de his omnibus verba *Juslenii* supra p. 322 allata), repetitionem istam nonnunquam per μερισμὸν institui, et varietatis jucunditate et propria virtute gratiam carmini adferentem; qui cum synonymia et exergasia, vel quoad singula vel quoad potiora saltem sua membra, rursus saepe conjungitur. Exempla utriusque generis in his versibus habentur: Oli ucko uſkon wuoxi, Wahwa wuori toiwon wuoxi, Awujen aſuma ſia, et Kaicki käypi karwalleni, Muiſtuhuißa mieleheni; Silmät kyllä kyyneleitä, Wuotawat weſiä paljon; Kieli käypi kambelaxi Kurcku kuiwaxi tulepi. Iteramus autem hic quod jam supra p. 326 sq. monuimus, modum tamen esse observandum in dilatanda, hac via, oratione, ne excrescat nimium. Per nudam synonymiam aut exergasiam facta repetitio ejusdem sententiae, ultra quatuor membra raro in versibus nostris extendi potest, qualis in his cernitur: Hänen tunſit tunbewaxi, Takaſiwat taitawaxi, Äckäiſet älykliſexi, Näit nähden wijſahaxi, quamquam crescere hic etiam simul orationem, statui potest. Cum caeteris quoque juncta figuris quam diu continuari repetitio debeat, judicio poëtae pro re nata terminandum est; cui providendum diligenter ne languere incipiat oratio, cum eam nimis augere voluerit. Applicari huc commode potest quod de tumido dicendi genere pulcherrime pro more suo monet *Longinus: qui granditatem orationis sectantur, timentes humilitatis et ariditatis reprehensionem, nescio quomodo in hoc vitium abripiuntur; magnitudine peccare,*

nobilem esse culpam persvasi. Mali autem tumores, et in corporibus et in verbis, fungosi sunt et morbidi, atque aliquando cedunt nobis in contrarium: Neminem enim dicunt hydropico esse aridiorem [1]). Naturali quasi huic et ordinario carminum nostrorum ornatui, variae jam accedunt aliae orationis virtutes atque schemata, cum tanquam gemmis eam distinguentia, tum vim atque lacertos illi communicantia, ceu ex allatis hactenus exemplis, et infra adhuc adducendis, videre licet. Atque etiam hic nonnulla egregia loca adponam, quorum vim et venustatem, lectori intelligenti facile obviam, opus mihi non est singillatim explicare: uti neque latine reddere eadem, operae pretium existimavi; quam nec linguae periti desiderant, et qua sermonis nostri ignari, tamen perfecte ad elegantiam carminum nostrorum sentiendam adjuvari nequeunt. Sed en ipsa exempla. Animi angorem quo in horto Gethsemani sanctissimus Servator conflictabatur, vatum nostrorum unus [2]) ita describit:

Annettu ylön Jſäldä,
Wihan alla wiſkattuna,
Kowan kuoleman käſiſä,
Häijyn helwetin kidaſa,
Teki työtä työlähindä;
Hiki tiuckui hartioiſta,
Wierywät weſipiſarat,
Wierywät weren näköiſnä.
Peſepi pahimman nurmen,
Joka kauwan kaſtettuna
Wirhixi weren wioilla. ꝛc.

Idem [3]) cruciatus infernales hac ratione depingit:

Sauwu lähtepi ſakia,
Pahat kulkewat kipinät;
Piſtäwät madot purewat,
Kipu ſuuri kärmehiſtä;
Waiwapi wilu wäkewä,
Näkä tuſkan nähyttänepi,
Jano julma nänyttäpi,
Paxu peljättä pimiä,

[1]) *Οι μεγέθους ἐφιέμενοι, φευγοντες ασθενείας και ξηροτητος καταγνωσιν, ουκ υιδ ὅπως επι τοῦτ' ὑποφέρονται. πειθόμενοι τῶ μεγάλω απολισθάινειν ὁμως ευγενες ἁμάρτημα. Κακὸι δε ὄγκοι, και επι σωμάτων και λογων, οἱ χαῦνοι και αναλθεῖς, και μήποτε περιῖσαντες ἡμᾶς εις τουναντιον: ουδὲν γαρ, φασὶ, ξηρότερον ὑδρωπικοῦ.* In aureo *περι ὑψους* libello cap. 2.

[2]) Salamnius Jlo-Laulu ꝛc. cap. VIII. [3]) l. c. claus.

Ajat kaicki kauhiſtapi
Huuto hengien pahoen.
Wee on ehtona edeſä,
Aamu wirtenä walitus,
Parku päällä puolen päiwän.
Waan mit' ehtota kyſymme,
Puoli päiwäſtä puhumme,
Kuſ' ei kuuta, auringota?

Yö edeß' alinomainen,
Puuttumat pimeys päällä:
Seinät tehtynä ſuruſta,
Kauhiſtus katon edeſtä;
Ruoka ruoſkimus rumien,
Juoma järweſtä pahaſta
Tuodahan tuli kiwinen,
Liekin kanßa läickywäinen ꝛc.

Alius [4]) Regem *Carolum XII* apud Turcas morantem, ut ad populum suum tuendum redeat, nomine incolarum oppressae ab hostibus Fenniae, his verbis obtestatur:

Kuſas kuuldelit hywäinen,
Kuſas wirjä wijwyttelit?
Kuilla oudoilla ohijlla,
Kuilla mailla, mandereilla?
Mikä työnnä, mikä ſyynnä,
Mitkä eſtehet edeßä?
HERra wäellen wihainen,
Joka ſuuttui Suomen maalle,
Teki eron pereheſen,
Otti pään, jätti perehen,
Otti oudoillen omiltas,
Lyckäis länneſtä itähän.
* * * *

Kuinſa tulet, etſä tunne
Paikoja oikia omixes,
Eikä maita manderexes.
Tule kullainen kotihin,
Tuopas rauha tulleſanſi,
Armas armoa iſända!
Wieras waldana taloſa,
Wäkiwallanen Wenäjä,
Wieras Wenäjä werinen ꝛc.
* * * *
Tule kullainen kotihin,
Ehdi waiwaiſten etehen,
Nouſe apuhun nojoxi ꝛc.

Alius [5]) in carmine gratulatorio ad regem *Fridericum* sceptra regni capessentem, ita canit:

Sota ſuuri ſammukohon,
Pahat päiwät paetkohon,
Rauwetkohon raju ilmat,
Muuttukohon murhen muſtat,
Surkeudet ſiirtyköhön!
* * * *
Wahwiſt' woimall' waldikanſa,

Hurſkaudell' huonehenſa,
Kruununs kauniſt kunnialla,
Iſtuimens onnen oſalla,
Mieckans' myöſkin miehudella,
Awaimenſa awaralla
Tarwitſewill' tawaralla ꝛc.

---

[4]) B. *Barthold.* VHAEL, Praep. et Past. quondam in *Ilmoila* Ostrob., laudatus a nobis antea Grammaticae Fennicae auctor.

[5]) B. *Zach.* LITHOVIUS, Vide § IV not. [6]).

Alius [6]) doloris vehementiam his versibus (quorum priores jam supra p. 328 adduximus), ob oculos ponit:

Silloin ſilmiä ſitowat, Muret mieldä muuttelepi,
Kijnni kulmia kurowat Aiwoa ajatuttapi;
Kyllittäin kyynelehet, Syrjä ſärkypi ſydämmen,
Weſipiſarat wetäwät; Werta wuotapi werinen ꝛc.

Alius [7]) infaustam improborum mortem his verbis exprimit:

Silloin pelko pijrittäpi, Edes ilman eſtehettä,
Hämmäſtys hätäyttäpi, Oman tunnon turmelewat;
Synnit ſyngiät tulewat Kuolema käſixi käypi ꝛc.

Alius [8]) potentiam et sapientiam summi Creatoris, in operibus ejus conspicuam, egregie hunc in modum celebrat:

Joll' on meret määrätthnä, Painelepi, ponniſtapi:
Meren piſarat piwoſa: Hänen waltanſa wakawa
Joka weti waaxallanſa Pitelepi pilwet kaicki,
Mitan tarkan taiwahalle, Hattaroita hallitzepi,
Pani mitan, pani määrän, Häll' on tuttu tuulen ſynty
Painon nijnkuin pundarilla, Pohjaſen piſimmät pohjat,
Pani ſolmut ja ſitehet, Sillä noſti nouſemahan
Tarhan tähtehin etehen, Meren lainehet lawian,
Joſa juoxun jcuduttawat, Joilla laiwat lentelewät ꝛc.
Toinen toiſta painelepi,

Alius [9]) in carmine gratulatorio, Regiae Celsitudini Prin-

[6]) *Henr.* Bonc Sacellanus quondam Ostrobotniensis.

[7]) Pl. Rev. atque Praecl. D. *Is.* Lithovius, Past. in *Lapo* Ostrob.

[8]) Pl. Red. atque Praecl. D. Mag. *Joh.* Frosterus, Past. in *Sotkamo* Ostrobotniae.

[9]) *Gabr. Calamnius* filius, Phil. Mag. et V. D. M. Ostrobotniensis. Caeterum de ipsis carminibus, unde haec exempla sumsimus, infra mentionem faciemus, cum brevem praecipuarum Runarum nostrarum, imprimis quae typis prodierunt, auctorumque qui in hoc genere elaborarunt, indiculum dabimus. Qui ut plenior exactiorque evadat, Honoratissimos Populares qui hujusmodi carmina possident, officiose rogamus, ut eorum nobis copiam facere, notitiamve saltim tradere, benigne velint. Plurima enim adhuc esse, quae ad cognitionem meam non pervenerunt, haud dubito.

cipi Successori *Gustavo* dicato, primam Ejus aetatem, virilis maturitatis splendorem annunciantem, lucifero comparans, ita inter alia fatur:

Näin ſe alkapi aluſſa,	Päiwä pääſepi peſäſtä,
Näin ſe ruumis ruſkottapi,	Joſta walkian walonſa
Että wihdoin wirkuapi	Ilmoittapi ihmiſille ꝛc.

Qui etiam se ipsum ad laetitiam ex redeunte fulgentissimi Principis fausto die natali perceptam, alacriter explicandam suscitans, haec fundit verba:

Nyt ſijs wirteni wirene,	Nöyrydeſä nöyrimmäſſä,
Kaiku minun kandeleni!	Hywin Herralle heliſe,
Alammaiſeſa majaſſa,	Soita ſydämmen ſywäſtä! ꝛc.

Vel latius haec loca adducere, vel ex aliis quoque praestantibus vatum nostrorum carminibus, plura adjicere exempla, pagellarum angustia in praesenti vetat; aliqua tamen in sequentibus adhuc adferemus, et ingenium poëtarum et praestantiam carminum nostrorum pulchre commonstrantia. In universum de Runis nostris notamus, plures nos habere in forti, gravi et magnifico genere probatas pulchrasque, quam in amoeno laetoque, cujus quidem rei rationem, vel leviter conditionem gentis perpendenti, cernere facile est. Ipsa autem carminis nostri indoles, etiam huic generi nequaquam inimica est; cujus aliqua quoque exempla infra occurrent. Genius ipsius linguae Fennicae, copiosa vocum ponderosissimarum et elegantissimarum varietate superbientis, egregie vatum favet industriae. Divitias enim ejus probe possidenti, difficile non est et verba eligere metro aptissima, et pro lubitu sententias variare, si ingenio praeterea ornatus est foecundo et generoso; qui labor in verborum et phrasium inopia foret multo molestissimus, et singularum sententiarum constanter repetendarum lege, nisi copiis ipsius sermonis affluentibus poëtarum conatus sublevarentur, nullum illis imponi potuisset jugum inclementius. Ad hanc opulentiam linguae nostrae generandam, non parum confert Dialectorum insignis varietas; quarum nulla omnino sordida habetur, aut ita vitiosa et

inquinata (excepta illa, de qua supra diximus, nimia verborum mutilandorum licentia), ut ea, tam in prosa quam ligata oratione, libere uti non permittatur. Quin misceri etiam inter se et in eodem versu plures adhiberi, sine ulla offensa possunt. Magna scilicet nobis hac in re cum Graecis intercedit similitudo; cf. *Orat.* Reverendiss. *Juslenii De Conv. Linguae Fenn. cum Hebraea et Graeca*, supra citatam, ejusque inprimis pag. 167. Quamquam negari tamen non potest, aliam dialectum alia esse pulchriorem; quod autem adeo late extendendum non est, quasi saepe, quae ceteroqui minus sit elegans, verba aliqua suppeditare elegantissima non queat. Quibus de caetero quaeque dialectus prae reliquis gaudeat praerogativis, aut quaenam aliis maxime praeferri debeat, explicare, nimis ab instituto nostro alienum, nimisque longae et difficilis foret disquisitionis opus. Praebent autem variae istae dialecti, non solum diversarum plane vocum, inprimisque synonymicarum, insignem multitudinem, sed etiam verborum, ab omnibus receptorum et usu communium, diversas flexiones et conformationes, ut ex iis quae praecedenti § diximus, intelligi potest; quin etiam totas phrases et loquendi rationes varias, et singulis peculiares, exhibent. De quibus omnibus optima et aptissima seligere, suumque in usum convertere, poëtarum est curae atque industriae permissum. Pulchritudinem vero et ἐμφασιν, svavitatem non minus quam virtutem, carminibus nostris conciliare, inprimis valent multae illae voces diminutivae, verba frequentativa, inchoativa etc., auctae et exquisitae significationis, quibus lingua nostra abundat, quibusque poëtae frequentissime merito utuntur. Mos cum Hebraeis nobis communis, per quatuor illas conjugationum formas, aut plurimas saltem illarum (quibus apud nos aliae saepe adhuc accedunt ex his rursus exsurgentes [10]), verba

[10]) V. g. a. Juotan (quod formatur in hiphil a Juon) oritur juottelen, *frequentativum et diminutivum simul*, et a. juowun (in hitphaël) juowutan quasi novum hiphil; quibus sua respondent passiva. Sic a juoren est juorenbelen et juoruttelen, praeter ordinariam formam piel et hiphil; etc.

flectendi, quantum solus hac in re praestet, nemini ignotum esse potest, qui vel parum indolem sermonis nostri perspexerit. Unico verbo nos significantissime exprimimus, quod per languidam et imperfectam *περιφρασιν* alii efferunt; et si diligentius illam verborum nostrorum quoad sensum suum variam et singularem indolem, quam paucissimis indicat *Vhaelius* Gram. Fenn. Sect. II Cap. III § 2, persequi instituti nos ratio non prohiberet, linguae nostrae praestantiam, et ad res graviter, vivide et jucunde exprimendas, optimam naturam, ob oculos clarissime poneremus. Queruntur Galli suam linguam ad latinorum voces frequentativas et diminutivas reddendas esse ineptam (cfr. *Rollin* maniere d' enseigner et d' etudier les Belles Lettres. T. I Liv. I ch. I § III) qua in parte, praesertim quoad *verba*, plurimarum reliquarum nationum Europaearum non multo melior est sors. At quantum nostra lingua ea re etiam Latinae praestat! Horum autem verborum magna pars, quatuor constat syllabis, adeoque etiam metro nostro pulcherrime convenit [11]). Pronomina praeterea, affixa tam verbis quam nominibus, non parum quoque augent orationis nostrae *ἐνέργειαν*, et voces plerumque versibus reddunt egregie adaptatas. *Casuum* insignis varietas, qua nostra, prae caeteris, lingua splendet, et quae liberam illam ab ingenti ista et incommoda reddit articulorum turba, quae hodiernarum reliquarum plerumque trahit gentium orationem, multum etiam carminibus nostris prodest. Praeter vim enim et accuratam claritatem, quam dictioni addunt, liberiorem etiam vocum, sine ullo perspicuitatis dispendio transpositionem permittunt, poëtis ad metro satisfaciendum saepe perquam utilem; sicut ex supra dictis facile intelligitur. Haec omnia plenius et adjectis exemplis illustrare atque confirmare, brevitatis ratio nos vetat. Ex illis autem quae jam disputavimus, abunde liquet, eos qui Runis pangendis laudabilem

[11]) Nempe illa quae formantur ex vocibus trisyllabicis; quae autem ex bisyllabicis oriuntur, *trisyllabica* sunt. Unde rursus patet, quam insigni parte elegantiarum suarum lingua nostra, illis damnatis mulctaretur. cf. § III p. 316.

impendere volunt curam, laborisque sui successu frustrari nolunt, linguae nostrae in potestate habere divitias ante omnia debere; sine quarum vasta et accurata cognitione, usu multo et diligentia comparatam, inanem omnino ludent operam.

§ IX.

Hujusmodi autem carmina, non eruditiores solum populares, qui literarum commercio ingenia excoluerunt, amant atque factitant, sed latius omnino harum deliciarum gustus per nationem nostram diffunditur, Rusticis etiam nostris vel praecipuo studio eas complectentibus, quamvis a literarum ope nudis, quarum videlicet aetatem haec ars apud gentem nostram longe superat. Quin ex horum carminibus optimis maximeque probatis, utpote qui peregrinae artis imitatione et admistione nativam poëseos nostrae indolem non immutant et corrumpunt, vera et prisca ejus ratio, tanquam ex limpido et incorrupto fonte haurienda et inprimis dijudicanda est. Agrestes enim hi musarum amici, qualia a majoribus suis acceperunt carmina praecipue amant, magni faciunt, libenter audiunt, discunt, cantitant, atque ipsi etiam pangere, solo adjuti mentis impetu et ingenii mira quadam fecunditate, norunt. Neque foeminae etiam hujus facultatis plane sunt expertes, sed quaedam earum, virorum studio laudique socias se adjungunt. Savonum vero, Careliorum, et eorum qui a mari remotius habitant Ostrobotniensium (Cajaneburgensis maxime ditionis incolarum, qui Savonicae originis sunt) propria inprimis haec laus est, apud quos patrii moris diligentior custodia mansit; quamvis et inter hos languere jam pulcherrimum studium passim incipiat, ita ut metuendum sit ne tandem cesset penitus. Apud reliquos plane interiit, maritimos praesertim, quos Svecorum mutavit vicinia, adeo quidem, ut inter hos pauci qui Runas recitare et intelligere, paucissimi qui ipsi componere valeant, supersint. Neque negari potest, inconsulto quorundam sacerdotum zelo magnam hujus cladis partem esse adscribendam, qui cum a superstitiosis Runas suis adhiberi

incantationibus viderent, usum ab abusu discernere nescientes, toti arti infamiam conflarunt. In laudatis vero supra provinciis, quamvis adeo hoc studium commune plerumque sit, ut nemo facile, aetate quidem provectior, occasione data carmen aliquando pangere non audeat, cum tamen non omnes aeque fertili ac excellenti nascantur ingenio, neque eandem huic arti industriam impendant, qui utraque re praestant, atque igitur palmam reliquis facile praeripiunt, prae caeteris etiam honorantur magnique fiunt, et Poëtarum ornantur nomine, Runo-nieſat dicti, quasi *Runarum periti et artifices* [1]). Hi de quovis argumento, quod quidem ad illorum captum sit accommodatum, et plerumque ex tempore, haud infelicia effundunt carmina, ferventiori impetu et poëtico quodam enthusiasmo acti; cujus quidem rei non semel cum admiratione testis fui [2]). Prooemia

[1]) Itaque in Epicedio, memoriae fratris sui *Matthiae Remes*, Rustici *Idensalmensis*, a Rustico itidem ejusdem paroeciae *Paulo Remes* dicato, quod et Aboae typis expressum fuit (a. 1765, 4:o), hujusmodi verbis poëtica illius laus celebratur:

Waiđa waipui ſuolemaßa,	Quamquam fessus occubuit morte,
Meni muſtahan majahan,	Abiit in nigrum domicilium,
Se Mathias mainittawa,	*Matthias* ille celebrandus
Remes Remeren kyläſtä;	*Remes* e *Remesensi* pago;
Niin on kuiteng' kuuluiſana	Tamen est inclitum
Nimi niidengin ſeaßa,	Nomen ejus eorum quoque in medio
Joiden ei joukoſa aſunut,	Quorum in coetu non habitaverat,
Tähden rakaſten runojen,	Caussa amabilium Runarum,
Tähden wielä wirttenſäkkin,	Caussaque cantilenarum suarum,
Joita teki taitawaſti,	Quas fecit scienter,
Warſin ſomaſti ſowitti.	Plane affabre contexuit.

[2]) Poëticam facultatem, literarum etiam auxilio destitutam, haud spernendum posse fastigium attingere, non unius nationis docet exemplum; stupenda inprimis veteris Poëseos *Scoticae* specimina in lucem protulit haud ita pridem MACPHERSONIUS, quae ab ipso esse cuncta efficta, ut nonnullis visum, durum fuerit pronunciare. Extemporanea autem facultas quousque evehi queat, vel illi Italorum poëtae, qui *Improvisanti* apud suos dicuntur, exemplo suo docent. Cfr. praeter alios, Litt. Cel. BJÖRNSTÅHL, Samlaren III bel. St. 46 pag. 365. Et tales vetustissimos omnium fere gentium vates fuisse probabile est; quod nec parum contulit ad inspirationis divinae fidem illis conciliandam.

interdum, haud sane inficeta, poëmatibus suis praemittere solent; quidam versus omni fere sermoni immiscent, orationesque inprimis graviores poetico quodam habitu vestire student. Nec ipsi nesciunt se esse poëtas, sed venam sibi adscribere, ut et Gothorum olim *skaldi* et Graecorum Romanorumque vates, haud dubitant [3]). Regulas quidem carminum conficiendorum distinctas non callent; sed aurium exacto judicio, usu diligenti comparato, et confusa illius quod in hac arte pulcrum est cognitione adjuti, satis tamen constanter observant. Probos versus et pulcros accuratosque a vitiosis dextre valent discernere; quin peccantes emendare quidam, si roges, non renuunt, quamvis vitia sigillatim indicare, aut praecipua boni carminis requisita enucleate explicare nesciant. Linguae suae vasta et admirabili cognitione praediti, divitiasque ejus in promtu habentes, ad licentiam putidam confugere raro opus habent: quamobrem puritate sermonis et locutionum jucunda proprietate, elegantiarumque vernaculae intelligentia, illorum inprimis se commendant carmina, ab externi cujusvis fuci affectatione, et ingrata coactione plerumque immunia, facillimeque fluentia; inania verba non saepe inculcant, sensus rarius hiat. Maxime admirandum est, quod cum longiora saepe carmina composuerunt, scribendi licet arte destituti [4]), exacte tamen eadem in memoria retineant, eaque sola cu-

[3]) Ita horum unus, cum aegre a se impetrari passus esset, ut arcanas quasdam et superstitiosas majorum Runas recitaret, in prooemio de se ipso cecinit:

On mulla ſata ſanaa,	Sunt mihi centum verba,
Alla wyöni anſahaßa,	Sub cingulo meo in laqueo,
Rengahaßa reidelläni,	In annulo ad femur meum *).
Joit' ei laulaa kaikki lapſet,	Quae non canunt omnes pueri,
Eikä pojat puoletkana.	Neque adolescentes dimidiam partem.

*) h. e. studiose servata, et in promtu

[4]) Qui Runarum pangendarum studio imprimis delectantur, vehementer tamen scribendi arte se destitui, dolere solent; quin nonnulli, ad imitationem literarum typis expressarum, ut memoriae suae subsidium parent, literas formare proprio instituunt marte.

stode inter se propagent [5]). Non vero extemporaneis his semper conatibus sunt contenti, sed majorem interdum sumunt operam et diligentius emendant, donec versus sibi placuerint. Etiam aliorum nonnunquam judicio proficiunt, et plures aliquando symbolam ad carmen componendum poliendumque conferunt. Laudatam facultatem ut acquirere literarum hi rudes queant vates, praeter naturalem ingenii vim, acrem memoriam, et vernaculae egregiam cognitionem, cujus genius eximie his eorum favet conatibus, facit diligens alios audiendi studium, et plurimorum carminum copiam ediscendi industria [6]), quorum ope phrasium, sententiarum, imaginum, figurarumque ingentem vim colligunt, et indoli carminis adsuescunt; quam deinde facultatem crebro usu et canendi diligentia augent [7]). Interdum tamen in

[5]) Literarum videlicet auxilio destituti, quibus mentis cogitata queant custodienda committere, memoriae eo diligentius infigunt; cum contra, qui scribendi artem callent, *literis confisi minus memoriae student; quod fere plerisque accidit, ut praesidio literarum, diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant,* docte observante CAESARE *de Bello Gall.* L. VI C. XIV. De caetero notum, apud omnes gentes antiquissimas carmina non alia ratione potuisse propagari. Fuisse, qui nec HOMERUM sua litteris mandasse traderent, vel e JOSEPHO *Contra Appionem,* L. I initio liquet, cujus verba sunt: *Et ajunt neque* HOMERUM *literis suum poëma reliquisse: sed cantibus memoria reservatum postea fuisse compositum.*

[6]) Idem tradit de Gallorum Druidis CAESAR l. c. *Magnum,* inquit, *ibi* (apud Druidas) *numerum versuum ediscere dicuntur* (qui *in disciplinam conveniunt). Itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent.* Non permittit fortunae ratio nostris, ut soli huic arti tempus consecrent: itaque occasiones coguntur captare oblatas.

[7]) Mira saepe est copia carminum, quae memoriter callent. Qui videlicet studio ardent discendi artem, attente et diligenter magistros audiunt, nullam facile proficiendi occasionem praetermittentes, observant eos, carmina canentibus repetitoris operam praestant, et memoriae ea accurate infigunt; quin cerevisia quoque et vino adusto largiendo, interdum magistri benevolentiam captant. Plerumque igitur, antequam ad aetatem jam pervenerunt maturiorem, laudem nomenque aliquod in hac arte compa-

regulas impingere rudes hos et extemporaneos plerumque poëtas, voces aliquando et locutiones immiscere plebejas, non locuplete satis eminere inventionis varietate, easdem frequentius imagines et orationis ornamenta ex alio in aliud carmen transferre, haec inquam vitia indoctos nostros vates, neque otio necessario praeditos, nec eo quo potentium et clarissimarum gentium poëtae, fortunae blandientis quasi vento elatos, diligentissime non semper cavere, nemo credo mirabitur; adeo quidem, ut admirabile potius videri debeat, tam feliciter tamen hunc laborem iis succedere. Sane iidem defectus in doctissimarum etiam gentium vetustioribus in hoc genere conatibus et monumentis frequentissimi comparent, literarum demum ope, faventiorisque fortunae benignitate tollendi. Speciminis autem loco, quam non spernenda rudibus his nostris poëtis soleat vena contingere, versus quosdam adponemus, latine etiam, in eorum gratiam qui Fennice nesciunt, ad verbum expressos; cujusmodi tamen interpretatione nemo puto venustatem archetypi plene posse exprimi sperabit. Is ipse rusticus, cujus poëticam facultatem laudibus a fratre esse ornatam supra diximus, Threno super morte Praepositi atque Pastoris Ecclesiae Idensalmensis M. *Henrici Helsingii* a se composito, typisque expresso [8]), hujusmodi praemisit prooemium:

Joſ mä ſaiſin jouten olla,	Si mihi liceret otioso esse,
Eli jaɣaiſin jutella;	Aut valerem verba facere;

rare sibi vix valent. Qui magicorum s. superstitiosorum carminum arcanas discere avent formulas, superstitiosis quoque et ridiculis quibusdam caerimoniis praeterea a magistro suo his mysteriis initiantur.

[8]) Aboae (1757), 12:o. Non tamen vero suo et nativo habitu, sed aliquibus locis, nullo suo lucro, interpolatum, typis esse commissum audivi; et confirmant vestigia quaedam artis affectatae, a simplicitate musae rusticae alienae. Praepostera hujusmodi corrigendi diligentia non uni tali nocuit carmini; mihi quidem maculis suis adspersa placent magis, quam ita emaculata ut verus eorum color inde perierit: quare rusticorum vatum cantica corrigendi diligentiam vehementer literatis popularibus dissuadeo, in sua carmina hanc iis severitatem etiam atque etiam commendans.

Selittäiſin Suomen kielen	Exponerem Fennico idiomate
Wähäiſen walituŝ Laulun,	Brevem threnum,
Jonga olen äſken kuullut	Quem modo audivi [9]),
Mieĥen kuullun kuolemaſta,	Super celebris viri morte,
Edeŝmenneen eroſta:	Praeteriti (defuncti) discessu:
Mult' on mulla muſtat päiwät,	Sed sunt mihi atri dies [10]),
Warſin waikia elämä,	Valde molesta vita,
Muutoin wielä tylſä muiſto,	Alioquin etiam hebes memoria,
Siihen kielen käänne kehno,	Praeterea linguae volubilitas debilis,
Eikä pehmä puhen parſi;	Nec non mollis (languida) sermonis facultas;
Siil' en ſaanut opiŝ olla,	Namque non licuit mihi disciplina excoli,
Käydä Koulun kumpanina.	Neque frequentare scholam cum sodalibus,
Tok' on Laulu laulettawa	Tamen est cantilena canenda,
Kuollut kowin kaiwattawa.	Mortuus acerbe lugendus.

Ipsius autem carminis tale principium est:

Mieleni minun tekepi,	Animus fert mihi,
Ajuni ajattelepi,	Mens mea constituit,
Waikka ſuurella ſurulla,	Quamvis magno dolore,
Ruweta Runon tekohon,	Aggredi Runae (pangendae) opus,
Wielä wirttä weiſamahan,	Adhuc carmen canere,
Jonga murhe muiſtuttapi,	Quod luctus memoriae suggerit,
Saattapi ſanoma uuſi,	Parit rumor novus (inopinatus),
Koſka kuulen korwillani	Quum audiam auribus meis
Sanomata ſurkiata,	Rumorem luctuosum,
Et' on kuollut kuulu Herra,	Mortuum esse clarum Dominum (virum),
Waipunut ſe mieŝ walittu,	Fessum defecisse lectum illum virum,
Jukſalmen iſo Prowaſti,	*Idensalmensium* eximium Praepositum
Juuri julkinen Prowaſti,	Plane insignem Praepositum,
Joka joutui taammaxi,	Qui delatus est a nobis procul
Edemmexi ennätteli,	In dissitam terram properavit [11]),
Meidän päämme paimenemme,	Noster principalis pastor,
Oikia opin iſämme,	Verus noster doctrinae pater (doctor),

[9]) Fingit se carmen canere non a se compositum, sed auditum modo, et sibi quasi inspiratum. Non infrequentia sunt hujus moris in Runarum prooemiis vestigia. *Sit mihi fas audita loqui*, ad eandem rationem VIRGILIUS *Aeneid. L. VI v. 266.*

[10]) i. e. *morbo intabesco.*

[11]) Mortuus fuit Stockholmiae, in itinere constitutus.

Koko kuulu kunniaſa,	Plane celebris gloria,
Koko korkia opiſa,	Prorsus sublimis doctrina,
Kuulu tiedon kukkulalla,	Celebris in scientiae colle,
Kuulu kunnian kodiſa,	Celebris in honoris domiciliis,
Yli muiden ymmärtäwä,	Supra alios intelligens,
Paras Pappein-pariſa,	Optimus in Sacerdotum coetu,
Kiitettäwä Kirkon töiſä,	Laudabilis in ecclesiasticis laboribus,
Menoiſanſa merkillinen,	In moribus suis egregius,
Sangen ſelwä ſaarnaſanſa.	Admodum dilucidus in concionibus suis.
Kuin ſe ſattui ſaarna töihin,	Cum ille aggrederetur concionandi opus,
Ei ſe puuttunut puheita,	Non illi deficiebat sermo,
Aſioita arwaellut;	Non res conjectando persecutus est;
Sanat ſen ſatoja maxoit,	Verba ejus centenis (numis) contra cara erant,
Toimi toiſia enämmän:	Prudentia (ejus) alia omnia superabat,
Wertauxet werrattomat,	Comparationes incomparabiles,
Muiſtomerkit muiſtettawat.	Memoriae commendata (dicta) memoria (erant) digna.
Aina uutta, aina uutta,	Semper nova, semper nova,
Paraſta pani eteen.	Optima protulit in medium.

Sillä ſyyſtä Seurakunnan	Eam ob caussam Ecclesiae
Murehtipi monda mieſtä,	Dolent multi viri,
Walittapi waimo kanſa,	Luget foeminarum coetus,
Lapſet laulawat ſurussa;	Pueri dolorem cantu proferunt;
Itke kyllä kyllitellen,	Plorat (ecclesia) satis ad abundantiam,
Itke äänellä iſolla,	Plorat voce magna,
Koſta kuuluu kuolleexi,	Quando eum audit obiisse,
Jättäneexi jää hywäſti etc.	Dixisse supremum vale.

Finem carmini his imponit versibus:

Idenſalmi itkeköön,	*Idensalmi* lacrymas profundat,
Katkeraſti kaiwatkoon,	Acerbe desideret,
Opin iſä oikiata,	Doctrinae partem verum,
Prowaſtia mainittawaa!	Praepositum celebrandum!
Halaitkoon juur' hartaaſti,	Optet plane animitus,
Rukoilkoon ratk' ahkeraſti,	Precibus efflagitet diligentissime,
Että Herra herättäiſi,	Ut Dominus suscitet,
Sen ſiaan ſowittaiſi,	In ejus locum aptet,
Joka oliſi oiwallinen,	Eum qui sit idoneus,
Oiwallinen ja omainen!	Idoneus et sanguine cognatus!
Kannoſt' weſan kaſwattaiſi,	E trunco surculum educet,

Wanhan juuren wahwiſtaiſi!	Veterem radicem confirmet!
Laſten lapſet lauſukoon,	Liberorum liberi (sera posteritas) celebrent,
Nahholliſeſt' muiſtakoon,	Digne memoria prosequantur,
Idenſalmen yliſtyſtä,	*Idensalmensium* decus,
Henriki Helſingiuſta!	*Henricum Helsingium!*

Aliud exemplum nobis praebebit Epicedium fraternae memoriae dictum, cujus supra jam meminimus (not. [1]), hujusmodi initium habens:

Ah! ah! armotoin iſändä!	Heu! heu! immitem dominum!
Iwan tuima tuonen woima!	Admodum ferocem libitinae vim!
Woit niit' kouria kowia,	Eheu pugnos duros,
Kuolon kowan kämmeniä!	Mortis duras manus!
Jotka murtawat muruxi,	Quae diffringunt in frustula,
Työwät maahan martahaxi,	In terram disjiciunt fragilis instar
Ihmiſetkin ilman alla,	Hominesque sub sole, (pulveris
Eekä nuoren että wanhat:	Cum juvenes, tum senes:
Ylimmäiſet, alemmaiſet,	Summi, infimi,
Kaikki kaatuwat käſiſsä.	Omnes ruunt inter manus ejus.
— — — — — — — — — —	— — — — — — — — — —
Syndinen waimon ſikiä,	Peccato infecta mulieris progenies,
Syndy ſynniſsä, ſuruhun;	Nascitur in peccato, ad dolorem;
Wähäiſen ajan eläpi,	Breviculo tempore vivit,
Lewotoinna lendelepi;	Irrequieta volitat;
Täynnä riſtin tähkäpäitä,	Plena crucis spicarum [12]),
Täynnä huolba, huokauſta.	Plena curae, gemitus.
Niinkuin kukkainen katopi,	Sicut flosculus perit,
Kaſwamaſta kuiwettupi,	Inter crescendum exarescit,
Paikaſtanſa pakenepi,	E loco suo fugit,
Niinkuin warjo waeldapi.	Sicut umbra abit [13]).
Mutta waikka wanha liitto	Sed licet vetus foedus
Wielä pyſtyſsä pyſyypi;	Usque nunc validum maneat;
Waikka kalma kaatelepi,	Licet foetor (vis destruens) mortis deturbet,
Ruumihita rundelepi;	Corpora contundat;
Waikka warſi mätänepi,	Licet machina (corporis) putrefiat,
Ruumis raukepi tomuxi:	Corpus dissolvatur in pulverem:

[12]) Id est multiplicibus aerumnis atque miseriis plena, cui arga *messis* calamitatum obtigit. Alluditur praeterea ad vocem *Schibboleth, Judic.* C. XII. v. 6.

[13]) Paraphrasis verborum *Jobi* C. XIV. v. 1.

Kuiteng' itze kuolemaßa	Tamen in ipsâ morte
Säilywät ſiwiät miehet,	Perstant mites viri,
Eläwät eronš' peräſtä,	Vivunt post discessum suum,
Kautta armon korkeimman.	Auxilio gratiae supremae.
Hurſkaſten hywä ſanoma	Justorum bona fama
Muilla muiſtoßa pyſyypi.	Aliorum memoria custoditur.
Ei ſe kuole kuolemaßa,	Non illa moritur in morte,
Ei ſe muſtaxi mätäne;	Non in atram speciem corrumpitur;
Waan ſe kauwan kukoiſtapi,	Sed diu florescit,
Wiherjäiſnä wihoittapi [14]).	Viridis germinat.

Inter ceteras deinde laudes, has poëta defuncto fratri tribuit:

Oli mieſi merkillinen,	Erat vir memorandus,
Talonpoika taitawainen,	Rusticus intelligens,
Joka wagaſti waelſi,	Qui integre ambulavit (vitam egit),
Aina kulki kunnialla;	Semper iter suum (vitae) egit honorabiliter;
Oli ukko uſton wuoxi,	Erat senex (firmus, ut vir maturae aetatis) fidei nomine,
Wahwa wuori toiwon wuoxi,	Firmus mons spei nomine,
Awujen aſumaſia,	Virtutum habitaculum,
Kaiken kanſan kiitettäwä.	Omni populo laudabilis.
Kaunis kanßakäymiſeßä,	Jucundus in conversatione
Ylimmäiſten, alemmaiſten.	Summorum, infimorum.
Miehen toimi, miehen mieli,	Viri dexteritas, viri animus,
Miehen järki, miehen kieli.	Viri intellectus, viri lingua.

Russorum tangens hostilem vim, cui se subtracturus frater suus, adhucdum puer, cum parentibus vastas silvas pererrare cogebatur, ita canit:

Ei ollut iſo ijältä,	Non erat grandis aetate,
Wahwa warren kaſwannolda;	Firmus structurae (corporis) incremento;
Piti olla piiloiſalla,	Coactus (tamen) jam fuit commorari in latebris,
Wainon aikana pahana,	Persecutionis (belli) tempore diro,
Metzän korweßa kowaßa,	In silvae deserto horrido,
Sutten, peurain ſeaßa;	Luporum, cervorum in medio;
Wielä nälkä wierahina,	Accedebat fames hospes,
Karhut kanßa kumpanina.	Ursi contubernales.

[14]) Paraphrasis *Proverb.* C. X. v. 7.

Ryßä ryſtäpi kotona, Russus tumultuatur domi,
Joukko julma kartanolla: Turba crudelis in praedio:
Wielä metzäſä meluiſit, Etiam in silva belligerabant,
Sota-ſangarit ſaloßa. Milites feroces in saltu profundo,
Jotka käändyiwät käſihin, Qui incidebant in manus suas,
Niitä poltti, niitä paiſtoi. Illos cremavit, illos assavit.
Monda muita murha töitä Multa alia cruenta facinora
Teki tämä tuima wieras. Fecit hic dirus hospes.
Kengä kerkiſi ſanoa? Cui vacat dicere?
Kuka kaikki kirjoitella? Cui omnia perscribere?
Kaikki käypi karwalleni Tota acerbo dolore commovetur
Muiſtuhuißa mieleheni; In memoriam revocans, mens mea;
Silmät kyllä kyyneleitä Oculi abunde lacrimas,
Wuotawat weſiä paljon, Fundunt aquam largiter,
Kieli käypi kambelaxi, Lingua evadit torpida
Kurkku kuiwaxi tulepi. Fauces aridae fiunt.

Mortem ejus hujuscemodi enarrat verbis:

Käwi käſky taiwahaſta, Exivit mandatum de coelo,
Kaiken luondon kandajaſta: A totius naturae portatore (conservatore):
Tule tänne tuttawani, Veni huc familiaris mi,
Aſtu armas yſtäwäni Accede care amice,
Aſtu Amanan tyköä, Accede ab Amanae colle [15]),
Muuta murheſta majaſi; Transfer procul a dolore sedem tuam;
Kyll' on jo oſaſi ollut, Satis jam tibi obtigit,
Kyll' on ollut kyyneleitä, Satis fuit lacrimarum,
Walituſta, waiwotuſta. Querelarum, afflictionum [16]).
Nyt on päällä pääſin päiwä, Nunc instat liberationis dies,
Pääſö päiwiſtä pahoiſta; Ereptio e diebus malis;
Rauha rientäpi tyrgöſi, Pax festinat ad te,
Waiwoiſta wapaus ſuuri. Ex aerumnis libertas insignis.
Näimbä läxi luoxe Luojan, Ita profectus est ad Creatorem,
Kulki poxes kunniahan, Abiit in gloriam,
Rienſi riemuhun jalohon, Festinavit ad gaudium eximium,
Wapauteen waelſi, Ad libertatem commeavit,
Elämäſtä ſurkiaſta, E vita luctuosa,
Näiſtä mailman majoiſta. Ex his terrenis habitaculis.

Sed jam satis adductum est exemplorum. Loca longiora exscripsimus, ut de facultate poëtica horum vatum

[15]) *Cant. Canticor.* C. IV. v. 8.
[16]) Morbo enim diuturno fuerat conflictatus.

lectoribus plenius tutiusque existimare liceret. Typis vulgata in hunc usum praetulimus, ut notiora, et quae plurium versantur manibus. Posterius carmen, ab auctore ipso, nisi memoria me fallit, literis exaratum (cfr. supra not. [4]), etiam libentius, quod aut nullam aut parcissimam subiisse correctionem scirem; cujus simul exemplo constat, aliis licet literis non adjutos, ex S. tamen Scripturae diligenti lectione multum auxilii hos vates nostros, in gravioribus quidem argumentis tractandis, habere.

§ X

Caeterum variae occasiones variaque argumenta poëticam hanc gentis industriam exercent. Eventus casusque celebrant memorabiles, sua aut civium ornant egregia facta, publicam felicitatem aut calamitatem depingunt, amicorum deplorant mortem, hilaritatem in conviviis adjuvant [1]), turpia facta exagitant, in inimicos invehuntur, etc.; neque ulla facile se offert notabilior canendi opportunitas, quae non alicujus vatis suscitet musam. Itaque satis magnum carminum proventum annus quisque affert; quorum pauca tamen aut extra paroeciam auctoris natalem propagantur, aut diu supersunt, aetatemque inprimis poëtae coaevorumque illi hominum superant, novis subinde vetera trudentibus, nisi interim literati alicujus calamo excepta, aut omnino, quod rarius contingit, typis fuerint commissa. Excipimus ea, quae memorabuntur infra, quibus majorum opinio, vel etiam superstitio, pretium addidit. Historica carmina, cum Gothorum etc. monumentis comparanda, vetustas gentis res ex instituto celebrantia, hodie nulla amplius supersunt; mihi sane, diligentissime conquirenti, nulla reperta sunt Reformationis seculo anteriora [2]): qualia, an illius etiam auctoris

[1]) Itaque proverbio dicitur: Yöllä päiwä jatketaan, Wirsillä wähät oluet *(Noctem addendo, diei spatium extenditur, Carminibus canendis parcius prebitae cerevisiae defectus suppletur)*; quod de pauperum inprimis conviviis usurpatur.

[2]) Inter vetustiores Runas superstites, merito locum occupat illa, quam adhuc cantant nonnulli Rustici paroeciarum *Wiita-*

aetate, qui *Chronicon Finlandiae* conscripsit ab Illustr. *a* NETTELBLA conservatum [3]), insigni saltem antiquitate conspicua, exstiterint, valde dubito [4]). Unde tamen non efficitur, morem carminibus res gestas celebrandi, genti jam olim familiarem non fuisse, licet sensim memoria, literarum non accedente ope, exciderint; inprimis cum majores nostri tam splendidas (dicamve aliis nationibus et praecipue vicinis suis funestas et exitiabiles?) in theatro orbis partes

---

saari et *Saarijärvi*, territorii *Rautalambensis*, de gestis et fatis majorum suorum qui socios se Ostrobotniensibus addiderunt in famoso tumultu rustico, (a clavis rusticorum, quibus pro telis utebantur, Klubbe-kriget dicto), tempore Regis SIGISMUNDI excitato. Ejus initium hujusmodi est:

Kiwijärwen kiltit miehet,	*Kivijärviensis* pagi † egregii viri,
Waſtingin wahwat uroot,	*Wastingensis* †† fortes heroes,
Kujat nurkiſa pitäwät,	Clavas in angulis servant,
Sopeiſa ſota aſeet,	In interioribus angulis bellica tela,
Pimiäſä pitkät warret;	In tenebris longa manubria (clavarum);
Joilla huowia hoſuwat,	Quibus milites caedunt,
Ryytteriä rytkyttäwät.	Equites verberant.
Sielbä **Saarelle** ſamowat,	Inde ad *Saaris* (pagum) currunt,
Urot oitze oikenewat,	Viri recta tendunt,
Sota aſeis ſotimahan.	Ut in armis dimicent.
Weri pareskui paidan päälle,	Sanguine adspergebatur indusium,
Suolet ſingoilit ſiſäldä,	Viscera evolabant foras,
Ryyttereiſt' rywetetyiſtä,	Equitum vehementer pulsatorum,
Huowiſta hoſotetuiſta, etc	Militum verberatorum, etc.

Cfr. Tidn. utgifne af et Sällſkap i Åbo, pro a. 1776, N:o 9, p. 66 et pro a. 1777, N:o 10, p. 75. Exstant etiam carmina quibus Savolaxii et Carelii sua contra Russos gesta celebrant; sed superioris fere seculi res attingunt.

[3]) Schwediſche Bibliothec, 1 Stück, N:o IV, p. 96—115.

[4]) Hujusmodi tamen carmina inter fontes recenset, unde Chronicon suum hauserit, quod res Fennorum ad Religionis tantum Christianae initia complectitur. Verba ejus sunt: *Supersunt autem in ipsa Finlandia cantilenae nonnullae vetustae, quas Runas vocant, quaeque scaldis reliquorum septentrionis populorum respondent, historiamque nostram non parum illustrant.* Parum autem hunc fontem eum consuluisse, qui scriptum suum perlegerit, ex Islandorum et Svecorum monumentis imperite consarcinatum, facile animadvertet.

† Paroeciae *Wiitasaari*. †† Paroeciae *Saarijärvi*.

egisse non videantur, ut inde, multorum aliorum exemplo populorum, satis ardoris posteris accresceret ad memoriam earum seris etiam nepotibus transmittendam. Ex superstitiosis autem, quae adhuc supersunt, Runis quid opis, ad res majorum illustrandas, sperandum sit, deinceps docebimus. Carmina in contumeliam inimicorum, civium vitiosorum, interdum etiam magistratuum minorum, a quibus se laesos putant, composita, nonnunquam auctoribus suis mala creare, et poenas etiam arcessere, mirum quidem videbitur nemini, illi autem minime qui quantum bilis et amaritudinis inesse illis soleat, cognoverit: cujus generis, nisi res vetaret, exempla apponere possem mordacissima et haudquaquam inficeta. Apologias etiam pro se aliquando factitant, inimicorumque insultus repellunt et in ipsos tela regerunt. *Proverbia,* quae antiquissimam fere gentis cujusque exhibere solent sapientiam, quorumque insigni copia, et ponderosorum et acutissimorum abundamus [5]), magnam partem nostris metrica sunt, sive, ut memoriae felicius inhaererent, ad Runarum leges concinnata [6]). Exemplo sequentia esse possunt:

---

[5]) Proverbiale Fennicum, a *Laurentio Petri,* Praeposito et Pastore *Tammelensi* affectum, a filio M. *Gabriele Tammelino,* Praeposito et Pastore *Lojoënsi* auctum, et a se porro locupletatum, edidit Aboae an. 1702. M. *Henricus M. Florinus,* Praeposit. et Pastor tum *Pemarensis,* deinde *Kimitoënsis,* 8:o; quod duplicare facile posset: nec ejus ornatioris in lucem emittendi spe destituor.

[6]) Cfr. Reverendiss. JUSLENIUS loco supra (§ V, p. 322) citato: cujus periti harum rerum judicis alium etiam locum, de ratione studii nostrorum poëtici, cum iis quae docuimus concinentem, adponemus; ille igitur, Dissert. *de Aboa Vet. et Nova* C. II, § 33, p. 91, *Peculiaris,* inquit, *hujus linguae est poësis: . . . Illam artem non doctissimi alias magis callent, quam rustici; quibus, ut de Arcadibus traditur* (PHIL. SIDNEY *Arc. L. I. C. 6.* VIRGILII *Eccl. 10 v. 32, 33), ingenitum est, de qualibet materia, in instanti, carmina canere elegantissima: quod peregrino quidem creditu impossibile esse poterit; at nos toties experti novimus, apud nostros praesertim, „nasci poëtas, non fieri“.* Docuerat jam ante Cl. CAJANUS, in Dissert. de *Lingua-*

Anda hywä wähäſtäkin,	Dat bonus e parvo (penu),
Eipä paha paljoſtakan.	Neque ex magno malus.
Kokennut kaikki tietä,	Expertus omnia novit,
Waiwainen kaikki kokeepi.	Miser experitur (tentat) omnia.
Ei itku hädäſtä pääſtä,	Non fletus e periculo liberat,
Poru päiwiſtä pahoiſta.	Lamentatio e diebus malis.
Ennen tehny työn tekepi,	Qui ante fecit (expertus) opus facit,
Waſta-alku ajattele.	Qui nuper incepit (tiro) deliberat.
Koiſta wiiſas wirren otti:	Ex his sapiens carmen (doctrinam):
Hullun pitkäiſtä puheiſta,	E stulti longis sermonibus,
Mielettömän lauſumiſeſt.	E desipientis dictis (arripuit).
Omat maat mackuammat,	Suae terrae (cuique) dulcissimae,
Omat metzät mieluammat.	Suae silvae jucundissimae.

---

rum Ebraeae et Fennicae convenientia (Aboae 1697, Praes. Rev. *Dav. Lund*, editae) membro post. p. 12 seq., cujus itidem verba exscribam, cum iis quae nos supra disputavimus comparanda: *Nec minimi ponderis ad probandam convenientiam est illa ratio, quae a simili depromitur poësi. Non enim secus poëta Ebraeus ac etiam Fennicus Rhytmum seu sonum in fine aequalem observat. Ac licet Finnonibus antiquitus non nisi unicum carminis fuerit genus, illud tamen, quia veram indicat convenientiam, non est dubium, quin sarta tectaque haec maneat sententia, praecipue cum runae istae antiquae (ad imitationem enim runarum Sveo-Gothicarum* runoi *appellantur) eodem et fluant metro et ratione syllabarum sint ogdoasyllabae, quod genus carminis a poëtis Ebraeis frequentari vel ex Opitio constat. . . Distichon saltem quoddam Finnicum, unde quod monstratur, liqueat, adscripturus:* Aina muita muiſtelemme, Armoſii ajatelemme etc. *„semper aliorum recordamur Futiliaque cogitamus“. Sunt duae hae lineae initium carminis cujusdam, quo tota historia passionis Christi elegantissime tractatur, auctore nescio quo; Rusticum sacrarum rerum peritum fuisse reor, cujus ordinis non pauci artis istius sunt callentissimi, imo, quod magis mirandum, adeo expediti, ut ex tempore de quacunque materia suas et formare et canere, ceu ipsis mos est, queant runas.* Judicium de metro Hebraeorum paucis forte probabitur. Carmen Fennicum quod laudat, ne jam interciderit metuo: mihi quidem haud licuit videre; neque constat, an typis fuerit impressum. Quod *notum* vocat *carmen, de procis advenientibus*, Rever. Juslenius, loco superius indicato (§ V, p. 322), perinde mihi ignotum. Dolendum est vehementer, meritissimi hujus nationis et literarum nostrarum vindicis relicta collectanea et adversaria, cum magna librorum suorum parte, igne infeliciter fuisse consumta.

Dudoiſta omat tulewat,	E peregrinis fiunt cognati,
Hywät weljet wieraiſta.	Conjuncti fratres ex alienis.
Päältä tunnen päiwäkunnan,	E primo mane divino diem,
Silmiſtä hywän ſikiän.	Ex oculis bonam indolem.
Tehty työ on aljettuna,	Factum opus est inceptum,
Aiwotes aika menepi.	Destinando tempus perit.
Teräwä tekäwän aſe,	Acutum (est) industrii instrumentum,
Tylſä weitzi tyhmän miehen.	Hebes culter fatui viri.

§ XI.

Carmina sua recitandi peculiari porro more agrestes nostri musarum cultores utuntur, a majoribus sibi tradito. Canunt nempe duo semper, solenni ritu, auditorum cincti corona, qui *arrectis auribus adstant*. *Praecentor*, Laulaja, vel Päämies, *Princeps* operis, qui vel carmen recitandum solus aut inprimis callet, vel aetate auctoritateve praestat [1]), (cujus partes ipse semper poëta agit cum ex tempore carmen fundendum est), adjungit sibi alium *Socium* sive *Adjutorem*, Puoltaja vel Säiſtäjä dictum [2]), cum quo per vices canendi opus ita partitur, ut postquam ille versum ad tertiam circiter a fine syllabam, vel ultimum pedem, perduxit [3]), hic suam admisceat vocem, (quod facile jam ex sensu ipso, atque metri lege, reliquum pedem conjectando definire licet) atque ita ambo eum efferant; quo facto, adjutor versum solus repetit, variato aliquantum modo, quasi libenti

---

[1]) Si pares auctoritate atque doctrina sunt, vices quoque inter se permutant aliquando, ut alternis Praecentoris et Repetitoris agant partes; quamquam saepius tamen quisque peritior cantor juniorem quendam, poëticae studiosum, sibi adjutorem eligit, et ordine ad se delato, facultatem demonstrat suam.

[2]) Hinc etiam verba puoltaa, ſäiſtää, actum ipsum ita vicem adjutoris cantori Runarum praestandi, significant. Illa vox notior, et Savonibus usitata; haec apud Ostrobotnienses quosdam recepta, qui tamen nec alteram illam ignorant.

[3]) Contingit interdum ut adjutor, qui carmen callet, in tertia jam aut quarta a fine syllaba suam adjungat vocem, sed hoc minus commode fit; ut et quod adjutor tiro nonnunquam in ultima demum syllaba sociam suam vocem adjungere valet.

assensione approbaret [4]), tacente interim praecentore, donec ille ad extremum rursus pedem accessit, quem con-

[4]) Adjicit igitur quoque Adjutor, sub repetendo, primo versus pedi, si voce dissyllabica, ut plerumque fit, absolvitur, voculam mutu, *scilicet, bene,* vel ſanon *dico,* aut ſano *dic (recte dictum)* voce illa prima etiam enclitica definitiva pa vel pä (paß, päß etc. cfr Jcslenii *Lex. Fenn.* sub hac particula) *sane, certe, quidem,* aucta (quod facilius succedit, si vox ipsa vocali terminatur); videlicet ad approbationem suam fortius exprimendam, et emphasin quoque indicandam: quam syllabarum redundantiam, celeriori primi pedis et inculcati hujus supplementi pronuntiatione ita compensat, ut a tertia versus syllaba solito rursus eum modo proferat. Si vero contingit versum a voce incipere monosyllabica, trisyllabica vel tetrasyllabica, hujusmodi augmento non facile locus conceditur. Sequens exemplum totam hanc luculenter demonstrabit rationem:

Cantor: Ah! ah! armotoin iſändä,
Adjutor: Ah! ah! armotoin iſändä!
Cantor: Aiwan tuima tuonen woima!
Adjutor: Aiwan ſano tuima tuonen woima!
Cantor: Woi niit kouria kowia,
Adjutor: Woi niit kouria kowia,
Cantor: Kuolon kowan kämmeniä,
Adjutor: Kuolonpa ſano kowan kämmeniä!
Cantor: Jotka murtawat muruxi,
Adjutor: Jotkapa ſano murtawat muruxi,
Cantor: Lyöwät maahan martahaxi,
Adjutor: Lyöwätpä ſano maahan martahaxi,
Cantor: Ihmiſetkin ilman alla,
Adjutor: Ihmiſetkin ilman alla,
Cantor: Sekä nuoret että wanhat,
Adjutor: Sekä ſano nuoret että wanhat,
Cantor: Ylimmäiſet, alemmaiſet,
Adjutor: Ylimmäiſet, alemmaiſet,
Cantor: Kaikki kaatuwat käſißä,
Adjutor: Kaikkipa ſano kaatuwat käſißä, etc.

Sed uti significavi, mos hujusmodi voculas interserendi, nec ab omnibus, nec semper, observatur. Si accidit, ut *Adjutor* peritia *Praecentori* non cedat, quin eum vincat adeo, et hic, memoria vel vena deficiente, desinere et silere cogatur, solet ille primarias interdum partes deposcere, tali aut simili formula:

juncta voce ambo proferunt. Adjungit deinde sequentem versum praecentor solus, simili lege ab adjutore repetendum, et sic deinceps, usque ad finem carminis. Quae tota ratio ut clarius intelligi possit, in sequenti exemplo eae syllabae alia literarum forma expressae sunt, in quibus efferendis vocem ambo cantores conjungunt:

Kanſa outoja anopi,
Ikäwöitze ilma kaikki;
Menot kurjat kuultagenſa,
Saadanſa ſadat ſanomat [5]).

Spatio temporis sibi interim concesso, dum repetitor praecedentem versum iterat, Poëta ex tempore canens, ad sequentem versum excogitandum et concinnandum utitur; qui tamen labor nisi vati exercitatissimo et promto ingenio venaque fertilissima praedito, haud sane potest succedere. Modus quem adhibent musicus, unus semper idemque est, sine omni fere variatione, simplicissimus et vetustissimam redolens originem; quem notis expressum musicorum consvetis, aeri incisis, opellae adjungemus. Cantores vel juxta se in-

En tunnek edellä käywä,
Ennen föynätön ejillä,
Ennen maan matelemata.
Sull' on kengät paikkaſemmat,
Paikkaſemmat, tallaſemmat.

Respondet aliquando ad hanc opprobationem *Praecentor*:

Koſk' ett tunnek tuhma käywät,
Epätieto tien oſaita,
Laulolkomme, ſoitelkomme,
Tekkömme ijän ilolla;
Joka työxämme pätöwi,
Työxemme kelpoapi.
Kunnek lyömme lyykyämme,
Syſäjämme ſyykyämme.

Savonum dialecto conformiter expressimus, (ut et plura exempla deinceps), e quorum ore verba excepta sunt.

[5]) SALAMNIUS Ilo-laulu etc. initio.

vicem sedent, vel ex adverso, ita propinqui ut dextras conjungere possint et genua, dextrum scilicet unius et laevum alterius, quibus manus consertas fulciunt; et sub canendi opere corpus lente movent, quasi capite vellent caput contingere, vultum gerentes meditabundum et gravem. Rarissime stantes canunt; et si contingat aliquando, ut musarum quasi quodam afflatu moti stantes carmen ordiantur, mox tamen, conjunctis dextris sessum eunt, et ritu solito, cantandi continuant operam. Cantus autem hujusmodi solennis instituitur in conviviis fere, cum adest et mentes excire solet *laetitiae Bacchus dator;* itaque videas plerumque juxta cantantes stare cerevisiae cantharum, de quo, ad finem perducto carmine, novoque recitando se accingentes subinde haurire solent, viresque reficere: ut etiam raro se ad canendum conferunt, antequam Bacchi muneribus spiritus excitati fuerint et animi alacriores redditi. Carmina vero hujusmodi cantoribus deficere non solent, qui ad multam saepe noctem hunc ludum producunt. Neque alii fere oblectationis generi videntur majores nostri, ad convivia congregati, indulsisse: ludos genti peculiares et domesticos in usu fuisse nullos reperio; choreas et saltationes hodieque nesciunt fere Savones et Carelii [6]); Tavastii et maritimi a Svecis sine dubio didicerunt, nomine etiam tanţi, tanţan, id testante. Praeter convivia, canendi quoque occasionem commodam incolis superiorum provinciarum praebent itinera illa longinqua, quae ad urbes et emporia quotannis, hiberno imprimis tempore, coguntur suscipere, mercium suarum divendendarum et aliarum, vicissim sibi necessariarum, comparandarum caussa. Tum enim plures, ultra XL saepe vel L, aut una domo profecti, aut in itinere undique quasi confluentes, in unum conjunguntur coetum, societatemque faciunt itineris; fere ut orientalium Caravani. Haec multitudo, cum in hospitia, ad quietem corpo-

[6]) Nisi quod incolae juniores pagorum quorundam, praediis nobilium et civium lautioris sortis vicinorum, mores horum imitari, majorum severitate relicta, nuperius coeperunt.

ribus fatigatis dandam equisque pastum praebendum, divertit, taedii fugandi temporisque fallendi gratia ad oblectamentum confugit genti jucundissimum, et solennes quos descripsimus cantus laeta celebrat. Bacchi quidem munera non semper abunde praesto sunt: sed otium tamen et hominum frequentia animos sollicitant. Neque deesse solent in tali comitatu vates, aut cantores saltem exercitati, qui inopia carminum haud laborant; plerumque enim patresfamilias ipsi, aut viri maturioris aetatis, hujusmodi itinera instituunt. Quando tantam aliquando Runa quaedam, typis non expressa, celebritatem nanciscitur, ut per totam fere Fenniam, vel plures saltem provincias cantetur, his id itinerum societatibus plerumque tribuendum est, quae plurium provinciarum incolas congregant, et familiaritate quadam conjungunt. Quoties solenni cantu se populares nostri oblectant, lyrae etiam occentum adjungere libenter solent; si itaque copia est citharoedi periti, ille vocem cantantium fidibus comitatur. Si unus tantum cantat, citharoedus Adjutoris praestat vicem, modum musicum Adjutori attributum, lyra repetens, tacente interim cantore. Sunt autem triplicis omnino generis citharae Fennis in usu: una, quae reliquis antiquior et usitatior, Kanbele vocatur, chordis instructa quinque, hodie orichalcinis, olim setis equinis, quae pulsatur digitis [7]); cujus inventionem, ut et artis eandem scienter pulsandi, ipsi Wäinämöinen, Runicae artis auctori, praecipuo quondam Fennorum Deo, majores nostros tribuisse, infra docebimus. Aliud citharae genus, vel barbiton, Harpu nostris vocatum, nomine a Svecis mutuato, prope duos cubitos est longum, et cubitum circiter latum, subtus apertum, tribus chordis orichalcinis ornatum, super quae plectrum setis equinis constans (ſtråke) ultro citroque ducitur. Tertii generis, Jouhi-Kanbele dicta, huic fere similis, sed duplo mi-

[7]) Lyram V chordarum vetustum fuisse apud septentrionales populos instrumentum musicum confirmat Julius Pollux *Onomast.* L. IV. C. IX, narrans a Scythis eam fuisse inventam, et postea inde ad Graecos pervenisse.

nor, chordisque tribus e setis equinis tensa [8]), plectro ad eundem morem tangitur. His iisdem instrumentis ad saltantium quoque motus et numeros moderandos, iis locis ubi incolis hujusmodi placet ludus, saepe utuntur; tetrachordi *(violon)* usus recentissimis demum temporibus invalescere coepit.

§ XII.

Peculiarem carminum classem constituunt *Runae* nostratium *molendinariae*, Jauho-Runot, quas sub molesto labore molendi mulieres Savonum, Careliorum et Cajaneburgensis ditionis cantant. Non enim olim modo, sed multis hodie etiam locis, machinis destituti molariis, manu molas circumagere incolae coguntur, eaque sola ratione omne quod consumunt frumentum minuere [1]). Devolutus autem fuit hic labor apud nostros, ut apud multas alias nationes, totus ad foeminas; quae interim dum viri itinera ad urbes suscipiunt, venatui operam navant, ligna, foenum et frumenta e silvis domum deportant etc., per totam fere hiemem, aut pistillum tractant, aut molam manuariam trudunt: ut vere de se, in una hujusmodi Runarum, poëtria canat:

Päiwät pyörin petteleißä,	Per dies integros volvor pistillo (manubrio?) adfixa,
Kiwen puußa kiikuttelen.	Lapidis (molaris) ligno adhaerens circumagitor.

[8]) Quas, ut scilicet barbiton sonos reddat clariores et svaviores, e cauda decerpere jubent equi acris, impigri et nobilis: cujus persvasionis vestigia infra etiam occurrent.

[1]) Antiquioribus temporibus pistillis contudisse, probabile est, in mortariis ejusmodi ligneis quae adhuc ad corticem pini frangendum adhibentur, quoties eo pro pane uti cogit necessitas. Hodie molae aquaticae plures indies exstruuntur, in provinciis etiam interioribus, adeo ut molesto molas manuarias circumagendi labore foeminae sensim liberentur: molae autem quae vento truduntur, ubi a maritimis provinciis recesseris, rarissime adhuc, in Savolaxia et Carelia inprimis, conspiciuntur. Quo vero rarior molendi labor mulieribus incumbit, eo etiam magis carmina s. Runae molariae in desvetudinem abeunt.

Ad animum itaque hilarandum et a laboris molestia revocandum, felicissimo consilio, molentes carmina canunt, inprimis tradita sibi a majoribus, nonnulla recentius composita. Canit illa sola quae molam circumagit, reliquis quae interim quiescunt, tacentibus et audientibus; itaque mos repetendi locum hic non obtinet. Eundem tamen modum musicum observant, et cantu lentiori delectantur. Si molendi opera duae simul funguntur, aut utraque aut per vices alterutra, cantum peragit. Agunt haec carmina partim de argumentis severioribus, maxime moralibus, partim fabulas aut historiolas continent, partim etiam amori consecrata sunt, non infimum inter sexus curas locum suo merito poscenti; satyras quoque interdum exhibent, egregiorum facinorum laudes etc. Haud pauca colligere mihi licuit, quae ingenii laude nequaquam indigna sunt. Amori vero dicatas Runas, non facile, nisi inter se solae recitant, juniores inprimis; itaque a vetulis eliciendae sunt, quarum quaedam nec solennis istius in conviviis cantus vices detrectant, quas suscipere puellas nunquam videas. Horum carminum plurima saltem pars foeminas agnoscit auctores; quarum nonnullae inprimis, ut de viris supra docuimus, laude clarent Runarum feliciter pangendarum. Exempla etiam hujus generis apponam. Uxor viri varis pedibus deformis, natu jam grandior et orba liberis, conditionem suam describit et desiderium absentis mariti, longo, ut videtur, itinere detenti, hujusmodi carmine exprimit:

Minä jauhan **Jaakollani**,	Ego molo *Jacobo* meo,
Wäännän wäärä-jäärelleni;	Circumago (molam) loripedi meo;
Waan ei **Jaako** mullen jauha,	Verum non *Jacobus* mihi molit,
Eikä wäännä wäärä-jääri,	Neque circumagit loripes,
Eikä hymyrä hykerrä.	Neqve varipes trudit (lapidem molarem) cum sonitu [2]).
Hyw' on olla hymyrällä,	Faustum (tamen) est pertinere ad varipedem,
Kaunis kambura-jalalla;	Beatum (pertinere) ad loripedem;
Hymyrä hywällä syötti,	Varipes victu lauto (te) aluit,

[2]) H. e. abest.

Kambura weden kaloilla;
Ei ſitä ſotaan wiedä,
Ei tahoita tappeluhun.
Itze jauhan wanha waimo,
Homeh-korwa houhattelen:

Ei mullen miniä jauhaa,
Eikä pyörrää pojan waimo.
Kuin mun tuttuni tuliſi,
Ennen nähtyni näkyiſi!
Kohta ſuuta ſuikajaiſin,
Lewitäiſin leukapieldä.
Mutt' ei kuulu kullaiſtani!
Sill' on illoilla ikäwä,
Maata panneſa pahembi,
Äſken yöllä äitelämbi,
Hawaiteßa haikiambi;
Kopra (koura) tyhiä kokopi,
Käſi waatipi walehta.
Aina aikahan tuliſin,
Waan on waiwa aamuiſilla,
Muiden työllen työnnätäßä,
Muiden liitäißä lewollen,
Olla yötä yrinänſä,
Sängyſſä ukottomaßa,
Ei kutaana kumppalina,
Kuka ſuuta ſuikajapi,
Kuka ſyhyttä ſiwuja,
Kupeita kutkuttapi.
Koſk' ei kuulu kuldaiſtani,

Kolkkawan kodan edeßä,
Puita pilkkawan pihalla,
Weräillä weſtelewän,
Alla ikunan aſuwan!
Tule turcka tuutuhuni,

Loripes aquae piscibus;
Non eum ad bellum auferunt,
Non poscunt ad pugnam.
Ipsa molo aetate provecta mulier,
Situ aures obducta molae strepitum excito [3]):

Non mihi nurus molit,
Neque contorquet (molam) filii uxor.
O si ille familiaris meus veniret,
Antea visus mihi appareret!
Mox svavium oppingerem,
Extenderem os meum.
Sed nihil auditur de dilecto meo!
Itaque vespera desiderio angor,
Cubitum itura magis etiam conficior,
Noctes vero taediosissimae mihi sunt,
Expergefacta discrucior animi;
Manus inania colligit,
Dextra quaerit mendacium [4]).
Utcunque me sortis non poeniteret,
Verum molestiam sentio mane,
Caeteros ad labores impulsura [5]),
Conjunctura (vesperi) eos ad quietem,
Actura ipsa noctem sola,
In lecto marito orbo,
Nullo existente socio,
Qui osculum oppingat,
Qui leniter profricet latus,
Costas titillet.
O (me miseram) quod non auditur dilectus meus,

Fragorem edens ante domum,
Ligna findens in area,
Juxta portam ascians (tigna),
Sub fenestra commorans!
Veni o bone! in cubile meum,

[3]) H. e. aetate jam ultra juveniles annos provecta, cui requies a tam duro labore esset concedenda. Hyperbolice loquitur.

[4]) H. e. Maritum juxta cubantem manu quaerens, sentio mentem desiderio aegram vana spe illudi.

[5]) Nempe videbat tum, operarios suos quemque sua gaudere conjuge; se vero solam esse.

Aſtu armas ſängyhyni!	Fer gradum, sodes, in lectulum meum [6])!
Embä kowan kuzuckaan;	Neque tamen vehementer (te) appello;
Kyll' ſun luondo luoze tuopi,	Sane te natura ad me adducet,
Weri wierellen wetäpi;	Sanguis versus me impellet;
Sitte tuutun tulduanſi,	Tum vero in cubile meum reversus,
Liki, liki, linduiſeni,	Prope, prope, deliciae meae,
Kuki, kuki, kuldaiſeni!	Juxta, juxta, corculum meum!

Nemo credo in hoc carmine poëticam venam, affectum, naturae simplicis veritatem, imaginemque rusticae nostrorum vitae haud injucundam [7]), non animadvertet; itaque integrum exhibui. Suppetit mihi aliud, satiram continens in puellas quae nimis altum spiritum gerentes formaque sua elatae, spernunt florentibus annis temere procos honestos, deinde vero, annis veneres auferentibus, ipsae viros coguntur enixe ambire: proponitur primum puella fastidium suum narrans, deinde conditionem suam flens et nubendi desiderium significans, tum virum ad se frustra alliciens; postea illudens adjicit vates, eam diu incassum vestitu cultuque exquisito placere studuisse, atque tandem e compressu furtivo gravidam factam, latebras pudore confusam petiisse. Sed longior est Runa, quam ut adponere eam locus permittat. In alia, amoris sui constantiam testata sponsa, se a svaviando amico suo, modo comparuerit, non iri deterritum affirmat, si vel lupi sanguine os ejus esset adspersum, nec dubitaturam dextram dextrae ejus conjungere, quamvis anguis in digitorum apicibus micaret, etc. Fennica verba sunt:

Sillen ſuuta ſuickajaiſin,	
Jos olis ſuu ſuden wereßä;	
Sillen kättä kääppäjäiſin,	
Jospa kärme kämmen-päähä.	
Oliſko tuuli mielelliſä,	O si ventui esset intellectus,
Ahawainen kielelliſä!	Tempestati linguae facultas!

[6]) H. e. reditum tuum matura!

[7]) Tempori vero hiberno, quo molendi opus, adeoque hujusmodi cantus, inprimis fervet, scenam adaptatam esse, facile animadvertitur.

Sanan toiſi, ſanan weiſi,	Verbum adduceret, verbum reportaret,
Sanan lijan liikuttaiſi,	Verbum abundans ultro citroque ferret,
Kahden rakaan wälillä. etc.	Duos amantes inter etc.

Alia Runa sponsorum amorem celebrat, ut magnitudine affectui parentum, cognatorum et affinium longe superiorem, historiola narranda de puella, quam, postquam procus a parentibus, multis donis et illis et reliquis necessariis tributis, obtinuisset, Russus furtim abreptam cymbae suae imposuerat abducturus, quamque cum parentes et cognati iis ipsis donis quae a proco acceperant redimere singuli recusassent, hic, quamvis superbius ab ea primum tractatus, non dubitavit centum thaleris imperialibus Russo numeratis, captivitati eximere. In alia, virgo sponsum sibi exoptat; sed nisi strenuo, copioso et egregio viro sese haud nupturam simul asseverat. Initium carminis hujusmodi est:

Tuo Jumala tuota mieſtä,	Adduc Deus eum virum,
Jonga ſormuzet ſopiſi,	Cujus annuli apti mihi sint [8]),
Rinta riſtit kelpoaſi!	Cujus pectorales cruces [9]) idoneae sint!
Ällöö tuhma tullockohon,	Ne veniat quidem fatuus,
Käwin kanta keikuttook,	Neque stipis captator vacillanti gressu accedat,
Kuin ei tullek tuuhiammat,	Siquidem non veniant praestantiores,
Koriammat kohti käynek!	Formosiores ad me tendant!
En minä ſiinä ikänä,	Non ego ullo tempore,
Kuuna kullan päiwänähän,	Luna aureo splendore fulgente,
Kuku nurjuzen nutullen,	Dormiam nauci hominis in stragula,
Painu paikka-kuckarollen,	Cubitum ibo sordidi ad latus,
Kaja-kengellen rakaſtuk etc.	Mendici deliciae fiam [10]) etc.

Poëticae elocutionis in his cantilenis venustatem, linguae nostrae gnari ex hujus etiam Runae initio, ubi cantrix lapidem molarem alloquitur, existimare poterunt:

---

[8]) H. e. cujus acceptare queam annulos et dona.

[9]) Ornamenti genus, crucis formam gerens, a pectore dependens, noto more christianismi hoc signo superbiendi.

[10]) Verbotenus: *Sidam ad latus hominis crumenam gestantis adsutis centonibus variam, Ab homine induto calceis attritis et laceris, amabor.*

Jauhuos ſinä kiwoinen,	Molito tu lapille,
Hywä paaſi pauhailko,	Bona lamina saxea strepito,
Somerinen ſouwatelko,	Glareae proles circumagitor [11]),
Minun jauhin wuorollani,	Vice molendi ad me devoluta!
Ilman ſormin ſoutamata,	Ut non opus sit digitis circum volvere,
Käden puuta käändämätä,	Manui lignum (manubrium) torquere,
Peukalon palajamata!	Pollici in orbem verti!

Rationem itaque hujus generis carminum satis nos exposuisse putantes, imaginem tantum adjiciemus bonae matrisfamilias, ex popularium nostrorum opinione, versibus sequentibus expressam, quibus hospiti suae vates gratias agit:

— — — — kiitän	— — — — gratias ago
Emännän ſiitä peräſtä,	Matrifamilias deinde,
Hywän leiwän leipomaſta,	Quod bonum panem fecit,
Hywän pannehen oloiſen.	Bonam coxit cerevisiam.
Imelet hänen ituſat,	Dulcis ejus polenta [12]),
Makiat on maltaiſeſat.	Svavis est byne [13]).
Ei ol' iſkullen ituſat,	Non est crudi saporis byne ejus
Eikä maallen maltaiſeſat.	Neque austeri polenta ejus.
On kuullut kukoitat nouſta,	Audiit gallos evigilare,
Kanan lapſeta karatat;	Gallinae filium prosilire [14]);
Piti kuut kuckonanſa,	Lunam galli loco habuit [14]),
Otawaiſet merkinänſä.	Ursae majoris (constellat.) signum observavit.
Eipä ſurunna ſuſia,	Neque luporum metu angebatur,
Pelännyt metän petoja,	Nec silvae feras formidavit,
Saunan tietä käywäſänſä.	Cum ad balneum via esset carpenda [15]).
Eipä koukuilla kohennut,	Non uncis tractavit [16]),

11) Verbotenus: *E glarea concrete* (hoc nomine vocatur lapis molaris), *remigato*.

12) Malt.

13) H. e. Vigilantior gallis fuit.

14) Id est, *horam surgendi e Lunae cursu existimavit, non e galli cantu*, quo horologii loco rustici utuntur: ad vigilantiam significandam matrisfamilias.

15) In balneo foeminae peragunt rusticae multa sua opera; significat itaque, eam caussas non praetexuisse, cur ab opere matutino se abstineret.

16) Penum structura, ollas, patinas etc. calidiores non instrumentis manus munita tractavit, verita ne urerent; nudes manibus tangere non timuit, adsveta labori, et manus delicatas non habens.

Mutta kopriſſa kohenti,	Sed manibus contrectavit,
Kämmenillä käännätteli,	Palmis versavit,
Sekä formiſſa ſowitti.	Atque digitis ordine locavit.

§ XIII.

Nullum vero carminum nostratium genus vel celebratius fuit vel infamia majore notatum *Runis* sic dictis *Magicis*, sive superstitiosis illis carminibus, quibus miram vim inesse homines stulti et anilibus persvasionibus occaecati, et sibi et aliis fidem fecerunt. Dubitare plurimae non sinunt rationes, quin olim Fenni nostri, ut reliquae nationes, carminibus cum diis suis egerint, unde sanctitatis et efficacitatis illis adhaesit opinio; quae mox deleri ex animis hominum, cum ad Christiana sacra amplectenda perducerentur, eo minus potuit, quod non rationibus et argumentis, sed vi et armis, ad Christi nomen profitendum cogerentur. Itaque haec carmina gentilismo incunabula sua debere, quamvis postea varie interpolata et Papisticis superstitionibus nugisque locupletata, mihi certum videtur, et infra plenius demonstrabitur. Antiquitate igitur reliquas Runas nostras sine dubio vincunt; quae, quoad metrum et poëticam rationem, ad illa ut exemplaria et archetypos deinde conformata esse videntur. Hodie quoque, apud superstitiosos, nullae aliae Runae cum illis dignitate et praestantia comparandae existimantur. Neque vero proprie *Runarum* illis nomen tribuitur, quo reliqua tantum innocentia, superstitiosis visa *profana*, carmina denotantur, quae in conviviis et circulis cantantur; magica illa carmina contra vocantur Lugut, quasi *lectiones*, quae nunquam cantu proferuntur, multo minus solenni quem descripsimus more, sed occulte remotisque arbitris vel dicuntur alta voce, cum ardore quodam animi, halbioſa, cui pedum supplosio, exsultantes corporis motus, variaeque gesticulationes et contorsiones absurdae deformesque adduntur, vel submisse mussitantur, exspuendo simul, flando etc.; semperque fere superstitiosae et ridiculae quaedam praxes aliae praeterea adjiciuntur. Applicata autem ad certas res quarum vel minuere atque frangere vim,

vel damnosos effectus tollere, etc. putantur, Sanat etiam appellantur, id est *verba* efficacia; exempli gratia Madon ſanat, *verba contra serpentis morsum*, Tulen ſanat, *verba contra ignis vim, et valida ad sananda vulnera ab igne inusta*, Raudan ſanat, *verba pro sanandis vulneribus ferro inflictis*, et sic porro. Horum pleraque simul Synnyt dicuntur, id est *origines* sive *archaeologiae*, v. g. Madon ſyndy, (vel Synty) Tulen ſyndy, Raudan ſyndy ꝛc. quod ortum ex ea traxit opinione, in qua sunt harum nugarum amici, fore se elementis, corporibus, animalibusque omnibus compescendis viqne eorum superandae pares, si modo occultam et mythicam eorum originem resciscant, carminaque recitent eam aperientia; hac autem scientia majores suos fuisse instructos, coelitus sibi tradita, quorum itaque arcanas formulas admirabili virtute pollere. Hinc in archaeologiis hujusmodi, cum quadam confidentia et quasi triumphantes solent ferrum, ignem, serpentem etc. alloqui: *non fugit me unde genitus et natus sis*, item: *cur ausus miselle es mala facere, Cur perniciosa suscipere facinora? Origo tua minime ignota est mihi, Prima cunabula tua sunt mihi explorata.*

Tiedän ſyndö ſyndymäſi,
Poika kalcki kaſwannoſi,
Et: Mixikä teit pahoja,
Kurika tihua työtä?
Kyllä tiedän kuſta tulit,
Kuſta ſynnyit ja ſikeiſit ꝛc.

Superstitiosorum hujusmodi carminum magna est copia. Et quamquam in maritimis provinciis paucissimi supersunt qui illa callent, nec ea aut multa aut concinna et integra; in regionibus tamen remotioribus, iisdem quas poëticae facultatis laude excellere supra docuimus, sacerdotum zelus atque industria iis obliterandis hactenus non suffecit [1]). Sen-

[1]) Non tamen existimandum, quae mens quorundam est, eo semper minus superstitionis apud plebem reperiri, quo ab horum carminum notitia magis destituitur; novi enim, qui haec

sim vero magis magisque memoria excidunt, quod apud juniores et eos qui religionis cognitione solidiore mature imbuuntur, superstitione indies decrescente, pretium auctoritatemque perdunt: senes et vetulae superstitioni pertinacius, ut fit, adhaerent, atque ad minores etiam libenter propagant [2]). Quidam inprimis, et olim et hodie, hujus sapientiae fama prae caeteris floruerunt florentque, atque a reliquis superstitiosis oraculorum instar adeuntur, pretio etiam haud raro spem illis opis suae vendentes. Hi, quamquam et aliis, praecipue tamen liberis suis artem communicant suam; unde certis maxime familiis solet esse quasi haereditaria. Cujusmodi mystae artem simul quandam medicam plerumque profitentur; interdum simplicium quorundam medicamentorum domesticorum vim et usum edocti, saepius ineptis et absurdis consiliis fucum credulis facientes [3]). Semper vero carminibus suis praecipuam vim attri-

ignorant, persuasionibus nihilominus anilibus et observantiis superstitiosis saepe esse addictissimos, et nostros illos mystas si non superare, aequare saltim: ut apud Svecanam plebem non paucae reperiuntur superstitiones Fennis nostris ignotae; quamvis in plurimis utriusque plebis ineptias consentire, facile deprehendatur, communemque papisticarum nugarum fontem prodere.

[2]) Quare quidam harum consultus nugarum, exoratus ut specimina quaedam proferret sapientiae suae, ita exorsus est:

Läḫteſämme laulamaḫan,	Proficiscamur cantum (incipiamus canere),
Sanoja ſaneſemaḫan,	Verba dictum,
Ennen ſaatuja ſanoja,	Olim accepta verbä,
Joita ennen eukko neuwoi,	Quae quondam avia praecepit,
Wanḫa wanḫembi opetti etc.	Senex parens docuit, etc.

[3]) Materiae, quibus vim sanandi, carminibus his suis addere allaborant, maxime vulgares sunt sal, lac, vinum combustum, pinguedo etc.: cumque instrumenta et adminicula sua, in crumena quadam asservata portare secum atque circumferre vulgo soleant, hinc Kuḑaromies *(Vir crumena instructus)*, hujusmodi magum significat: majoris autem molis instrumenta, quae adhibenda sibi aliquando judicant, aut in terram defodiunt alicubi, aut in sylva vel in tabulato aedium supremo (winḑ) condunt. Inter hos homines castratores inprimis circumforanei locum plerumque tueri solent suum, atque superstitiosorum etiam carmi-

buunt; quae nonnunquam stantes, saepius in genua subsidentes, more quo diximus recitant, capite nudo, pileum manu tenentes. Admodum igitur multiplicia haec sunt carmina, multiplicemque ab iis sperant opem. Aliis morbos credunt depelli et vulnera sanari, aliis venatum, piscatum, aliaque incepta prosperari, aliis hostes suos laedi aut noxia inimicorum consilia retundi atque in ipsos auctores converti, aliis amissa aut furto ablata recuperari, aliis pecorum saluti et incolumitati prospici, aliis praeliorum pericula depelli, ferrique aciem ac omnium telorum vim hebetari, et sic porro [4]). Multa de stupendis horum carminum effectibus, magorumque qui ista scientia pollent facultate, vulgus narrat, similia fere illis quae de Lapponum magia tradita sunt; exempla citat hominum et pecudum, quibus morbi immissi aut depulsi sint, armentorum in quae ursus incitatus, hominum quibus mentis usus ereptus etc.: quin pro comperto venditat, praecipuos mystas animi deliquia sponte sibi arcessere valere in quo statu, dum corpus sensu omni destitutum jaceat, ita ut nec ex vi ignis vehementi dolorem sentiat, animus vagetur et occultas res, aliorum etiam tacitas cogitationes, investiget, quas ad se rediens magus sciscitantibus aperire valeat: sexcenta ejusdem farinae alia. Quibus nugis quod fidem addunt multi homines honestioris etiam conditionis et a literis non remoti, horumque nebulonum potentiam nonnunquam extimescunt, mirum videri deberet et non infimum haberi artis hujusce specimen ac do-

num plurimorum scientia, eam ob rem eminere. Morborum theoria omnibus communis est: scilicet rarissime ex alia caussa quam ex malorum hominum fascino, incantationibus et veneficiis oriri; itaque in carminibus suis mythicis commune contra omnes et potentissimum paratum esse remedium.

[4]) Notum est, superstitiosam eandem de certorum vi carminum persvasionem, plurimarum gentium insedisse animis. Ex suae gentis opinione TIBULLUS:

Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus et iratae detinet angvis iter.

Lib. I Eleg. IX v. 19 et 20. Plane ut nostri. Innumera alia praetereo testimonia.

cumentum, nisi nota esset praejudiciorum ingens vis, totque passim exemplis constaret quam aegre mentes humanae ab omni superstitionis contagione immunes se praestare valeant. Anxia nonnulli cura in vi harum praestigiarum explicanda versati sunt [5]); qua nos supersedere posse existimamus, si observaverimus, commode redigi omnem ad fraudes, animi coecitatem, dementiam, et credulitatem [6]).

---

[5]) Vid. ex. gr. GABR. MAXENII Dissert. *de effectibus fascino naturalibus*, praeside JOH. THORVÖSTE, Phys. Professore, hic Aboae a 1733 edita, 4:o, in qua non modo exempla carminum hujuscemodi magicorum nostris usitatorum adfert, (admodum plerumque vitiose exscripta), sed mirabiles etiam ipsius artis effectus explicare satagit; partim operationi adscribens diaboli, cum quo pacti quoddam genus magi ineant (hypothesin sit alia confirmans hypothesi, non dicam quam probabili), partim occultarum et admirabilium virium scientiae, quae rebus plurimis naturalibus insint, sympathiae, antipathiae etc. nomine venientium (quarum ridiculum etiam exemplum adfertur), partim vi nescio cui ipsorum carminum naturali, gestuum, vocis et affectus efficacia adjutae (plane ut superstitionis amici inter nostros disputare solent rusticos). Ipsorum veritatem effectuum, quam extra dubium collocare primo fuisset necessarium, pro data assumit. Recurrit in memoriam mihi Celeb. FONTENELLII narratio de aureo dente pueri Silesiaci. Cum multi sacerdotum nostrorum, laudabilem in superstitione exstirpanda operam collocantes, similiter efficaciam harum praestigiarum nimis liberaliter admittunt, et potentiae tribuunt diaboli, minus mihi considerate agere videntur, quod haec ipsa de vi earum persuasio basis et fomes est mali, hominesque idiotas istis inprimis implicat deliriis; ita ut vim ejus debellaturi, ipse eam imprudenter saepe firment. Nihil illam potentius destruit, quam si de inanitate et futilitate totius artis mentes solide informentur, nihilque eam praeter ineptas nugas et impia deliramenta continere, luculenter doceatur, technae nebulonum qui credulis imponunt, diligenter detegantur, ars eorum contemtui exponatur, et praecepta exemplo confirmentur fidentis animi, nugas has spernentis non minus quam abhorrentis, ut confidenter existimare discant homines, illa neque se juvari, neque sibi noceri posse.

[6]) Fides quam haec superstitio invenit, facilitate nititur qua praejudicia nobis imponunt nostra, quae nobis turpiter ludificandis auxilium officiose praebent, metu vel alio mentis affectu adjuta minimas res repraesentant ut maximas, fortuitos

Carmina ipsa magica non facillime colligere hominibus licet literatis, quorum fidem suspectam habent superstitionis consulti, metuentes ne fraudem sibi innectant, et apud magistratum postea denuntient, poenas vetitae artis daturos. Accedit quod timere videantur, ne sacra haec carmina, cum profanis innotescunt atque ab iis irreverenter habentur, imo irrisione saepe luduntur, vim suam inde perdant. Itaque raro ea fideliter et sincere non initiatis impertiunt; nec unquam nisi larga vini cerevisiaeque potione prius inebriatis, (vino prudentiam timoremque superante), persuaderi illis potest, ut in chartam conjicienda recitent: quamquam et ubi nulla turbantur fraudis suspicione, carmina sua recitaturi, vini cerevisiaeque haustus poscunt, ut animus sibi audaciaque accedat. Sed quamvis ebrietate graves, tamen ea plerumque loca quae periculosa sibi maxime videntur, callide praetereunt aut mutant. Quae una est caussa, cur quae in hominum literatorum passim conservantur collectionibus ejusdem argumenti carmina, tantopere inter se dissideant, prout videlicet ab ore excepta sunt mystae magis minusve simplicis et sinceri. Deinde, quoniam soli memoriae hi ipsi confidere coguntur, mirum non est, prout ea magis minusve firma utuntur, ita carmina quoque eos

---

casus et aliarum caussarum effectus praestigiatorum arti tribuunt. 99 irritos conatus oblitos centesimi nos successu conturbant, etc. Notum est, sententiam aliquam, nullis nixam rationibus, sola frequenti ejus inculcatione fidem tandem hominum saepe consequi, saepe nos aliorum narrationes assidue repetitas cum nostra experientia confundere, saepe sensuum ipsorum aciem et judicia vehementis persuasionis falli deceptione etc., quorum omnium rationes ex animi humani natura non est difficile repetere. Nefandam de caetero superstitionem eo diligentiore et sollicita magis cura exstirpari debere, quod praeter alia damna et incommoda, Divini nominis aliarumque rerum sacrarum abusum impium et diras exsecrationes foveat, fatendum cuique est: quin fatuos homines subsidium quoque idolorum gentis veterum in carminibus suis invocare, extra dubium est, quamvis obscuras admodum de iis ideas conservent, formulas fere vetustas, quarum ipsi plerumque sensum non assequuntur, recitantes. Imo mali etiam genii dicuntur implorare auxilium, qua de re postea.

magis minusve callere integra; aliis alia addentibus, dementibus, mutilantibus, interpolantibus, mutantibus, quamvis sua cuique plena videantur, intemerata et incorrupta, quod nemo facile consulto ea audeat variare aut corrumpere. Facile tamen apparet, illa inter se conferenti, ex uno omnia fluxisse fonte, et summa contentorum ideisque principalibus convenire; quod in hujusmodi carminibus, e diversis Fenniae provinciis, Carelia, Savolaxia, Ostrobotnia collectis, ipse expertus sum. Corruptionem, in tantae inprimis vetustatis monumenta, non alia quam memoriae, facile labentis, ope conservata, necessario irrepentem, obscuriora etiam illa et multis locis vix intelligibilia reddere, mirum videri nequit. Adde quod in plurimis, mythica illa rerum incunabula, quae narrant, studio plerumque indicantur obscurius; ac mythologiae praeterea priscae Fennicae ratio hodie fere ignoratur, unde munia et attributa idolorum veterum, quorum saepe mentio injicitur, aegerrime explicantur; ut allusiones taceam ad instituta et mores majorum, jam antiquatos. Atque haec obscuritatis nox, verioris etiam lectionis, in illa varietate, definitionem reddit difficillimam. Nonnihil tamen, pluribus inter se exemplis collatis ad integritatem et formam aptiorem illis restituendam posse praestari, experientia me docuit. Quamobrem mirum videri debet nemini, si quae ponentur infra exempla, cum illis quae cuique possint forte esse in promtu, non exactissime et per omnia conveniant; nam nos quidem quod in uno defecit exemplo ex altero supplentes, et secundum regulas criticas singula dijudicantes, quantum valuimus integra dare conati sumus. Interpolationes tamen, post christiana recepta sacra additas, retinendas esse duximus; lectiones etiam alicujus momenti variantes subjecturi. Exempla autem praetulimus quae non modo caeteris minus esse vitiata videbantur, sed etiam adjumenti aliquid ad majorum mores opinionesque cognoscendas praebere. Primum igitur illius generis quaedam adferemus, quod Synnyt vocant. In horum aliis ad naturalem rei ortum manifesto respicitur, licet per mythicas ambages significatum; in aliis

aegre, quo mentem referas, investigare licet. Ad priorem classem hoc carmen pertinet, *ferri natales*, adumbrans, Raudan ſynnyn, quo vulnera ferro inflicta sanari sanguinisque fluxionem sisti putant:

Wuoreſt' on weden ſikiä,	Ex monte aquae progenies [9]),
Tulen ſynnyn taiwahaſta,	Ignis natales ex coelo,
Raudan ſynnyn ruoſteheſta.	Ferri natales e rubigine (ochra?).
Woi ſinuas rauta raucka,	O te ferrum misellum,
Rauta raucka koito kuona [7])!	Ferrum misellum, lucida scoria!
Etſäs ſilloin ſuuri ollut,	Non eras tum grande,
Etſäs ſuuri, eikä pieni,	Neque grande, neque pusillum [10]),
Et kowin koriakahan [8]),	Neque admodum speciosum,
Kuin ſua ſuoſta ſotkettihin,	Cum e palude calcando exturbarere,
Weteläſtä wellottihin,	E molli materia subigendo exprimerere,
Saatihin ſawen ſeaſta [11]).	Eximereris e lutosa argilla.
Woi ſinuas rauta raucka,	O te ferrum misellum,
Etſäs ſilloin ſuuri ollut,	Non tum grande eras,
Etſäs ſuuri, etkä pieni,	Neque grande, neque pusillum,
Et kowin koriakahan,	Neque admodum speciosum,
Kuinſa maitona makaiſit,	Cum lactis instar jaceres,
Nuoren neitoſen niſiſsä,	In adolescentulae virginis uberibus,
Kaſwanaiſen kainaloiſa [12]).	Adhuc crescentis sinu.
Kokonanſa kolme neittä,	Non pauciores quam tres virgines,
Koko kolme morſianda,	Non pauciores quam tres sponsae,
Lypſi maallen maitoanſa,	Mulgebant in terram lac suum,
Tiputti niſuriſtanſa [13]).	Destillabant ex uberibus suis.

---

[7]) Alii legunt koita kuono, alii kuonan kouto vel koito: locus mihi non satis liquidus.

[8]) Alii habent kipuſakahan, *ad iram praeceps, metuendum.*

[9]) Quod montes vapores colligunt, flumina e locis altioribus ad mare decurrunt etc?

[10]) H. e. forma carebas?

[11]) Confirmare hi versus videntur, non aliam ferri mineram majoribus nostris cognitam fuisse, quam e paludibus effossam, cujus purgandi et fundendi morem nec hodie in locis a mari et officinis ferrariis remotioribus rustici ignorant. Sawen ſiſälbä alii.

[12]) H. e. in loco paludoso hactenus intacto, ubi es genitum. Alii kaſwajaimen, quod non capio.

[13]) Mythicae ambages, ad triplex ferri genus adumbrandum, cujus natales e supernaturali quodam principio hic dedu-

Yri lypſi muſtan maidon;	Una mulsit lac nigrum;
Kuka lypſi muſtan maidon?	Quaenam nigrum lac mulsit?
Yri neiʒʏ wanhimmainen;	Una virgo natu maxima;
Siit on tehty melto-rauta.	Inde exstitit ferrum ductile (generosum).
Toinen walkian walotti;	Altera album fudit;
Kuka walkian walotti?	Quaenam album fudit?
Yri neiʒʏ keſkimäinen.	Una virgo mediae aetatis;
Siit' on tehty rääſy-rauta [14]).	Inde ortum est ferrum fragile.
Kolmanen werenſekaiſen;	Tertia sanguine mixtum;
Siitt' on tehtynä teräʒet.	Inde enatus fuit chalybs.
Terääs wanha tenhollinen [15]),	Chalybs olim jam egregius,
Miri weljeſi weriſtit,	Cur fratrem tuum cruentabas,
Ylönkaʒoit yſtäwäſi?	Spernebas amicum tuum?
Rauta Nehki [16]), kulta kilpi 'etc.	Ferri genius, aureo scuto insignis etc.

— — — — — — — — — — — — — — — —

cuntur. De caetero fateor me omnes hujus allegoriae partes quo tendant, non perfecte pleneque intelligere. Niſuʒianſa alii.

[14]) Alii räſä-rauta.

[15]) Alii tenho (l. teno) päiwällinen, quod non intelligo. Locus obscurus, forte mendosus.

[16]) Nomen videtur esse idoli, rei ferrariae praefecti. Vel an verti debet: *ferrum praestabile, aureum (h. e. eximium) scutum (s. praesidium?)* Non liquet.

NARRATIO

PAULI JUUSTEN, EPISCOPI ABOENSIS,

DE

LEGATIONE SUA RUSSICA.

DISSERTATIONIBUS EDIDIT

HENR. GABR. PORTHAN.

(Aboae 1775)

Praefatio.

Legatorum quos Rex JOHANNES III, sceptra capessens Svecica, ad Magnum Principem Russiae, crudelitatis et superbiae fama notum, JOHANNEM BASILIDEM II misit, fata acerba et humanitati jurique gentium adversa, Historici nostrates, quotquot illorum temporum res tractant, indignantes commemorant; in quibusdam licet, ut fieri solet, leviter discrepantes [1]). Hujus itineris et negotii totius plenam atque accuratam expositionem, a capite ipso infelicis Legationis, Rev. quondam Fennorum Episcopo M. PAULO JUUSTEN literis consignatam, Regiaeque Majestati post reditum exhibitam, luce dignam publicae existimavi. Rarum monumentum et antea non editum (antiquioribus licet Historicis nostris, qui sua hac de re inde derivasse videntur, haud ignotum), pro eo quo in literas, et Patriae maxime res illustrandas fertur studio et affectu, hoc consilio mecum benigne communicavit B. Auctoris post bina saecula in munere successor, Ecclesiis jam musisque nostris Fennicis brevi desiderandus, Reverendiss. Dn. Archi-Episcopus et Pro-Cancellarius D. CAROLUS FRIDERICUS MENNANDER; eoque potius edendum censui, quod et mores rationemque temporis illius illustrat, et fata tangit viri de Fennia nostra meritissimi. Narrationem Auctoris damus integram, parte nulla vel addita vel resecta. Sphalmata quaedam exscriptoris manifesta, leviora tamen etiam illa, correximus,

[1]) Cfr. GIRS K. Johan III Chrönika p. 3, 6, 31 sqq. PETREJUS Regni Muschovitici Sciagraphia, L. II p. 42 sqq. MESSENIUS Scond. Illustr. T. VII p. 1 sq. et 6 sq. LOCCENIUS Hist. Svec. L. VII p. 382 sq. VON DALIN Svea Rikes Hist. III Del. II Band, C. 12, § 2.

orthographia quoque ad constantes leges revocata. Notis onerare noluimus, quibus nec magnopere egere putamus. MSS. ipsum foliis constat XIX, quartae formae, notas haud dubias fidei et antiquitatis praeferens, duplici tamen manu exaratum, luculentiore altera, altera correctiore; quarum neutram tamen Auctori ipsi, rationibus destituti idoneis, asserere audemus.

Ad vitam Rev. Auctoris quod attinet, nihil nobis suppetit quod notissimis aliorum laboribus addamus [2]). Molestiis et aerumnis fractus, post reditum a tristi Legatione, non diu superstes vixit. An praemia quaedam tulerit fidei in Regem et Patriam insignis, laborumque et vexationum eo nomine toleratarum, certo haud constat. Non tamen caret verisimilitudine, nobilitatis honore a Rege JOHANNE fuisse ornatum. Sane figuram insignium, effigiem hominis nudi, flagellum manu tenentis (in memoriam, ut videtur, perpessarum aerumnarum), in splendida sua effigierum et Tabularum aeri incisarum collectione servat Reverendiss. D:nus Archi-Episcopus, a Cancell. Regiae Consiliario et Histor. ad Reg. hanc Academiam Professore M. ALGOTHO SCARIN olim sibi dono datam, affirmante, illa insignia fuisse Episcopo quondam Aboënsi PAULO JUUSTEN concessa; et firmat mitra Episcopalis, inter duo flagella, scuto superimposita. Hanc igitur figuram, minuta forma aeri incisam, adjunximus (N:o 1); quamquam ignorantes et unde eam Cel. SCARIN acceperit, et quibus rationibus sententiam suam superstruxerit. Reverendissimi ejusdem Maecenatis beneficio, duo etiam sigilla b. Episcopi JUUSTEN adjecimus, literis ejus autographis adpressa, die 11 Sept. anni 1572 (N:o 3) et die 3 Maji a. 1574 (N:o 2) exaratis; quorum posterius illud, hominem etiam nudum, crucem manu gestantem, scuto inclusum repraesentans, assertioni Cel. SCARIN egregie favet. Annorum quoque ratio idem confirmat. Liberos autem et progeniem, quibus ista potuerit transmittere ornamenta, an b. Episcopus reliquerit, nobis plane ignotum est.

---

[2]) Vid. RHYZELII Episcoposc. L. VII C. III p. 346 sq.

N:o 1.

N:o 2.

N:o 3.

Porthans Skrifter III, pag. 386.

Acta Legationis Muscoviticae, per Paulum Juusten Episcopum Aboënsem breviter comprehensa.

Si complacuerit Regiae Majestati, Domino meo Serenissimo et Clementissimo, attento lectori haec perlegenda et suae Majestati referenda committat.

Jeremiae 10. Scio Domine, quod non est hominis via ejus, nec viri dirigere gressus suos.

Non est velocium cursus, neque fortium victoria. *Ecclesiast. 9.*

Anno Domini 1569, Julii 13. Itinerarium Legationis Ruthenicae, quae mihi una cum aliis prius deputatis mandabatur 3 die Coronationis Serenissimi Domini nostri Regis Johannis.

Quae Legatio ut felix faustaque sit toti Regno Sveciae, et omnibus ejus incolis tranquillitati diuturnae, oro Deum omnipotentem in Christo Jesu ejus dilecto filio!

Tota illa septimana Regiae Coronationis, mansi una cum aliis Upsaliae, exspectans donec pararetur Instructio Legationis: finito octiduo, sequutus sum Regiam Majestatem ad Svartzöö, ibique commoratus sum diebus aliquot; ubi tandem Julii 21 accepi Instructionem Legationis, una cum litteris ad Magnum Principem Muscovitarum, simul cum aliis litteris ad Dominos Commissarios Holmiae degentes de indumentis a Regia beneficentia mihi in usum Legationis donatis.

Elabebantur interim jam duo aut tres dies, quibus mihi necessaria itineris procuravi: relicta Holmia 24 Julii, vectus sum Abo versus, ac transscenso magna difficultate mari Olandico, collisa est navicula mea vi ventorum non procul a Landsudd (ut vocant), quod reputo fuisse primum omen infelicis legationis. Julii 30 in aliorum navicula perveni Abo, ibique quam citissime procuratis dispositisque rebus domesticis, mansi usque ad 9 Augusti, quo die vesperi vehebar inde cimba ad *Pargas*, deinde versus Helsingforsiam, perveniendo Viburgiam 22 Augusti quae erat Dominica II

post Trinitatis; ubi quantum ad necessaria attinet alebamur quidem mediocriter, sed cerevisia erat nimis tenuis et homini male conveniens. Viburgiam reliquimus 2 Septembris; inde enim ante proficisci non licuit, propter negotia legationis, et colloquium cum Johanne Laurentii viro praestanti et nobili, qui praeteritis annis Ruthenos saepius inviserat. Ex *Kiveneb* discessimus 6 Septembris, non dum enim advenerat deductor Ruthenicus qui nos exciperet, Sept. 7 transcendimus fines Ruthenicos, et apud *Systerbeck* excepit nos, nomine principis Muscovitarum *Bogdan* praefectus arcis Nötheborg; ea die pervenimus ad *Purmuselke*. Interim in itinere accepimus nuncium de adventu deductoris missi ex Novogordia, cui nomen erat *Aphanasio:* illi adjuncti erant comites 23 fere, quidam nobiles, quidam plebeji ministri. Venerunt illi nobis obviam paullo ante quam divertimus ad hospitium, comprecantes nobis salvum et felix iter, et promittentes vecturam publicam, cum aliis necessariis victus, more antea consueto, sicque simul equitabamus in hospitium.

Sequenti die quae erat 8 Septembris, direximus iter nostrum versus Nötheborg; cum autem jam duo milliaria confecissemus, procuravit deductor noster Aphanasius offerri nobis in via aliquid vini sublimati, cum mulsa Ruthenica, et fragmentis panum melle pistis. Erat eo loco Monasterium Rusticum; ibi monachis occurrentibus, et mendicantibus donavimus ex Regia pecunia 4 marcas; deinde continuando iter pervenimus Nötheborgam, et statim post adventum nostrum advenerunt milites adolescentes ejusdem arcis, adferentes secum cantharos plenos cerevisia et mulsa triplicis generis, et nonnihil vini sublimati. Remisimus vero praefecto arcis cantharum plenum cerevisiae pruthenicae, cum alio cantharo vini quod Viburgiae emimus.

Altera die quae erat 9 Septembris, pervenimus ad hospitium *Nazid;* inde profecti sumus 10 die ejusdem mensis ad vicinum exactorem, distantem 6 miliaribus a priori, nomine *Sapochin.*

Undecima die, quae erat 14 dominica post Trinitatis, pervenimus ad diversorium *Valzi;* die lunae ad *Ditsla*, die

martis ad *Lutski:* Eo die mane cum lento gradu equitando progrederemur, provolvebatur equus meus praeceps in terram, quae omnino plana et solida erat; (quod etiam mali ominis signum esse putabam). Die mercurii, quae erat olim dicata Exaltationi Crucis, pervenimus Novogordiam: in itinere, quod alioqui erat lutosum, remorabatur nos noster deductor et Pristavus; retinuit enim ne prius properaremus ad magnam illam urbem, quam sibi constaret de illorum adventu qui nos exciperent nomine Magni Principis Muscovitarum et Commissarii Novogordensis, cui nomen erat Knesz *Petro Danilevitz Bronsko.* Advenerunt tandem 3 equis vecti qui nunciarunt illos statim adfuturos, qui nos Magni Principis et ejus Commissarii nomine exciperent. Interim nos urbi magis ac magis pedetentim appropinquavimus, factis nobis obviam tribus Bajoribus cum reliqua turba comitum, qui omnes more Ruthenico erant splendidius induti. Horum quaestio erat in congressu, utrum nobiscum omnia salva essent? utrum in monarchia Magni Principis consequeremur necessaria victus aut alia quibus nobis in itinere opus fuit? Respondimus, Dei beneficio omnia nobiscum se prospere habere, et necessaria vitae pro mediocritate consecutos fuisse. Illi e contra ajebant se ideo egressos esse, ut nos debita reverentia exciperent, ac in urbem deducerent, comprecantes ut Deus utrique imperio Ruthenico et Svevico pacem largiatur et tranquillitatem. Nos vicissim gratias egimus Caesari Ruthenorum nec non Commissario Novogordensi, quorum mandatis hoc honore afficiebamur, ac in urbem deducebamur. Dedimus quoque illis spem amodo fore, Deo volente, ut et Ruthenorum legati, si quando regiam Majestatem essent invisuri, non minori pompa a nostratibus debeant excipi. Sicque inducti fuimus in urbem, uno Bajoro a dextris altero a sinistris, me vero in medium collocato, coëquitantibus. Hospitia nobis erant parata in ea platea quae a coriariis nomen habet: ubi etiam superioribus annis alii Svecorum legati sunt commorati. Illo vesperi sero admodum nobis necessaria victus et potus adferebantur.

Acta Novogordensia.

Sequenti die, quae erat 15 Septembris, accessit nos noster prior Pristavus, cum interprete suo, petens ut ascenderemus ad colloquia Domini Commissarii; quibus respondimus, nos nihil habere in commissis, ut cum ejus Dominatione aut colloqueremur aut ageremus, nisi prius salutato Magno Principe et Caesare Muscovitarum, et propositis illi negotiis quae Regia Majestas nobis peragenda concredidit. Reversus fuit ille tali responso accepto ad Commissarium, qui eo audito contentum se non praebuit. Quare iterum atque iterum eundem Pristavum, comitatum aliquot Bajorum filiis jam adultae aetatis, statim ad nos remisit, illud ipsum repetens, ut ad Ruthenici Caesaris Commissarium venire non dedignaremur. Dixit enim eum habere de quibus nobiscum colloqueretur, quaeque utilia et necessaria forent utrique populo, tam Ruthenico quam Svevico. Respondimus illis, nos non esse tam stupidos, ut non discernere possimus inter personas et officia superioris aut inferioris potestatis, unicuique suum jus tribuendo. Et addidit Matthias Schubert, non esse consuetum, neque apud Tabellarios magnorum principum, multo minus inter Legatos, ut de negotiis suis cuiquam divulgent, antequam eo pervenerint quo a suo magistratu sunt transmissi; injuste ergo illos petere, ut praeter decorum nostrae legationis, illorum condescenderemus petitioni. Respondit Pristavus Ruthenicus cum sociis suis, Dominum Commissarium velle denegare nobis liberam profectionem, sed debere detineri Novogordiae, quia videbamus nostra inobedientia nonnihil derogare ejus auctoritati. Nos vicissim respondimus: perinde esse sive detineremur sive ablegaremur, tamen non cessuros esse a nostra sententia. Jam diu enim didicimus, Caesarem et Magnum Principem Ruthenorum multis parasangis sua excellentia et dignitate antecellere omnes Bajores et Woivodos. Ideo nos minus recte aut juste facere, si nos summo capiti alia inferiora membra anteferremus aut aequaremus. Post vero auditam causam, et libera dimissione accepta, libenter

promisimus nos Domino Commissario morem gesturos, si aut prandio aut colloquio nos vellet excipere. Hoc responso accepto, rursum redierunt ad arcem; quo die nihil praeterea actum est. Petierunt autem ut in arce Commissarium inviseremus, aut ex ambitione Ruthenica ac cupiditate vanae gloriae, ut inde sibi abblandirentur, quod nos illis subjecerimus, aut fortassis explorantes nostram ea in re levitatem.

Vesperi die Michaëlis archangeli, rursum convenit nos noster Aphanasius, cum aliis quibusdam sibi adjunctis, flagitans a nobis ut sequenti die arcem ascenderemus, colloquuturi cum Praeside arcis: sed eo vesperi nihil certi illi responsum est, propter impedimenta quaedam.

Rediit igitur 30 Septembris mane, urgens priorem suam petitionem; sed rejiciebamus eam propter priores rationes, dicentes: nos nihil habere in mandatis de quo ageremus cum Praeside arcis, sed tantum emissos esse ad Magnum Principem et Caesarem Muscovitarum, quo si non daretur libera profectio, ut apud ejus Majestatem ageremus de negotiis concreditis, remitterent potius nos in patriam, donec Magno Principi daretur major occasio admittendi Legatos Regni Sveciae. Ideoque Praesidem arcis Novogordiae frustra petere, ut ad se veniamus. Haec fuit summa colloquii ejus diei. Spargebatur praeterea illo occiduo certa fama de morte conjugis Magni Ducis Ruthenorum, et arbitrabantur quidam nos non debere admitti ut continuaremus iter inceptum, antequam exacti essent dies luctus post defunctam Dominam Principem.

Sequenti die Dominica, quae erat 2 Octobris, fiebant in arce Novogordensi parentalia Magni Principis, seu potius, (ut quidam existimabant) exsequiae defunctae Conjugis, idque duobus continuis diebus. Primo enim die convocabantur pauperes civitatis, sequenti die Sacerdotes et monachi, quorum illic magnus dicitur esse numerus. Ubi vero Praeses arcis animadvertit, nos nolle deflectere a sententia, ut eum vel salutandi vel colloquendi gratia inviseremus, remisit Tabellarium suum Muscoviam de nostra pertinacia;

interim suspendebatur tota nostra actio ad 16 Octobris, quo Tabellarius dicitur rediisse. Ab illo die diminuebantur nobis necessaria cibi et potus et aliarum rerum: dimidio enim minus nobis in omnibus fere postea conferebant. Hoc ipso tempore spargebatur fama de quibusdam Legatis qui adfuturi erant ex Livonia; quidam eos arbitrabantur esse Danos, mittendos in Muscoviam, nonnulli vero asserebant esse Livonienses, qui ex nobilibus et civitatibus defecerant in tutelam Magni Principis Ruthenorum, idque consiliis et suasu *Iffvan Tuue* et *Lenartt Krwsen* [3]) nobilium Livoniensium, qui ante aliquot annos nomen dederant Caesari Ruthenorum, suscepta etiam eorum fide et religione: idque sic verum esse eventus postea comprobavit. Nam circiter undecim millium virginum advenerant ipsi Novogordiam, bene vestiti atque ornati, (ut nobis referebatur) et postea 25 Octobris profecti sunt Muscoviam versus, quorum comitatus constabat 34 sociis. Quod autem non fuerint Dani, inde facile colligi potuit, quod in exitu dicebantur omnes induti esse veste et habitu Ruthenico. Illi fortassis retulerunt Muscovitis, utrum inter Danos et Svecos actio belli esset composita.

Decima nona mensis Octobris, convenit nos rursum Aphanasius Pristavus noster, cum aliis sibi adjunctis. Expostolavimus cum eo mane ejusdem diei, quare diminuta essent nobis victualia, aut quare nobis sit factus obviam in finibus, promittens nobis nomine Magni Principis Muscovitarum, non tantum liberam profectionem, sed etiam alia necessaria quibus opus habebamus ad iter illud conficiendum? Ad quid etiam obviam nobis sunt facti nobiles isti Ruthenorum, *Schurat Onizsku et Iffvan Uzskou*, cum Novogordiam appropinquaremus, pollicentes nobis ea quae spectabant ad viaticum nostrum? Quare nunc et nos et comites nostri, diminuto dimenso diurno deberemus affligi, praesertim penuria potus, tam in cerevisia quam mulsa? Nullus enim

[3]) *Joh. Taube et Elerdum Cruse* vocat *Kelchen* Liflandiſche Hist. IV Th. p. 284 sqq. Cfr. tamen *Messenii Scond.* T. *VII p. 17; Loccenius l. c. VII p. 4.*

nostrum unquam antea consuevit aqua sitim restinguere, nisi magna necessitate cogente, idque non continuo. Respondit Pristavus, se emissum fuisse a Commissario Novogordensi, qui jam omnia nobiscum agit juxta mandatum et litteras Magni Principis, ideoque auctoritatem suam hic jam desiisse. Ad haec illi respondimus, Serenissimum et Clementissimum nostrum Regem non accepisse literas deductitias, quibus nobis iter salvum promittebatur, a Commissario Novogordensi, sed ab ipso Magno Principe Ruthenorum, cujus consensu et beneplacito nos ejus ditionem ingressi sumus; et simul offerebamus tenorem earundem litterarum Ruthenice scriptum, petentes ut tantum nobis libertatis concederetur in hac nostra profectione, quantum illae litterae continerent. Illis perlectis, praecepimus ut eas deferret legendas Commissario arcis, neve ille nos defraudaret jure nobis in illis litteris concesso; sed recusavit se illas velle praesentare, neque satis audere: cum prius constaret sibi fortassis, quod eae nobis datae essent. Adjeci et ego hoc, si non auderet ferre litteras proprii sui Domini, quanto minus nostras qui sumus peregrini? Aut quomodo satisfaceret officio et nomini suo, si dedignaretur, aut non auderet referre nostra negotia et colloquia nostra necessaria Domino Commissario? Pollicitus tamen est tandem (quantum illi liceret) se de his omnibus acturum. Postremo ne nostris comitibus deesset quo sitim restinguerent, petivimus ut nobis concederetur facultas emendi pecunia nostra villum, quod illi Quaz vocant. Hac de re, inquit ille, inter nos deliberabitur. Sed nos nihil nostra honesta petitione effecimus, tantum surdo narravimus fabulam. Eramus enim 57 numero, quibus vix una tunna cerevisiae et duae urnae mulsae in singulos dies conferebantur: inde militibus non multi haustus cuilibet in prandio aut in coena distribuebantur: cogebantur eam ob rem multi e comitibus nostris saepe sitim aqua propellere. Nos in usum illorum libenter emissemus Quaz, sed non erat nobis concessum, nec licuit cuiquam de nostris egredi portas curiae, pro emendis necessariis, quia tam arcte custodibus publicis inclusi reti-

nebamur, neque totis illis 14 diebus convenit nos Pristavus noster, cujus officium erat ut defectus et necessitates nostras ad Commissarium arcis deferret, et nobis inde responsa referret. Transegimus igitur 14 illos dies non in abundantia, sed in quadam deficientia potus: cibum tamen pro mediocritate et vitae necessitate accepimus.

Advenit jam dies omnibus sanctis dicatus, quo nobis adhuc prandentibus, accessit nos Pristavus noster cum aliis duobus viris jam senio confectis, qui custodiae praeerant, petentes a nobis catalogum comitatus nostri, et praesertim quot ministri singulis essent adjuncti, et quo essent nomine. Respondimus Bajorum filios qui comites erant Pristavi, aliquoties, non procul a finibus, inter equitandum notasse numerum nostrorum, qui adhuc salvus est et integer, nullo demto. Quod vero cuperent rescire quot ministri nobis singulis Legatis famularentur, diximus non esse opus ut illi de his perquirerent; unius enim Regis et Domini subditi eramus omnes, tam Legati quam milites et famuli nobis adjuncti. Fecerunt igitur hoc fortassis ut nos ab invicem aliquando divellerent, et velut captivos seorsim concluderent. Recepimus nihilominus ut comitatus noster in ara conveniret, ubi adfuit scriba Ruthenicus cum Pristavo et aliis, notantes singulorum nomina; cum autem reperti essent non plures quam 57, sicophantice lamentatus est Pristavus quasi unus ex numero nostrorum deesset, seque propterea perditum iri: nos contra negavimus ullum abesse de iis qui nos ultra fines Ruthenorum sunt sequuti: neque esse opus ut illa ratione quaererent sibi ansam circumveniendi nos. Hac disceptatione peracta, discesserunt: nobis vero sequenti die, quae erat commemoratio animarum, nihil cibi aut potus adferebatur; tantum ex propriis paravimus nobis tenue jentaculum, cum ultra duodecimam jejunaremus.

Sumto illo jentaculo, advenerunt quidam ex arce, qui nos antea non inviserant, emissi a Domino Commissario: alter eorum erat interpres Germanicus, vir ut nos conjiciebamus non malus, alter vero de nobilibus Ruthenicis. Hi nos mandato Commissarii interrogabant, quid egissemus de

uno famulorum nostrorum, et quare sublevaverimus dimensum diurnum in ejus usum, qui nusquam comparuit? Respondimus nos neque plures neque pauciores adesse, quam tunc cum fines transcendimus Ruthenicos; et adjecit Matthias Schubert: si bonis rationibus probari potest, quod aliquem ex nostris clanculum amandaverimus, aut alioqui occultare vellemus, nos non tantum velle privari jure, et libertate Legationis nostrae, sed etiam omnia nostra bona praedae exponere et de vita periclitari. Quid enim ad nos, utrum res Ruthenorum aut prosperae essent aut adversae? Nobis aliam incumbere sollicitudinem, ut videlicet pax et tranquillitas inter utrumque Regnum non tantum renovaretur, et confirmaretur, sed etiam bonis mediis prolongaretur. Quamobrem Dominum Commissarium frustra calumniis et cavillationibus studere. His auditis egressi sunt ut numerarent et viderent comitatum nostrum, qui neque major neque minor erat solito, atque sic reversi sunt in arcem: nobis vero nihil ultra consuetum, aut in potu aut in victu addebatur, sed omnia fere tardius quam par fuit, postea accepimus.

Novembris denique 20, quae erat 24 Dominica post Trinitatis, facta est mutatio Pristavorum, deposito priore Aphanasio, propter aetatem ingravescentem, et curam negligentius de nobis habitam (sic enim praetexebant); erat tamen vir modestus, gravis, et tranquillitatis amans. Illi successit alius Pristavus, cui nomen erat Posdi Iffvanevitz Parski. Hic primo illo die mane ante concionem habitam, petiit a nobis ut videret et rescriberet totum nostrum sodalitium, quod mandato Magni Principis et Domini Commissarii testatus est se facere. Ille etiam ademit sociis nostris tres domos, compellens ut arctius cohabitarent. Reliquit enim nobis tantum 3 Ruthenicas curias, cum antea haberemus 6.

Huru Staketedh bleff upreeſt om oſs.

Illo die advenit magna multitudo Ruthenorum, quorum quidam adferebant trabes ingentes, amplius quam 5

cubitorum, quidam fodiebant foveas per circuitum habitationis nostrae, in quas ordine erigerent trabes allatas. Duravit istud opus a die Dominico proxime notato, usque ad sequentem diem Dominicum, ut esset area tota circumcincta erectis altis trabibus 496, ubi commorabamur, ne cuiquam concederetur aditus ad colloquia, neve legatorum ministris egressio ex area, quia tam ignominiosae custodiae eramus inclusi. His diebus diminuebatur de dimenso nostro diurno duo agni, unus anser, olera cum pisis: similiter et avena quam habuimus ad equos alendos, et sodalitium nostrum alternis numerabatur diebus, ut ea ratione nos majori afficerent ludibrio.

Die martis ejusdem septimanae, quae erat 22, deinde etiam 24 Novembris, interrogavit nos Pristavus ironice, num vellemus ascendere ad Dominum Commissarium, ut ageremus de majori nostrorum libertate? Cui respondimus, nos aequo animo ferre istas Ruthenicas vexationes, sed ad Commissarium diximus nos non accessuros, nisi ille affirmaret se habere auctoritatem, mandatum et commissionem plenariam a Magno Principe agendi nobiscum; si illis careret, non esse opus ut prius negata a nobis urgeret: mos enim est Legatorum Sveciae, ut prius invisant Caesarem Ruthenorum, quam quidquam agant cum ejus Senatoribus officialibusque; idque nos exspectasse jam 10 septimanis, non sine crebra et multiplici divexatione nostri. Initio mensis Decembris referebant quidam, Magnum Principem non curare aut magnifacere legatos Svevicos, nec velle admittere eos Muscoviam pro peragendis negotiis, sed illa debere examinari Novogordiae, si modo legati vellent acquiescere ejus voluntati; si autem nollent, fore illis liberum ut infecta re abirent: perinde enim esse Ruthenis, utrum confirmetur pax aut revocetur bellum. Nec Caesarem Ruthenorum magnopere curare aut metuere, si duo Reges Polonorum et Sveciae foedere quodam conjungerent se contra Ruthenum, qui se putat non tantum posse resistere, sed etiam bello illos superare. Fama quoque fuit, quod nostrum etiam nomen odiosum esset Magno Principi, qui dicebatur neque ferre

velle ut tantum mentio fieret legatorum Sveciae, cum prioribus annis Sveci eum tot mendaciis et inanibus promissis circumvenerint. 2 Decembris accepit quidam de nostris litteras de quodam Rutheno: Magnum Principem colligere exercitum, quo statuit invisere Finlandiam vel Livoniam, licet quidam negaverint id nondum posse pro comperto haberi. 3 Decembris convenerunt nos denuo duo Secretarii Caesaris Muscovitarum, qui sunt Commissario a consiliis, magnae existimationis viri, prout nobis videbantur; (uni erat nomen Michita Jörievitz Zelepin, alteri Bogdan Phedorovitz). His ingredientibus cum comitatu non exiguo, displicebat primum, quod illis tanquam Magni Principis nunciis non assurrexerimus: deinde stantes per interpretem Germanicum interrogabant nos, quid fecerimus aut quo ablegaverimus unum ex famulis nostris, qui desiderabatur in comitatu nostro, de quo etiam aliquoties ante quaesitum est per alios, mandato Domini Commissarii? Respondimus nullum abesse ex nostris qui fines Ruthenicos transcenderunt, sed omnes hic una incolumes adesse, Dei optimi maximi beneficio, neque nos huc missos esse quasi exploratores, sed tanquam legatos quibus concredita essent publica negotia Serenissimi et Clementissimi Domini nostri Regis. Non ergo fuit operae pretium ut aliquem clanculum ex nostris quoquam remitteremus. Petierunt deinde, ut denuo rescriberetur totus noster comitatus, quod factum est ipsis stantibus in gradibus domus, et singulos perlustrantibus, ac rescire cupientibus cui ex legatis unusquisque adjunctus esset, quive publico aut communi fungerentur officio. His peractis discesserunt omnes. Postremo, ex quo totis tribus mensibus cum dimidio, ex multorum relatione tam publice quam privatim intelleximus, nobis non patere nec concedi liberam profectionem ad Magnum Principem Muscovitarum, coacti et praeter arbitrium remisimus de priori nostra pertinacia, mutavimusque sententiam, nos videlicet velle proponere negotia nostra hic Novogordiae apud Dominum Commissarium et eos qui sibi adjuncti erant, ut illi ea referrent Caesari Ruthenico. Coarctabamur enim undique, non tantum dimi-

…xstructa clausura et captivitate: me… …collecto exercitu irrueret in Finlandiam, … vastaret, sicut dicitur minatus fuisse. … quae erat 2 Dominica Adventus, acces… …Ruthenus mane, emissus a Secretariis qui …advenerant, interrogans utrum eo animo es… …mus cum negotiis nostris invisere Commissa… …imus nos sic statuisse, quandoquidem frustra …spectaverimus accessum Caesaris Ruthenorum: …interrogavimus utrum Dominus Commissarius ha… …mandatum suscipiendi a nobis munera Regia et pri… …nostra? Ille incertus harum rerum, dicebat se haec re… …Domino Commissario, qui statim a prandio dieba… …misisse tabellarium Muscoviam, ut de his omnibus cer… …redderetur. Interim elabebantur multi dies, quibus ni… …nobiscum actum est: atque tantum de actis anni 1569.

Sequitur nunc Annus Domini 1570, continens Epitasin nostrae Tragoediae et infelicis legationis.

Initio mensis Januarii magis ac magis certa spargebatur fama, Magnum Ducem Muscovitarum non procul abesse a Novogordia. Illi vero qui nos sua hipocrisi circumvenerunt, injecerunt nobis spem, omnia post dies aliquot in bonum deduci finem: jam enim illos advenire, qui negotia nostra essent examinaturi, et nos tandem voti compotes in patriam dimissuri. Nos illorum blandis illecebris partim credidimus, partim suspensis eramus animis. Advenit jam dies trium Regum, et nobis mane ad Divina officia apparantibus, accesserunt nos duo ex arce emissi, *(interroganles)* utrum cras, quae erat 7 Januarii ascendere vellemus arcem, sicut antea promiseramus? Diximus nos, Deo duce, paratos fore ubi vellent. Precibus igitur sequenti die publice habitis, ut ascensus ille nobis foret bono, exspectavimus ad prandium usque jejuni: pertraxerant enim nostri procuratores nos in eam spem, quod ibi pranderemus, ideo non esse opus apparatu aliquo domestico. Advenerunt tandem

vehicula et milites qui nos deducerent: ego meum deductorem Gregorium habui a dextris residentem, in suo peculiari vehiculo, alii similiter legati habuerunt suos similiter a dextris: quidam ex nostris equitabant pròpriis nostris 5 equis. Ubi jam ad arcem appropinquaremus, relictis vehiculis pedibus reliquum iter confecimus, circumstantibus utrimque bombardariis Magni Principis, hominibus et vestitu et alioqui specie contemptis. Erat turba illa sic circumfusa usque ad ostium domus in quam deducebamur, unde nobis duo prodibant obviam, qui nostro adventui ironicos et ex corde falso congratulabantur, nosque in domum praecesserunt, ubi collecti erant Commissarius cum aliis Ruthenorum proceribus, ex quibus multi conspiciebantur armati et velut ad proelium accincti, non ad legatorum negotia tractanda. Quibus in genere salutatis, exorsus est narrationem suam Matthias Schubert (interpres enim erat Germanicus) sicut ea nobis praescripta erat in Regia instructione. Commissarius prorsus tacebat. Sed cum intelligerent, omissa salutatione praeteriri Commissarium, interturbare recitantis narrationem, objurgando annon agnosceremus Commissarium pro Regis nostri fratre aut consimili, prout antea moris fuerat? Petivimus nos, ut sinerent eum proloqui, nec impedirent, cum ex sequentibus facile intelligerent quid vellemus. Additis ergo aliquot dictionibus ad prioris narrationis initium, coeperunt magis ac clarius interstrepere, jubentes ut quam primum ejiceremur. Apprehenso igitur brachio singulorum propellebant nos e domo: et ut festinarent nobiscum, surrexit quidam poliphemus gladio accinctus, qui cum aliis consilium iniit. Post hanc ignominiosam ejectionem, venimus ad priora nostra vehicula: caeterum, cum pauxillulum progrederemur, insequebantur nos quidam clamantes ut reverteremur. Hi detrudebant nos ex vehiculis, ac pugnis percutientes, protrudebant nos, donec veniremus ad aliam quandam domum, a latere orientali sitam. Et nobis retro mensam adactis, reliquis vero comitibus nostris in posteriorem partem domus collectis, perlustrabant nos singulos, detractis et ablatis omnibus quae nobiscum

habebamus, in annulis, catenis aureis, pecunia et omni reliquo ornatu. Inde nobis egressis et ejectis, quilibet nostrum loro constringebatur, et depressis ad latera manibus, commendabamur equitanti Rutheno, qui apprehensa lori extremitate, jussit nos currendo subsequi, et quoties equum in gyrum vertit, saltavimus et nos in gyrum, licet tunc constricti. Tanta ignominia afficiebamur in conspectu maximae multitudinis, quae ubique referta erat in plateis. Cucurrimus igitur sic ad diversorium usque, quod distabat ab arce plus quam quadrante unius milliaris; nec sic finis erat ignominiae. Postquam enim in hypocaustum ascendimus, literis mandabantur munera tam Regia quam nostra, quibus Magnus Dux Ruthenorum erat adornandus, et quicquid prius abstulerant ab unoquoque nostrum. Deinde detractis caligis et omnibus aliis vestimentis, ad indusium usque denudabamur, et protrahebamur nudi in conspectum eorum qui ibi aderant, deridendi, podice et anterioribus ostensis; post hoc triste spectaculum, mandarunt ut indumenta nostra reciperemus. Simili ignominia affectum est et sodalitium nostrum in arce domus, detractis vestimentis eorum et inclusis in cameram quandam quae alicujus valoris erant. Auferebant deinde secum cistas nostras in arcem, quas ibi triduo retinebant; eas postea exhaustas auro, argento, vasis argenteis, Joachimicis et moneta Svevica, recepimus. Illo triduo prohibitum erat ne ingrederemur in hypocausta nostra in quibus mansimus antea, sed omnes in uno domo inferiori nos more damnatorum hominum contineremus, et sodalitium nostrum in alia quadam parva domo, omnes una sicut sues in hara. Deus novit quanta cordis moestitia et amaritudine illud triduum in pane et aqua traduximus, expectantes mortem et extrema supplicia.

Post triduum, quod erat 10 Januarii, accessit nos novus quidam Pristavus, cana barba, cui nomen erat Gregorio Gregorievitz; is nobis mandato Magni Principis renunciavit, quod haec pateremur ideo, quia legati Magni Principis, Iffvan Michalevitz cum suis, spoliati sunt Holmiae, cum Johannes Rex primum potiretur urbe Holmensi. Item

quod contemserimus ejus Commissarium Novogordensem, nec ei praesentaverimus nos et negotia nostra (habebamus enim in commissis ut haec faceremus); quantum vero attinet ad indumenta, tam nostra quam sociorum, dixit Magnum Principem ex gratia ea nobis restituisse, ut nos Muscoviam deduceret. In toto illo itinere misere habebamur; non enim tanquam legati, sed velut captivi et facinorosi eo deducebamur; panis erat furfureus, aqua hiemalis sitim propellebat, vigiles singulis noctibus fumum faciebant in hypocausto, ad interturbandam requiem. Omnes, quoties proficiscendum fuit, diligenter numerabamur; similiter quoties ad hospitia divertimus. Tam calamitosa et ignominiosa erat nostra profectio, quam confecimus tribus septimanis. Pristavus enim intentus erat ad suas rapinas in itinere. *Tantum de actu Novogordensi; nunc sequitur actus Muscoviensis, aeque tristis et flebilis.*

Ad Muscoviam pervenimus ultima Januarii, anni 1570. Ibi non multo lautius alebamur, quam antea in itinere. In usum enim sodalitii nostri, pro personis singulis numerabantur tantum tres deningi Muscovienses; nobis vero legatis, qui eramus 4 numero, singulis septem deningi. Hac pecunia emebant procuratores nostri Ruthenici quantum volebant, non quantum debebant; saepe quoque defraudabant nos nostra portione, sibi ipsis magis consulentes quam nostro exilio. Facile autem intelligit unusquisque, quam misere inde viximus: illa enim eleemosyna quae alioquin captivis solet dari in Ruthenia, parari et emi debebant omnia necessaria victus, mensae et culinae, candelae, ligna et putridum illud villum quod ipsi Quaz vocant. Erat quoque eo tempore usque ad messem fames magna in tota fere Ruthenia, adeo quod plurimi eorum contabuerunt et mortui sunt prae fame, in plateis et passim in viis. Multi nostrorum prae fame vestimenta sua vendebant, quidam ab invicem mutuati sunt pecuniam, quae apud paucos reliqua erat; non enim sufficiebat eleemosyna illa sodalitio nostro, nisi ut semel tantum in die pararetur coena: ex reliquiis vero non prandium, sed tenue jentaculum sumendum fuit, quia

necessaria illa victus circiter horam prandii nobis adferebantur. Inter carnes equinas et pecudum discrimen non semper observari potuit, necessitate ad id nos compellente: neque negamus quin attulerint nobis morticinas et cadavera pecudum vernalium, quae propter obscoenitatem intacta reliquimus. Illa ratione transegimus totum vernale tempus et aestatem una. DEUS misericordiarum pater interim suo verbo et omnipotentia nos incolumes servavit, sicut scriptum est: Non in solo pane vivit homo etc.

In mense Februario, Martio, Aprili, Majo, nobiscum prorsus nihil actum est, absente adhuc Magno Principe, qui post ferias Philippi Jacobi Muscoviam rediit, et elapsis aliquot diebus, legatorum Poloniae, (qui eo dicuntur venisse initio mensis Martii) negotia suscepit examinanda. Junii prima, juxta mandatum Bajorum Muscoviensium ascendimus arcem, nullo adhibito apparatu: deducebamurque in domum Cancellariorum, ubi erant duo primarii Secretarii: nobis vero ingressis, porrigebant dextras, et simul alter eorum, nobis sedentibus, exorsus est colloquium, videlicet, Magnum Principem cum suis Senatoribus exacte intellexisse negotia quae nobis a nostro Rege et Domino commissa sunt, eo quod litteris comprehensa essent in nostra Instructione. Sed haec omnia dixit propemodum in somniis esse congesta, cum Dominus noster Rex ea peteret, ad quae nunquam antea Ruthenorum Caesar consueverat annuere. Quod autem novissime ultra majorum consuetudinem sic sit factum, ut ipsemet Magnus Princeps crucem Muscoviae deosculari dignatus sit, id factum esse propter promissam Reginam, quam si vellent Sveci huc juxta priora promissa transmittere, facile fieri posse, ut id ipsum amodo servetur. Interrogavit igitur, utrum aliqua alia in commissis haberemus, praeter ea quae scriptis mandata essent. Respondimus nos nihil habere, nisi sua Caesarea Majestas nobis aliqua proponeret, quibus respondere juberemur.

Voluit deinde Matthias Schubert quasi repetendo commemorare negotia nostra, sed cum intelligeret nihil aliud esse quam contenta Instructionis, jussit ea omittere, addita

hac causa, quod Dominus noster Rex aliter petiisset renovari et confirmari pacem in litteris per Petrum Joensson datis ad Caesarem Ruthenorum, aliter per nos petierit transigi rem: quasi prorsus neglexisset actus habitos retro elapsis temporibus, velut Regis Magni aut Domini Stenonis, emissi a Rege Gostavo. Intelleximus praeterea ipsis summopere displicuisse, quod plures Legati essent inscripti Literis Credentiae, quam eo advenerant, sicut erant Germund Svensson et Bror, Erichsson, neque opus fuisse hac ludificatione. Respondimus alterum eorum, videlicet Bror Erichsson correptum fuisse Abo gravi morbo, ibique relictum esse valetudinarium; alterum, videlicet Germundum, prae senectute vix equitando posse conficere milliare unum aut alterum. Negligentia igitur scribarum factum esse, ut senex ille, electus ad legationem, litteris sit intitulatus. His se contentos praebuerunt, addentes insuper, se velle haec omnia Ruthenorum Caesari obsequiose renunciare, sicque nos discedere jusserunt.

Eodem vesperi accessit nos Pristavus noster, mandatis eorundem Secretariorum, significans Magno Duci summopere displicere nostrum colloquium, ideoque nobis esse infensum et nos ablegare velle captivos usque ad Muraan quandoquidem frivolis negotiis illi sumus molesti: quasi Svecis non antea constaret, quo ea in re esset animo. Nos vicissim admirabamur, unde offendi debuit, cum nihil proposuissemus, nisi quod in scriptis antea fuisset comprehensum; et tristitia affecti propter minas captivitatis, oravimus ut iterum ascendendo arcem, priora nostra colloquia reiterare et explicare possemus. Promisit ille se haec illis renunciaturum, et nostram causam, quantum possibile esset, promoturum. 3 Junii summo mane venit magna copia equitum Caesaris Ruthenorum in aream in qua nos commorabamur, qui omnes armati erant, et multi eorum bene vestiti; hi adduxerunt secum Ingelbertum et Laurentium Bartoldi interpretes, cum duobus eorum famulis, quibus tamen mox sancte promiserunt, dextra data, nihil periculi illis hac abductione evenire.

Sexta Junii vocabamur iterum in arcem mane; quo cum pervenimus, repetiit prior noster colloquutor ea quae per Pristavum mandaverat nobis denunciari. Respondimus autem nos intellexisse, quod acta nostra displicerent Magno Principi, ideoque nos humillime petere, ut litteras deductitias consequeremur pro aliis legatis huc transmittendis, utque sua Caesarea Majestas interim dignaretur pacem addicere et servare cum Regno Sveciae, muniendo Serenissimum et Clementissimum Dominum nostrum Regem litteris ad eum hac de re datis. In hanc nostram petitionem nulla ratione consentire voluerunt. Sed quia simul paulo ante didiceramus, per fidos internuncios, nobis multa mala parata esse, ignominiam, flagella, et ablegationem in duram captivitatem, ac sociorum dispersionem, ideo diximus nos velle more prius recepto agere de pace confirmanda Novogordiae, et haec mihi omnium postremo injuncta esse, nisi in prioribus articulis nobis plene succederet. Acquieverunt ergo in hanc conditionem, sed adhuc illis dubitantibus utrum Regia Majestas ista comprobare vellet, diximus litteras illas credentiae hoc continere, ut nobis de pace inter utrumque Regnum agentibus fides adhiberetur, more antiquitus a Regibus Sveciae recepto et hactenus conservato. Produxerunt igitur litteras Regias quas nobiscum ad Magnum Principem habebamus. Quibus perlectis, promiserunt se apud Senatores et Proceres imperii Muscovitici de his acturos, ut illi apud Caesarem et Magnum Ducem Ruthenicum pro nobis intercederent, quatenus ille remissa indignatione contra nos, sineret se flecti ad ineundam et confirmandam pacem cum Domino nostro Rege: consulueruntque ut nos vocati amodo in conspectum eorum id ipsum precibus nostris ab illis contenderemus.

Illo ipso tempore advenerat Muscoviam hostis patriae nostrae Dux Magnus Livoniensis monoculus, qui suo adventu plurimum interturbavit negotia nostra, et reddidit nos apud Caesarem Ruthenorum vehementer odiosos.

Undecima die ejusdem mensis, iterum vehebamur in arcem, deducti in priorem domum, ubi salutatione praemissa,

interrogabamur, utrum vellemus stare antedictis quae novissime sumus eloquuti. Respondimus nos non mutasse sententiam, sed paratos esse ut ea bona fide confirmemus. Illi econtra ajebant, id esse in rem nostram. Addidimus praeterea, ut nobis sua benignitate benevolentiam Magni Ducis et Senatorum conciliarent; idque se facturos polliciti sunt. Illis abeuntibus, commorabamur paulisper, donec nuncio accepto in palatium deducebamur. Ibi erant ante nos circiter 15 Senes viri, Senatores et Proceres imperii Muscovitici; his more patriae nostrae prius in genere salutatis, prolocutus est Mathias Schubert:

Caesareae Ruthenorum Majestati complacuisse, ut Serenissimus et Clementissimus D:nus noster Rex ablegaret ad suam Majestatem Legatos, qui de pace inter utrumque regnum confirmanda, renovanda et prolonganda agerent quam studiosissime. Quamobrem nos hic adesse, ut id nomine et mandatis Domini nostri Regis faciamus compleamusque, orantes, ut sua Caesarea Majestas Serenissimum et Clementissimum nostrum Regem vellet suo favore prosequi, ac in foedus amicitiae et firmae pacis benigne recipere ac quam diutissime retinere. Ad eundem modum petimus humillime, ut sua Caesarea Majestas dignetur iram quoque suam de nobis conceptam, simul cum omni indignatione clementer remittere, nosque sua Caesarea et magna gratia paterne complecti; nosque deinde paratos esse ut more antiquitus recepto ac hactenus conservato, tale pacis foedus crucis osculo primum Novogordiae, deinde ex parte Livoniae in Derffta fide inviolabili confirmemus stabiliamusque. Postremo ut suae Caesareae Majestatis gratioso consensu confirmata pace, in patriam nostram redire liceret. De his se Magno Duci et Ruthenorum Caesari responderunt relaturos. Facta quoque est mentio, ut adderent necessaria victus et potus, quia nimis parce alebamur. Sicque nos illis valediximus. His peractis, tota reliqua aestate suspendebamur variis et ambiguis promissis, videlicet, quam primum negotia legatorum Poloniae transigerentur, quae dicebantur satis ardua ac magni momenti esse, nos debere

rursum cum negotiis nostris produci, ac iis determinatis, in patriam remitti. Ea spe lactabant nos tam Pristavus ipse, quam omnes alii sibi adjuncti, adjicientes et hoc, quod brevi adaugerentur nobis necessaria victus. Id factum est die Johannis Baptistae; tunc enim addebatur ad priorem illam eleemosynam dimidia Rubla, hoc est 10 marcae nostrates: viderunt enim quod vitam nostram in magna penuria transegimus. Hanc coaugmentatam portionem accepimus integre quodammodo usque ad ferias Divae Magdalenae, in quibus referebatur tabellarios venisse ex Svecia: post quorum adventum omnia reddebantur tristiora (donec Muscoviae fuimus); fortassis quia a tabellariis aut in litteris duriora quam voluerunt, audiverunt. Sequebantur igitur ordine dies complures, quibus prorsus nihil cibi nobis ex foro adferebatur: si qui pecuniam habebant reliquam, illi panem emebant; qui vero caruerunt, esuriebant. Frustra igitur ex nostris aerumnis exspectavimus mitigationem, aut ex captivitate liberam dimissionem.

Hoc ipso tempore facta est mutatio Pristavorum, mutatio de malo in pejus: sicque protracta est nostra captivitas usque ad 5 Septembris, quo jubebamur proficisci Muraniam versus, distantem a Muscovia 400 stadiis Ruthenicis, hoc est, milliaribus nostris fere 80, secundo flumine: recta vero, itinere terrestri, 60 milliaribus nostratibus. His tribus Septimanis quibus iter confecimus, parcissime alebamur. Erant in itinere primum arx Colomna, distans 18 milliaribus a Muscovia: illa videbatur satis munita muro lapideo et turribus; altera erat Perezsla Resanski. Haec propugnaculis ligneis erat circumducta. Erat praeterea arx Casimiren remotius a nostro itinere sita, cum aliis villis et pagis compluribus; sed ad nullum eorum nobis deflectere licuit, ut in iis nobis pararemus necessaria vitae. Venimus vero ad Muran 24 Septembris, in curiam quandam desolatam; ibi quia antea pauca erant hypocausta, exstruebantur denuo tria: et rursum tota area circumcingebatur erectis altis et conjunctis trabibus, numero 745. Eo praemiserat Magnus Dux Ruthenorum litteras, ut nobis darent necessaria victus pro sufficientia; potus

tamen non erat alius toto tempore captivitatis nostrae, quam Quasz Ruthenicum. Panis copia tanta erat, quod reliquiis superfluis omnes fere nostrum emerint sibi coria pro calceis et ocreis parandis, similiter et telam Ruthenicam. Sine hac panum abundantia multi nostrum discalceati et nudi incessissent. Sed in hac commutatione procuratores et ministri Ruthenici non negligebant sua commoda. Panis enim quem nos pro uno Muskouffko sublevavimus, illum ipsum illi pro dimidio a nobis recipiebant, sicque lucrum illis erat duplum. Hic non est silentio praetereunda magna Dei benignitas erga nos alioqui afflictos, quod mirabiliter servabamur a contagio pestis, tam in itinere quam postea toto autumno. Illa enim passim graviter in tota fere Ruthenia grassabatur, etiam in illis locis ubi antea de tali contagio nihil quicquam auditum est. Ex nostro comitatu tantum duo obierunt in Domino, unus in navicula in itinere, alter in oppido Muran. Sicque didicimus usum Psalmi: „qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.“ Certe adeo mirabiliter, adeo benigne, supra quam cogitare potuimus, conservabamur. Benedictum sit nomen Domini in aeternum!

Ad captivitatem Muranensem in contubernium nostrum missus est et tabellarius Regius Blasius Prydzsen. Ille ad nos venit ex Muscovia, anno Domini 1751, die 15 mensis Martii, comitatus suo famulo Andrea Kituynen, reliquis ejus sociis in Muscovia priori autumno peste consumptis. Lactabant et nos toto hoc tempore vana spe consequendae liberae dimissionis in Patriam; venit etiam tabellarius quidam ad nos 2 Augusti, ex Muscovia emissus, ut perquireret quomodo se haberent res nostrae, et utrum adhuc essemus superstites. Is, numerato sodalitio nostro, dedit nobis spem, fore ut Magnus Princeps Ruthenorum brevi nos suscipiat in gratiam suam Caesaream; sicque a nobis recessit. Septembris 20 ejusdem anni adductus est ad nos alius tabellarius Regius ex Sloboda Magni Principis, cum aliis tribus ejus sociis; nomen tabellario est Erico Jacobi. Ille literas

Regias jam ex Nötheborga praemiserat per tabellarium Ruthenicum, ad Muscovitarum Caesarem, qui tunc commorabatur in Sloboda, quo et praedictus Ericus cum sociis suis fuit deductus; sed non admissus ad colloquia Caesaris: inde ad nos remissus, qui dixit se Wiburgo discessisse ante 6 Septimanas. Septembris 25, nobis prandentibus, venit in aream captivitatis nostrae quidam tabellarius Muscoviensis. Is convocato toto sodalitio nostro, nobis vero in hypocausto commorantibus, assumpsit ad se unum ex famulis Regiis, cui nomen Olavo Hansson: quid vero de illo egerit, omnino nescimus. Quidam, illis discedentibus, dixerunt illum mittendum fore in Sveciam una cum tabellario Magni Principis, ut esset testis et relator nos adhuc Dei beneficio esse superstites. Illo die sepultus est noster Chirurgus, peste correptus, cujus animae Deus misereatur! Octobris 9 Anni 1571. Jam annum integrum explevimus, Dei Optimi maximi beneficio, in Muran, cum duabus septimanis; in quibus nihil praeterea nobiscum publice actum est, praeter id quod jam breviter annotavimus, nisi quod amaritudinem animi nostri toto tempore captivitatis nostrae adauxit continua illa discordia, cujus seminarium et fomentum assiduum fuit Matthias Schubert, vir impius, iniquus, subdolus et distortus tyrannus; reddat illi Dominus juxta facta ipsius! . . . . .

Ab initio mensis Septembris coepit inter nos grassari pestis, et exstinctis per hanc luem 15 ex nostris comitibus, nos reliqui Divina benignitate incolumes conservabamur; quamobrem Deo gratias agimus immortales, qui nos in tantis periculis dignatus est protegere. Mansimus igitur inclusi in cavea Muranorum a 24 Septembris anni 1570, usque ad 28 Novembris anni 1571. Eo die post crepusculum vespertinum rapiebamur ad vehicula, relictis ibi omnibus nostris rebus, quas tandem recepimus in oppido Klin Decembris 8, non integre, sed mutilatim, sicut fieri solet dum res per alienos transferuntur. Ad illud oppidum advenit simul ex Muscovia Magnus Princeps Ruthenorum, comitatu non exiguo, ut proficisceretur Novogordiam, et inde irrueret vel

in Livoniam vel recta in Finlandiam, ut illam debellaret aut ferro et igni devastaret. 9 Decembris fuit nobis mandatum, ut inviseremus Secretarios Magni Principis, qui in boreali parte amnis commorabantur, sicut et ipse Caesar; eo cum perveniremus, dextra data Secretariis, exorsus est narrationem suam, quam in papyro conscriptam habuit, alter illorum; cujus summa haec est. Advenistis Novogordiam ante biennium, nec voluistis concredere negotia vestra Commissario Magni Principis Novogordensi, more antiquitus recepto et hactenus inter Ruthenos et Svecos observato, nisi prius inviseretis Caesaream Ruthenorum Majestatem. Ea vestra pertinacia displicuit Caesareae Majestati, quare Novogordiam initio hiemis adveniens, praecepit Commissario et Aphanasio Vezemskoi cum reliqua turba procerum gentis Ruthenicae, ut vos et vestra negotia attentius examinarent. Sed neque in illorum consessum debita reverentia comparuistis. Non enim illos vestri Regis nomine reverenter salutare dignabamini, sed commemorabastis quomodo Dominus vester Rex ad Regni Svecici gubernationem pervenerit. Neque in pace petenda et confirmanda inter utrumque regnum, veterum processum observastis, hac re derogantes nonnihil Magni Principis Majestati. Neque exciderat memoriae Magni Principis et Senatorum ejus, atrox illa injuria et summum dedecus quibus affectus fuerat Legatus Ruthenorum Iffvan Michalevitz, cum comitatu suo Holmiae, dum ad regni gubernacula assumptus est Rex vester Dominus Dux Johannes. Quamobrem et vos vicissim Novogordiae ignominiae et praedae exponebamini. Insuper estis hic in Ruthenia. retenti ultra biennium, quandoquidem et nostri apud vos diu detinebantur. Ad haec Magnum Principem jam paratum esse ut armis et vi hostili patriam vestram devastet. Si ergo volueritis sequenti desolationi aut calamitatibus patriae per renovata pacis foedera succurrere, necesse habetis ut in has conditiones subscribatis. Primum ut Dominus vester Rex pro resarciendo damno Legatorum Magni Principis annumeret decem millia Joachimicorum. 2:o ut Dominus vester Rex 200 aut 300

equitibus aut peditibus Caesari Ruthenorum subveniat, quoties ille opus habet; hac tamen conditione, quod ingredientes terminos Ruthenicos alimonia consequantur ab ipso Caesare. 3:o ut Dominus vester Rex concedere velit Ruthenorum Caesari venas metallicas si quas habet in terminis Finlandiae. 4:o ut Caesar Ruthenicus in titulo suo priori etiam Dominus Svetiae appellari possit.

Respondimus nos prorsus nihil habere in commissis a Serenissimo nostro Rege, ut in has aut similes conditiones consentiamus, aut de eis Magno Principi addicamus; nos tantum missos esse, et hic praesentes adstare, ut pax inter utrumque Regnum honestis mediis innovetur et confirmetur. Deinde etiam ut illa crucis osculo Novogordiae et Derffiae velut sacramento inviolabili stabiliatur. Ne vero Magnus Princeps difficiliorem se praebeat ad pacis foedera sancienda propter injuriam Legatis Holmiae illatam, promittimus recompensationem rerum ablatarum a Michaële Ivanevitz, sive summa et aestimatio earum sit decem millium Joachimicorum, sive major, sive minor. De aliis conditionibus agat Magnus Princeps aut per literas aut per legatos suos. Secretarii promiserunt haec omnia Ruthenorum Caesari se relaturos, nosque in hospitium abire jusserunt. Undecima Decembris paulo ante mediam noctem, excitabamur a somnis mandato Bajorum, ut iterum inviseremus Secretarios Magni Principis; quo cum pervenissemus magna festinantia, neminem tamen in domo reperimus, praeter interpretem Germanicum. Exspectantes igitur per horam fere integram, accessit tandem nos prior ille collocutor, in hunc modum verba sua exponens. Magnus Princeps et Ruthenorum Caesar non est tam avidus Christiani sanguinis, ut non prius tentet omnia media quae ad honestam et necessariam reconciliationem spectent. Est enim justitiae et Christianismo deditus. Visum igitur est suae Majestati, ut transmittat hunc vestrum collegam Antonium Olavi ad Regem vestrum, ut agnoscat culpam et deprecetur veniam, transmissis in Rutheniam prima occasione aliis legatis, ne suo magno exercitu irruat in Finlandiam eamque ferro et igni devastet. Diximus no-

bis placere hoc consilium, et summis votis expetere, ut Deus pacis auctor et largitor flectat animos Regum et Principum ad studium pacis et concordiae, ut regna utrimque sint inconcussa; his dictis jussit nos redire in hospitium. Duodecima Decembris circiter horam primarum, nunciatum fuit nobis ut rediremus ad colloquia et fortassis fore ut sisteremur in conspectum Magni Principis. Paravimus nos, deducebamurque in domum ubi prius habita sunt colloquia: ibi ultra meridiem commorabamur, et tandem peracto prandio Magni Principis, cum inde abire statuisset, perducti sumus in plateam, ubi ejus adventum exspectare cogebamur. Venit igitur vectus in vehiculo, et sistens equos inclinato capite provolvebamur proni in terram, qui deinde jussit nos resurgere, ac sua invectiva narratione sic nos allocutus est. Venistis Novogordiam ante biennium fere, ut pacis foedera apud nos renovaretis. Sed quia voluistis rem alia ratione transigi, quam majores vestri Reges Regni Svetiae Dominus Magnus, Steno Sture, Svanto et Gostavus consueverunt, ideo illam vestram superbiam perferre non potuimus. Ad haec quia Dominus Rex vester initio Regni sui post longam detentionem nostrorum legatorum, illos non tantum multiplici ignominia affici, verum etiam ut depraedarentur et bonis suis exuerentur permisit. Non misimus eos in Svetiam pro adducenda sorore Regis Polonorum Domina Catherina, nisi adducti promissionibus, literis et sigillis Legatorum Svetiae, de quibus hic Matthias Schubert unus adest: dixerunt enim D:num Ducem Johannem e vivis decessisse, carere liberis et haeredibus: ideo veluti relictam viduam petivimus eam nobis dari. Illa falsa narratione adducti, misimus Legatos nostros in Svetiam, qui inde affecti contumeliis et injuriis, velut ex tristi exilio reversi sunt. Nec reputavit eos D:nus vester Rex colloquio suo dignos, quin potius more facinorosorum eos Abo aluerat. In eam injuriam ulciscentes, permisimus et vos durius tractari et depraedari: insuper parati sumus invisere D:num Regem vestrum Johannem, et Regnum ejus hostili potentia invadere, nisi ille hac hyeme alios suos legatos ad nos mi-

serit, quorum opera et precibus indignatio nostra leniatur et avertatur. Volo igitur ut hic Antonius ad Svetiam proficiscens vestrum Regem de his viva voce et coram commonefaciat. Interim vos alii hic in Ruthenia detinebimini: et simul Antonio dextra data, profectus est. Non redeuntes in hospitium, ejus exercitum comitabamur, donec die natalis D:ni Novogordiam, circiter horam prandii appelleremus. Tertio abinde die, iterum vocabamur in domum Cancellariorum, et cum aliquamdiu ibi sedissemus, deducti sumus ad Secretarios, qui nos interrogaverunt quid sentiremus de itinere Antonii, utrum jam Holmiam appropinquaret? Respondimus nobis incertum esse, quandoquidem in aliquibus locis cogatur spatiosum mare trajicere; ideo et serius advenient legati. Caesaream Ruthenorum Majestatem pie et utiliter facere, si nobis prius missis legatis de pace confirmanda agentibus fidem adhiberet. Illam enim aeque firmam fore, ac si nobilissimi quique ex Regno Svetiae huc advenirent. Parati quoque sumus, ut eam hic Novogordiae, deinde Dorfftae aut ubi voluerit Magnus Princeps, crucis osculo stabiliamus. Metuimus enim ne iste ingens Magni Principis exercitus irruat in Finlandiam, non sine magna clade, et nostrorum damno irreparabili. Haec mala praevenire studentes, oramus obnixe, ut Magnus Princeps ad pacem et concordiam cum Regno Sveciae se flectere dignetur. Responderunt illi, se haec Ruthenorum Caesari statim renunciaturos: qui inde redeuntes, dixerunt eum hac de re apud se deliberaturum.

29 Decembris missus est in Svetiam mandato et litteris Magni Principis unus ex nostris comitibus Sigfridus Michaël, qui a nobis in domo Secretariorum segregatus, postea non est admissus ad colloquium nostrum, sed recta missus Nöteborgam versus.

Tantum de actis anni 1571. Nunc sequitur conclusio et catastrophe praecedentium actuum.

Vigilia Epiphaniae D:ni oravimus Secretarios, ut duo filii Caesaris cum reliqua turba Senatorum et Bajorum, sua

intercessione flecterent iram Magni Principis contra Svecos conceptam. Producti igitur in consessum eorum die Epiphaniae D:ni, ubi simul adfuit, velut primarius heros filius Caesaris Tartarorum quos Circasszi vocant, provolvebamur in genua, inclinato capite pavimentum versus, sicut mos est Ruthenorum: deinde stantes in medio fere domus, oravimus ut sua benigna intercessione duos Magni Principis filios adirent, quatenus illi una cum aliis Senatoribus et Bajoribus, apud carissimum Parentem Ruthenorum Caesarem pro nobis intercederent, ut remissa indignatione sua nos favore suo Caesareo prosequeretur, ac cohiberet exercitum ne in Finlandiam irrueret, ut eam ferro et igni devastet, sicut prius in animo statuerat suo. Ea enim ratione fit, ut plurimum innoxii et Christiani sangvinis, fortasse utrimque, non sine magna offensione omnipotentis Dei, sine causa fundatur, et sequatur magna vastitas et excidium totius gentis. Has calamitates praevenire studentes, oramus obnixe, ut et ipsi in haec mala oculos conjiciant suos, et Magnum Principem ab hoc nocendi proposito, quantum possibile est, suis precibus et benigna intercessione revocent. Serenissimus et Clementissimus D:nus noster Rex, ubi hanc clementiam audiverit subditis suis incolis Regni Svetiae exhibitam, vicissim Magnum Principem omni officiorum genere prosequetur merito. Et ipsi Deo procul dubio grata erit tantae cladis cohibitio. Responderunt illi, ea in re operam eorum non defuturam, quin tentent ut voti compotes fiamus. Sicque illis valediximus.

Sequenti die mane nuntiatum fuit nobis, ut nos convenienti indumento ornaremus; brevi enim fore, ut coram Magno Principe Ruthenorum Caesare sisteremur. Id factum est post duas circiter horas. Primum igitur in domum scribarum deducebamur, inde in palatium Caesareum; et nobis ingressis, provolvebamur iterum proni, inclinato capite in pavimentum. Fecimus id bis; aderant enim ambo Caesaris filii. Post hanc adorationem progrediebamur paulum, et rursus prostrato corpore inclinavimus capita in pavimentum fere. Mandavit tandem Magnus Princeps, ut

nos surgentes erigeremus, dicens se Christianum esse Principem et Dominum, ideoque se non expetere ut proni in terra jaceamus coram se. Et simul exorsus narrationem suam, commemoravit quomodo regnante Rege Erico transmiserit Holmiam tabellarios suos, quibus hospitia procurata erant in contagioso et pestilenti loco, quare et primarius ex illis peste correptus interierat: alii vero ejus comites velut destituti rectore in Rutheniam redierunt. Ex quo autem Erico Regi non satis constabat de ejus negotiis, ideo misit ad nos Johannem Laurentii, qui de his omnibus nos diligentius sciscitatus est. Illi mandavimus, ut Rex Ericus huc suos transmitteret Legatos, qui et de Livonia occupata et de D:na Catherina conjuge Ducis Johannis nobiscum agerent. Venerunt igitur ad nos Legati missi ex Svetia D:us Nicolaus Gyllenstiern, Matthias Schubert et reliqui, literis et sigillis promittentes et nobis addicentes D:nam Catherinam, quasi relictam et viduam D:ni Ducis Johannis, et sobole carentem. Quis enim justitiae amans avelleret matrem a liberis, maritum a conjuge? Horum promissionibus et sigillis adducti in hanc vanam spem, confirmavimus pacis foedera crucis osculo, non per Commissarium Novogordensem, ut olim fieri consuevit, sed in propria persona. Misimus vicissim Legatos nostros viros Principes in Svetiam, qui ibi diu et ultra consuetum retenti, tandem multiplici ignominia et atroci injuria affecti, re infecta et exuti bonis, domum ad nos redierunt, conquerentes se indigniores reputatos quam quos Rex Johannes ad colloquia reciperet sua. Venistis deinde et vos huc, licet de vestro adventu nobis parum constiterit, antequam Novogordiam, exactis feriis Natalis D:ni, appelleremus. Ibi didicimus, examinatis negotiis vestris per Commissarios et Bajores nostros, vos velut insanos homines esse, qui neglecto more veteri et inter Rutheniam et Svetiam diu conservato, voluistis multa fieri modo prius inaudito. Quamobrem ulciscentes inprimis illatas nostris legatis injurias, et simul in vestram pertinaciam, permisimus vos tractari ignominiosius ac depraedari. Insuper retenti estis hic ultra biennium velut captivi: quos D:nus

vester Rex sua intercessione merito deberet liberare; sed ille suis acerbis literis magis irritat et offendit nos, scribens gladio educto finem adesse paci. Sed nos magis moti precibus et fideli intercessione nostrorum carissimorum filiorum, Senatorum et Bajorum omnium, remittimus indignationem, nec voluimus vos ulterius captivitate aliqua affligere, aut bello hac vice gentem vestram infestare, tantummodo resipiscat D:nus vester Rex, et contentus suo regno nobis Livoniam omnino relinquat, tanquam ditionem nobis jure haereditario cedentem. Quod si noluerit inde se avellere, probabimus quid possit uterque, et cujus ensis fortius feriet et sit penetrantior. Haec volumus illi per vos renuntiata esse. Mandavit praeterea, ut secum illa die pranderemus, quod splendide apparaverat, quo parto, valedixit nobis data dextra, et cyato mulsae ex manu sua propinato.

Interim dum prandium pararetur, vocati sumus ad priores Secretarios et unum ex praecipuis Senatoribus. Hi nos inter reliqua interrogabant de sorore Serenissimi D:ni nostri Regis, quae adhuc esset innupta, qua esset aetate et forma. Respondimus admodum venusta et eleganti; deinde aetate jam esse nubili, et statura convenienti. Dicebant illi: utinam legati vestri qui amodo Caesaream Ruthenorum Majestatem sunt invisuri, ejus faciem et personam vivis coloribus depictam, secum adferrent. Sequentibus diebus parabantur nobis literae quas nobiscum Serenissimo et Clementissimo D:no nostro Regi afferre debuimus: eas recepimus Januarii 10 anno D:ni 1572.

Hoc scripto neque ad dextram neque ad sinistram declinavi, nec gratiam cujusquam hominis quaesivi, sed tantum schapham schapham, et ficum ficum esse dixi.

Januarii 18 anni 1572 bleff oß öffwerantwardadh Storförstens wägebreff, att wij obehindradh schulle fram komma. Och på samma tijdh gaffs oß ett annadh rulle breff till Högste Konungl. M:tt wår allernådigste Herre. Januarii 19 drogho wij off iffrå Nogord efter middagen.

Februarii 3 drogho iffrå Nöthebårgh, hwaris wij woro

någre dagher uphåldne, såsom och tilförenne emellan Nogårdh och Nöthebårgh. 7 Februarii komo wij till Wibårgh, seenth om afftonen.

Serenissime et Clementissime D:ne Rex. Difficile et periculosum est apud tales tyrannos legatum agere, qui nihil aliud rectum esse putant, nisi quam quod ipsi statuunt. Sic Muscovita studens renovare et confirmare antiqua pacis foedera, duras et valde iniquas praescribit conditiones. Primum ut pro ignominia et injuria quam passi sunt ejus legati Holmiae et alibi in Regno Sveciae, numerentur illi decem millia Joachimicorum, prorsus nihil considerans quantum nobis eripuerit Novogordiae, in auro, argento, vasis argenteis, catenis aureis, Joachimicis et moneta Svevica. Quam praedam si pro suo valore aestimare vellet, non facile dixerim utrum illi plus amiserint Holmiae, vel nos Novogordiae. Secunda conditio pacis est, dum non veretur petere a Vestra Majestate ducentos equites Germanica armatura instructos, quorum opera uti decrevit adversus hostes suos Tartaros. Sed quid est hoc nisi ludificatio quaedam? Tertia renovandae pacis conditio est, ut vestra Serenissima Majestas decedat tota Livonia, relinquens eam Magno Principi Ruthenorum, tanquam vero haeredi et domino ejus terrae, quod tamen ipse nullis demonstrationibus comprobabit. Quarta conditio, ut vestra Majestas, velut in firmum amicitiae signum, velit etiam ei mittere viros peritos venarum metallicarum. Haec nobis discedentibus, et litteris et viva voce vestrae Serenissimae Majestati injungenda esse voluit; quae etiamsi per se sunt injustissima, tamen ad haec nostro responso, aut nostra inficiatione nihil agere potuimus. Dominus Deus flectat mentes Serenissimi et Clementissimi Domini Regis, una cum Serenissimo et Amplissimo Rege Polonorum, uniat et stabiliat, in laudem gloriae suae et defensionem utriusque Regni Svevici et Polonici, per Jesum Christum D:num nostrum, Amen!

Stormächtigste Högborne Furste, Allernådigste Herre och Konung. Thette är thet som Muskowitens Baijorer Canceler och

Secreterere haffwa iffrå migh för Gud och hele wärlden: Selff kannor 2, och en selff skåål, wegandes till hopa 7 lödig march.

Selff skedhar 4, wid 16 eller 17 lodh.

Daler 58 stycken. Konungh Erichs Klippinger halff tredhie hundradh march.

Gull, Rosennåbel 1 stycke, Engelåt 1 stycke, Kårsåcher 6 eller 7.

Ungersgull uthwalde 28 stycken.

Reensgull et stycke.

En Gull Signettzring hengde widh samma pungen, ther jag hadhe och mit Secrät aff Selff; item en lithen Gullring. Ett kamb huuß och Stål spegell för 3 daler. Ett lädher bälte medh selff tampar, sölja och mößlår.

Hästar 2 medh ett hindertygh udaff wilflågäld. Ett förlått aff brokåt Rydze dwelk.

Perfide et crudeliter, contra jus fasque, Legatos fuisse tractatos, manifesta radiat luce. Praetextu utebatur Russus, ad crudelitatem suam palliandam, triplici; videlicet, quod irreverenter se gesserant erga Castellanum Novogordensem; quod Legati sui, Stockholmia a Ducibus JOHANNE et CAROLO capta vim passi erant; quod iidem Legati deinde a Rege diutius erant retenti. (Veram dissimulabat caussam, ferocem tyranni iram in Regem JOHANNEM, ob frustratam spem Conjugis ejus obtinendae, praetextumque egregium turbandae Poloniae ita sibi ereptum). Prima ratio fuit iniqua. Ex mandatis enim Regis sui Legati agebant; quae si superba visa sunt, non admittendi fuissent, aut rebus infectis domum remittendi, non vexandi, spoliandi, affligendi. Verum superbiae culpa non in nostros, sed in ipsos Russos merito rejicitur; qui, quoniam olim Reges Sveciae cum Principibus Novogordiae, finitimis suis, quamdiu hi sui erant juris, negotia utriusque civitatis disceptaverant, Castellano Novogordensi, subdito Magni Principis Russici, eundem deberi a Sveciae Regibus honorem, ut sibi pari, absurde contendebant: ipse autem Magnus Princeps, Svecorum Regi adeo se dignitate ferebat superiorem, ut infra suum esse fastigium existimaret, immediate cum eo Lega-

tisque ejus agere. Quam injustam ferre superbiam, Re JOHANNI consilium non fuit, eoque minus, quod fratri et a tecessori suo R. ERICO debitus esset honor delatus. Ne credat, humanitatem Castellano Legatos denegasse, au communi salutatione fuisse quaestionem; sed ne Patriae gnitati, sua levitate aut imprudentia, aliquid detraheret sollicite cavere studebant. Neque tandem abnuebant, c Novogordensi praefecto, ut Legato Magni Principis, si is Domino suo mandata aut literas, ejus potestatis sibi c cessae testes, ostendere valeret, in negotiorum suorum sceptationem descendere; modo conditiones pacti ab i deinde Magno Principe confirmarentur. Et tamen insig erat contumelia, Legatos a Rege potentissimo ad vicin eo consentiente, imo invitante missos, litterisque salvi-c ductus amplissimis munitos, aditu primo ad ipsum Prin pem, ejusque conspectu, jam ante res examinatas, pro bere. Quod suspiciosius agerent Legati, mirum videri mini debet, cogitanti rem illis fuisse cum gente barb tum adhuc, adeoque calliditatis calumniosae. In dom Legatorum Russicorum, capta Holmia, a militibus Duc impetum fuisse factum, praeter mentem tamen et volu tem Principum, negari nequit; ob negotii enim, quod ur bant, turpitudinem, plebi vehementer erant invisi: sed re pressus mox fuit a Duce CAROLO furor multitudinis, et Legatorum securitati prospectum (MESSENIUS Scond. Illustr. T. VI p. 58 T. VII p. 1). Neque personis eorum vis illata videtur; bonorum autem jacturam fuisse resarcitam, argumento est, quod muneribus etiam cumulati Stockholmia discesserunt. Neque dubitandum, si amice cum eo Russus egisset, quin ad hanc injuriam, invitissimo se illis factam reparandam, Rex fuisset pronissimus. Detentio Legatorum Russicorum, a qua omnis abfuit vexatio et contumelia, non injusta videbitur aequis censoribus, rationem temporum considerantibus, ingenium JOHANNIS BASILIDIS, res Regis JOHANNIS, et atrocissimam injuriam ei a barbaro his ipsis legatis mittendis illatam, qui in mandatis habebant, ut cum R. ERICO de Conjuge Fratris rapienda, et in Russiam trans

rent [4]). Quod itaque his Legatis multum ho-
aut ad se aditum permittere Rex noluerit,
videbitur. Nihil tamen iis detinendis ul-
t ab iniquo consilio tyrannus absiste-
, honorifice mox Legatos dimittens.
ANNI BASILIDI fide stare. Itaque
impotentis animi, suis feliciter
de in Livoniam et Fenniam
er grassatus est. Rex Sveciae
ertatem Legatis suis poscere haud
necit apud hominem gentium juribus
entem, qui tabellarios ejus, aeque ac Le-
is et exilio mulctavit. Arma tandem Regis
plus valuerunt; quibus et superbiam barbari fregit,
pero consiliorum suorum successu hactenus ferocis, et
multiplicium injuriarum poenas feliciter exegit. Ne tamen
animi sui plane oblitus, et metu coactus Legatos dimisisse
videretur, variis eos tyrannus adhuc contumeliis vexavit;
et vanam instruens scenam, filiorum suorum Senatorumque
precibus concessisse, videri voluit. Quae omnia partim Hi-
storia illorum temporum, partim Narratio ipsa, quam typis
impressam dedimus, clarissime evincunt.

---

[4]) Turpissimam cum barbaro, hac de re, R. ERICUM fecisse pactionem, nec Historici, qui memoriam infelicis hujus Regis mitissime tractant, in dubium vocant. (CELSIUS R. ERIC XIV Hiſtoria, II Vol. p. 226 sq.). Quod deinde praetexuit JOHANNES BASILIDES, se principem CATHARINAM viduam existimasse, eo difficilius fidem invenit, quod nec deinde Legatis nostris irridens proponere dubitavit, ut Reginam ad se Sveci transmitterent. De occidendo autem Duce JOHANNE, ut CATHARINA vidua fieret, consilia cum ERICO consociasse, a moribus ejus non est alienum. Magnum hunc Principem Russiae, quamvis nomine morum, educationi forte pravae maxime tribuendorum reprehendendum merito, de gente sua de caetero praeclare esse meritum, non diffitemur; et ea jam tum consilia fovisse, quae faventiora nactus tempora, PETRUS I deinde exsecutus fuit, malis inprimis Sveciae fatis adjutus.

tisque ejus agere. Quam injustam ferre superbiam, Regi JOHANNI consilium non fuit, eoque minus, quod fratri et antecessori suo R. ERICO debitus esset honor delatus. Nemo credat, humanitatem Castellano Legatos denegasse, aut de communi salutatione fuisse quaestionem; sed ne Patriae dignitati, sua levitate aut imprudentia, aliquid detraheretur, sollicite cavere studebant. Neque tandem abnuebant, cum Novogordensi praefecto, ut Legato Magni Principis, si is a Domino suo mandata aut literas, ejus potestatis sibi concessae testes, ostendere valeret, in negotiorum suorum disceptationem descendere; modo conditiones pacti ab ipso deinde Magno Principe confirmarentur. Et tamen insignis erat contumelia, Legatos a Rege potentissimo ad vicinum, eo consentiente, imo invitante missos, litterisque salvi-conductus amplissimis munitos, aditu primo ad ipsum Principem, ejusque conspectu, jam ante res examinatas, prohibere. Quod suspiciosius agerent Legati, mirum videri nemini debet, cogitanti rem illis fuisse cum gente barbara tum adhuc, adeoque calliditatis calumniosae. In domum Legatorum Russicorum, capta Holmia, a militibus Ducum impetum fuisse factum, praeter mentem tamen et voluntatem Principum, negari nequit; ob negotii enim, quod urgebant, turpitudinem, plebi vehementer erant invisi: sed repressus mox fuit a Duce CAROLO furor multitudinis, et Legatorum securitati prospectum (MESSENIUS Scond. Illustr. T. VI p. 58 T. VII p. 1). Neque personis eorum vis illata videtur; bonorum autem jacturam fuisse resarcitam, argumento est, quod muneribus etiam cumulati Stockholmia descesserunt. Neque dubitandum, si amice cum eo Russus egisset, quin ad hanc injuriam, invitissimo se illis factam, reparandam, Rex fuisset pronissimus. Detentio Legatorum Russicorum, a qua omnis abfuit vexatio et contumelia, non injusta videbitur aequis censoribus, rationem temporum considerantibus, ingenium JOHANNIS BASILIDIS, res Regis JOHANNIS, et atrocissimam injuriam ei a barbaro his ipsis legatis mittendis illatam, qui in mandatis habebant, ut cum R. ERICO de Conjuge Fratris rapienda, et in Russiam trans-

mittenda, agerent [4]). Quod itaque his Legatis multum honorem tribuere, aut ad se aditum permittere Rex noluerit, mirum sane haud videbitur. Nihil tamen iis detinendis ultra intendit, quam ut ab iniquo consilio tyrannus absisteret; pacis spe sibi facta, honorifice mox Legatos dimittens. Sed non fuit animus JOHANNI BASILIDI fide stare. Itaque in innocentes Legatos iram impotentis animi, suis feliciter receptis, mox effudit; et deinde in Livoniam et Fenniam irruens, igne ferroque crudeliter grassatus est. Rex Sveciae interim, crebris nuntiis libertatem Legatis suis poscere haud neglexit; sed nihil effecit apud hominem gentium juribus non multum tribuentem, qui tabellarios ejus, aeque ac Legatos, vinculis et exilio mulctavit. Arma tandem Regis victricia plus valuerunt; quibus et superbiam barbari fregit, prospero consiliorum suorum successu hactenus ferocis, et multiplicium injuriarum poenas feliciter exegit. Ne tamen animi sui plane oblitus, et metu coactus Legatos dimisisse videretur, variis eos tyrannus adhuc contumeliis vexavit; et vanam instruens scenam, filiorum suorum Senatorumque precibus concessisse, videri voluit. Quae omnia partim Historia illorum temporum, partim Narratio ipsa, quam typis impressam dedimus, clarissime evincunt.

[4]) Turpissimam cum barbaro, hac de re, R. ERICUM fecisse pactionem, nec Historici, qui memoriam infelicis hujus Regis mitissime tractant, in dubium vocant. (CELSIUS K. ERIC XIV Hiſtoria, II Vol. p. 226 sq.). Quod deinde praetexuit JOHANNES BASILIDES, se principem CATHARINAM viduam existimasse, eo difficilius fidem invenit, quod nec deinde Legatis nostris irridens proponere dubitavit, ut Reginam ad se Sveci transmitterent. De occidendo autem Duce JOHANNE, ut CATHARINA vidua fieret, consilia cum ERICO consociasse, a moribus ejus non est alienum. Magnum hunc Principem Russiae, quamvis nomine morum, educationi forte pravae maxime tribuendorum reprehendendum merito, de gente sua de caetero praeclare esse meritum, non diffitemur; et ea jam tum consilia fovisse, quae faventiora nactus tempora, PETRUS I deinde exsecutus fuit, malis inprimis Sveciae fatis adjutus.

Index partis tertiae:

	Pag.
Historia bibliothecae r. academiae Aboensis . . .	1—301.
Dissertatio de poesi Fennica	303—381.
Narratio Pauli Juusten de legatione sua Russica . .	383—419.

Pris: 5 mark 50 penni.

Suomalaiſen

Kirjalliſuuden Seuran

Toimituksia.

---

21 Osa.

4 Wihko.

HENRICI GABRIELIS PORTHAN

OPERA SELECTA.

PARS QVARTA.

H. G. PORTHANS SKRIFTER

I URVAL

UTGIFNA

AF

FINSKA LITTERATUR-SÄLLSKAPET.

FJERDE DELEN.

HELSINGFORS,
Finska Litteratur-sällskapets tryckeri, 1870.

246.2.787.

Förretedt: *L. Heimbürger.*



HISTORIOLA

CONCIONUM SACRARUM FENNICARUM.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN.

PUBLICO EXAMINI SUBMISIT

ERICUS TULINDBERG.

Aboae 1781.

Conspectus totius Opusculi.

§ 1. De initiis Religionis Christianae in Finlandia atque de *S:ti Henrici* in ea re opera.

§ 2. De Concionibus Sacris in Fennia ante Reformationem Religionis.

§ 3. De mutata earum indole per Reformationem, deque Concionibus Sec. XVI.

§ 4. De Concionibus Sacris Fennicis, quae Sec. XVII lucem adspexerunt.

§ 5. De subsidiis Oratoriae S. Fennicae hoc Seculo suppeditatis.

§ 6. De statu et Speciminibus Oratoriae S. Fennicae Sec. XVIII.

§ 7. Monita quaedam Oratoribus Sacris Fennicis exhibita.

§ I.

Nullum est dubium, quin initia Religionis Christianae in Finlandia propagatae, ab expeditione Regis Sveciae ERICI *Sancti* in has oras suscepta, praecipue repetenda sint; quanquam haud incredibile videtur, tenuem aliquam ejus cognitionem jam antea ibidem exstitisse [1]). Adscivit Rex hujus

[1]) Si MESSENIO fides habenda est, *Carelii*, qui ut ille opinatur, sub dominio *Russorum* erant, quam hi profitebantur Religionem, Graecam scilicet, diu jam ante receperant; vid. ejus *Chronicon Finlandiae Rhythmicum*, (Aboae 1774, 8:o) pag. 14. Parum vero hoc verosimile videtur. Quamvis enim Careliis cum Russis paullo maturius quam cum Svecis rem fuisse, improbabile haud ducimus, sui tamen juris ac a Religione Christiana alienos diu etjam postea mansisse, certum putamus. Vid. Nobiliss. LAGERBRING Swea Rikes Hiſtoria, del 2. pag. 671. Cfr. MÜLLERS Samlung Rußiſcher Geſchichte, x. B: 5. D. 6. St. p. 297, 402, 419. Potuit alioquin *per famam et culta cum vicinis commercia*, ut in Dissert. de *S:to Henrico* dicitur, (quam Praes. Cel. SCARIN, hic Aboae edidit MATTH. FONTENIUS, a. 1737, 4:o) P. 1. p. 1. religio Christiana nonnullis Finlandiae incolis qualitercunque innotuisse. Nec vero repugnamus, si quis a vicinis etjam Russis aliquam hujusmodi obscuram Christianismi notitiam ad nonnullos homines Fennos pervenisse, contendat. Vox Pappi, (Sacerdos) Svecis haud familiaris, a Russico *Pop* ad nos transiisse, non absurde statuitur; ut et vocabulum Raamattu, quod nostratibus *Biblia* significat, a Graeco *Γραμματα* (Scil. *ἱερα*) forte derivandum, (more nostris solenni, priorem consonam abjiciendi, accedente) videri poterit ad acceptam a Graecis, potius quam a Latinis primam rei cognitionem, deducere. Ac vellemus, ut aliquis Lingvae Russicae vel veteris Sclavonicae peritus, dispiceret, utrum originem etjam vocum Fennicarum Kirja, *Liber*, *Epistola*, (an a Graeco *κυριος*, *κυριακος*?) et Saarna (Oratio Sacra) ex iis adferre valeant; quas Latinae et Svecicae Lingvae, ut e contrario pleraque alia vocabula Ecclesiastica, non sane debemus.

expeditionis Comitem HENRICUM, Episcopum illo tempore Upsaliensem, eo consilio, ut hic Fennos Religionis Christianae notitia imbueret, et baptismi sacramento nova membra, nomine saltem tenus, coetui Christiano acquireret. Cum itaque brevem instituerimus Historiam Litterariam Concionum Sacrarum Fennica Lingva habitarum editarumque contexere, ab ipso quidem hoc primo ut vocari solet *Fennorum Apostolo,* seriem dicendorum ducere deberemus; si quomodo ille concionatus sit, ab ullo reperiremus scriptore memoriae proditum, aut ex ullis monumentis, eruere possemus. Nunc autem, ne affirmare quidem audemus, eum Lingvam omnino Fennicam addidicisse et calluisse [2]); ac ignotum quoque nobis est, quam peritos in rudi gente docenda reperit adhibueritve interpretes. Licet igitur non mediocribus, zelum ejus indefessum in hac sparta ornanda, laudibus, Panegyristae sui extollant [3]); certum tamen videtur, vim atque metum armorum Svecicorum, validius fuisse argumentum, quod Fennos ad profitendum Christianismum permoveret, quam conciones *Sancti* HENRICI. Testatur id Historia [4]), et confirmat temporis mos; quippe qui is erat, ut

---

[2]) Ut taceam, vix eum spatii otiique satis habuisse, ad Fennicam Lingvam discendam, nec ulla hujus peritiae adsunt vestigia. B. AGRICOLA in Praefatione N. Testamenti Fennice a se editi (Stockh. 1548, 4:to), indicare videtur, imperitiam hanc Lingvae Fennicae in caussa etjam fuisse, cur HENRICUS noster absonum apud nos morem introduxerit, cultum Divinum latino sermone celebrandi; licet simul fateatur, commune hoc fuisse Romanae Ecclesiae peccatum. Verba ejus sunt: Ja ette hen (S. Henricus) oli Engelandiſt ſughunen, ſenteden mös aina ſiitte tehenaſti, ombi teße hiippacunnaſa nijnquin muiſaki, Latinan tieli Kircoiſa, Seuracunniſa, ia Jumalan paluelußes alati ja enimitten prucattu ia harioitettu; h. e. *Et quod ille* (S. Henricus) *in Anglia natus esset, ideo etjam semper ab eo tempore, hucusque, in hac Dioecesi, sicut etjam in aliis, Latina Lingva in Templis, Ecclesiis et cultu Divino adhiberi solita fuit.*

[3]) Vid. VASTOVIUS *Vit. Aquilon.* (ed. BENZELII) pag. 62. 63, et BENZELII *Monumenta Vet. Eccles. Sveog.* part. 1, p. 34.

[4]) Vid. VASTOVIUS loc. cit. et inprimis LAGERBRING Swea Rikes Hiſtoria, Del 2, p. 155. seq. *Codicemque* ibidem citatum

homines, tenui vel nulla fere institutione praemissa, violenter cogerentur ad Religionem superstitione jam atque commentis humanis pollutam, amplectendam, (s. verius caerimonias ejus ac ritus imitandos), de cujus itaque placitis parum sibi constaret; quam qui recipere nollent, morte digni ducebantur. Ipsum quoque nostrum HENRICUM, eam patientiam, mansvetudinem, prudentiam non adhibuisse, nec eam rationem veritatis propagandae secutum esse, quam Religio Christiana commendet, et quae necessaria sit, ad homines pio verae Religionis sensu imbuendos, docet Historia caedis suae; quam intempestivo rigore sibi accelerasse, quotquot res ejus attigerunt Auctores, indicant [5]).

§ II.

Infelix fuit subsequentibus temporibus, quamdiu in totum a placitis Pontificum Romanorum pendebat Religio, ejus in Finlandia nostra status; atque ipsa gens, quamvis quoad nomen Christiana, crassissimis tenebris immersa. Conciones tamen eo intervallo non prorsus inauditas fuisse, indicat VASTOVIUS, l. c. p. 74 seq. et p. 89 seq. priori loco docens THOMAM Episc. Aboënsem *verbo, exemploque instillavisse fidem;* et posteriori HEMMINGUM, item Ep. Ab. propter *miram* laudans ejus *in concionando efficaciam, qua dissolutos arguendo, pios obsecrando felicissime permovit, - - multos peccatorum oppressos veterno, excitavit in salutem* [1]). Ut au-

Membranaceum, cujus haec sunt verba: Tha ſammanbhe han (S. Erik) ſaman här oc tok met ſik aff Upſala Kirkio S:ctum Henricum, oc for til Finlandz, oc ſtridde oc drap alla thöm ſom ej wilde taka widh rättuiſo oc rätte troo. Cfr. quae habet Auctor nobiliss. ibid. p. 672.

[5]) Eum justo severius tractavisse gentem adhuc ferocem, indicant plures Historici, ut VASTOVIUS loc. cit. BAAZIUS *Inventar. Eccles. Sveogoth.* Lib. I, Cap. X, p. 117. ÖRNHIÄLM *Hist. Eccles. Svec.* Lib. IV. C. 4. 9, 10. LAGERBRING l. c. pag. 256, aliique.

[1]) De THOMA vid. etjam LAGERBRING Tom. 2. p. 237, et de HEMMINGO Tom. 3. p. 652, seqq.

tem taceamus, raras eas saltim fuisse [2]), certum fere videtur non multum notitiae vel emolumenti ex illis ad auditores redundare potuisse: continebant enim prope nihil aliud, quam laudes Beatae Virginis [3]), legendas Sanctorum, atque alias tales ineptias; quæ quam parum, vel potius nihil ad veram salutis obtinendae rationem hominibus tradendam contulerint, quis non perspiciat [4])? Ipsi quoque Sacerdotes, in tanta versati sunt ignorantia [5]), ut saepe nullam haberent

---

[2]) Cfr. LAGERBRING Tom. 2, p. 763.

[3]) A quibus Conciones suas inchoasse *Hemmingum*, testatur VASTOVIUS l. c. p. 90.

[4]) Miserae superstitionis, ignorantiae et stultitiae, quibus infelicibus his seculis Religio laborabat, documenta, abunde exhibent libri plerique Theologici argumenti, tum editi: quorum, quotquot intra Patriam in lucem prodierunt, recensum vide apud Nobil. von STIERNMAN Tal om de Lärda Wetenſkapernas Tilſtånd i Swerige, under Hedenboms och Påfweboms tiden, pag. 23 seqq. ad pag. 61, (cfr. Cel. SCHEFFERUM, *Sveciae Litteratae* p. 6—18); Praeter quos, duo Tractatus Finlandiae nostrae debiti. Svecico idiomate exarati, in Bibliotheca Academica servantur, diligentissimo huic Historico ignoti, ejusdem, ac reliqui, farinae; uterque industriae acceptus referendus ejusdem Fratris JOHANNIS (Jöns) BUDDE, Monachi Nådendalensis, cui versio Svecana debetur Librorum *Judith*, *Esther*, *Ruuth* et *Macchabaeorum*, in R. Archivo Antiquitatum asservata. Sunt autem hi Tractatus: 1:o *Liber Spiritualis Gratiae*, s. Revelationum *S. Mechtildis*, Monialis Germanicae, e Latina in Svecicam lingvam translatus, stultissimis somniis refertus; in quo tamen vertendo, singulari Sanctae ope, in somnio sibi apparentis, adjutum se fuisse, bonus Monachus, jurisjurandi etjam fide interposita, asseverat. Codex initio truncatus est. Adjunctum huic est 2:o *Viridarium Sanctae Birgittae*, sive Compendium quoddam Revelationum ejus, Svecico itidem idiomate donatum, Sancte Birgitte grädgarder eller Yrttegarder; in fine quaedam desiderantur. Cujus generis hic liber sit, ex majore illo opere ejusdem Sanctae, satis judicari potest.

[5]) Ignorantiae Sacerdotum, ut et miseri Religionis status, sequentes allegare liceat testes. OLAUS PETRI in Praefatione ad suam Postillam, (Lubecae secunda vice impressam an. 1537, 4:to) de Svecis (quibus utique feliciores nostrates haud fuisse, certum est) ita scribit: The haffua wel funnes, ſom haffua hafft loſt och wilja til at öffua ſich j then helga ſcrifft, men epter thet the

Lingvae Latinae peritiam, adeoque e Scriptura Sacra nihil proficere possent; unde mirum videri debet nemini, ipsorum

---

ide haffua hafft ſådana förfarenhet i Latineſka målet ſom thertil haffuer behooff giordz, therfore haffuer theres wilje eller upſåått hafft ingen framgong. = = Haffuer än nw thet enfoldigha clerkeriet hafft the claghemåål, at texten haffuer warit dem oforſtonbeligher, än tå at han haffuer warit utſatt på Swenſko. = = Och = haffuer then mening upkommet, at ſtrax en haffuer kunnet läſa och ſiwnga ena meßo, ſå haffuer han warit gobh nogh til at bliffua Kyrkiopreſt, än tå at han platt intit haffuer wetat aff Gudz ord etc. Speciatim vero de Finlandia nostra PAUL. JUUSTEN in Praefat. ad. Postillam suam Latinam, (quae manu exarata asservatur in Bibliotheca Academ. Ab.) *Vigente*, inquit, *apud nos idololatria Papistica, sicut et in universo reliquo mundo, alebantur quidem Sacerdotes complures, quibus adjuncti erant Monachorum ordines, in singulis fere civitatibus. Horum omnium usus et officium maxime fuit, ut praescriptum Psalmorum numerum, cum aliis cantiunculis, quotidie decantarent: additis Missis, ad aras Sanctis mortuis consecratas. Erant Missae de Beata Virgine: de Corpore Christi; de quatuordecim Auditoribus; erant etjam Missae pro defunctis, et multae aliae, quarum non est numerus. Hae saepe ab illis recitabantur, qui ipsi unam periodum Lingvae Latinae non intellexerunt. - - Si lectio aliqua ex Bibliis recitanda erat, id fiebat coram vulgo, lingva non intelligibili. Conciones ad populum non fiebant, nisi tantum diebus dominicis et sanctorum feriis: ne autem in illis habendis plures horae (inutiliter fortassis, prout illis videbatur) collocarentur, addebatur Epistola Dominicalis Evangelio, aut prolixa aliqua legenda de Sanctis, quasi textus Evangelii per se, jejunam aliquam doctrinam contineret.* Adjungimus ei MICH. AGRICOLAM, cujus in laudata supra Praefat. N. Testamenti Fennici, haec sunt verba: Senteden ette mwtomat niiſtä Papeiſta jotca tehenſachka onat Seuracundhain haltiat ollnet, toiſinans wähen, ia toiſinans ej miteken itze Latinaſta ole ymmärtänyet, ninqwin wiele nytkin (ſite pahembi) monet tompelit lenten pyhes ſijas iſtuua, nin on, qwin Jumala paratcon ja armachtacon, tapachtanudh, ette he ouat ſangen heijuſti ja laiſkaſti opettanued, ia wiele tenepene heiden canßanſa opettauat. Ja mwtomat taas haruoin eli ejikenens wijtziuet Sarnan päle ſtuderata, ia canßa parca opetta Iſe meiden lukeman, ſijtteke ſwremmat opin cappalet. = = Nyt ettei yrikeu Pappi taida opetaia madhaiſi laiſkudans teſtelehin ſille peitte, ettei hen Latinan eike Rotzin kielen taidha, ia wnottais henen opetuxens wirghan etc. ſenteden ombi nyt Wſi Teſtamenti yrikerdhaiſeſta Textin möte wlostulkittu, ꝛc.

conciones jejunas atque inutiles fuisse. Quod vero harum formam speciatim attinet, de ea vetat nos penuria monumentorum aliquid afferre.

§ III.

Venimus jam ad tempora, quibus Religio Christiana, commentis diu inquinata foedissimis, puriorem tandem, et se digniorem, etjam in Finlandia habitum induit. Primus qui de inveterata superstitione oppugnanda heic sategit, fuit Mag. PETRUS SERKILAX, in Schola LUTHERI eruditus, qui a. 1522 Witteberga redux, docendo in Scholis, et concionando in Ecclesia, puriorem introduxit salutis notitiam [1]). Specialiora quaedam de viro hoc, de Ecclesia nostra optime merito, nullibi allata invenimus. Laudandi praeterea alii etiam sunt, repurgatae doctrinae Praecones; Mag. MICHAEL AGRICOLA, qui *Novum Testamentum*, *Psalmos Davidis*, *XII Prophetas minores*, *et selecta* quaedam alia ex *Vet. Testamento* Capita, primus in Fennicum idioma transtulit [2]); M. PAULUS

[1]) Vid. P. JUUSTENI *Chronic. Episc. Aboëns.* apud Illustr. NETTELBLADT Schwediſche Bibliothek, Erſte Stück, p. 82.

[2]) Aliis praeterea libris, elementis fidei Christianae instillandis idoneis, populares suos donavit: *Libello Alphabetico*, *Libro precum*, *Manuali sive Rituali et Missali* (Handboken och Meſſan) reformato, nec non *Historia Passionis Dominicae*; quod ipse indicat, in Praefat. Rhytmica ad *Psalmos Davidicos* a se Fennice versos, editosque Stockh. 1551, 4:to, ita canens:

Cuin **A B C Kirian** enſin on,
Siitte alcu opiſta uſkoon.
Ja **rucos kirias** ſangen hyuen
Moniſt aſioiſt teunnens ja ſyuen
Senielken ſen **Udhen Teſtamentin,**
Herran Armoſta lepitze prentin,
Käſikirian, Meſſun ja **Paſion,**
Sulaſt armoſt paitz meiden anſion.

Cfr MESSENIUS *Scond. Ilustr.* T. X. p. 25, qui *Catechismum* etjam *Lutheri* 1543 ab eo Fennice versum dicit; in annis autem indicandis aliquantum turbare videtur.

JUUSTEN, de quo mox plura; aliique, a B. JUUSTEN in *Chronico Episcoporum* nominati [3]), qui, studiis in Regionibus exteris, (ad quas beneficentia Dn. MARTINI SKYTTE [4]) Episc. tum Aboënsis, missi erant), diligenter exactis, reduces doctrinam Evangelicam non sine successu propagabant. Ipsa Methodus concionandi, quae hoc tempore apud nos obtinuit, qualis fuerit, cognita LUTHERI praecipuorumque discipulorum suorum ratione, quod ex eadem schola huc allata fuit, facile existimare licet [5]). Explicabatur textus simpliciter, additis ubi locus videretur, admonitionibus exhortationibusque brevibus: interdum pro doctrinarum praecipuarum, quas praelectus textus exhiberet, ratione, partite exponebatur: nulla certa aut artificiosa concionis forma quaesita. Confirmant hanc rem Explicationes Evangeliorum, quas Moscoviae anno 1570, Episcopus Finlandensis PAULUS JUUSTEN tempore captivitatis suae, latino sermone concinnavit; primum, unicumque ex seculo decimo sexto superstes, specimen Concionum, Fennos auctores agnoscentium, quod supra jam laudavimus. Ille tamen Exordiorum quoddam genus

---

[3]) Vid. loc. cit. p. 84.

[4]) De quo vid. JUUSTEN loc. cit. Summas meretur laudes, propter zelum suum Reformationem gentis Fennicae adjuvandi, quam non parum, supra indicato consilio et liberalitate, promovit. Regis jussu fecisse, et hoc nomine non solum Episcopales reditus integros percepisse, sed et qui ad Canonicos olim pertinuissent, narrat RHYZELIUS *Episcoposc. Sviog.* L. VII. p. 344; nescio quo teste. Aliter JUUSTEN *Chron.* (apud NETTELBLADT l. c. p. 84) et MESSENIUS *Chron. Episcopor.* (Stockh. 1611. 8:o) C. XII. p. 114, atque *Scond. Illustr.* T. X. p. 24.

[5]) Cfr. etjam commemorata supra OLAI PETRI *Postilla:* ad eandem enim formam nostrates etjam fere conciones suas adornasse, facile est ad intelligendum. Nullum apud eum reperias Exordium, nullum Thema unum aut principale, nullam itaque *Propositionem* aut *Partitionem:* sed precibus praemissis, Evangeliorum legitur brevis Analysis, Usibus item brevibus subjunctis, quibus ostenditur quis inde fructus et ad doctrinam et ad vitae emendationem capi, quae consolatio emanare possit.

plerumque adhibet, quibus summam Evangelii breviter exponit, et ipsam deinde Analysin in membra quaedam vel locos, ut ipse ait, dispertit, qui explicationem distinctiorem reddant. In Praefatione docet, se conscripsisse illud opus, partim in proprium usum, ut qui insignem, quam scriptio et diligens commentatio sacris praeconibus adferret utilitatem, haud ignoraret, partim ut hoc opere popularibus suis Ecclesiarum Ministris, inserviret, quorum multos non satis perite in concionibus habendis versari, animadverterat. Ipsa verba ejus adponenda esse judicamus: *Quantum ad me ipsum attinet, conscripsi haec, ne lingua in docendo animum praecurreret. Prudenter enim admonuerunt veteres: prius cogitandum esse quid loquaris, quam lingua prorumpat in verba. Prior enim cogitatio semper corrigi potest posteriori meliori. Et meditationes non comprehensae literis in longioribus Orationibus saepe fallunt, aut prolixitate aut brevitate: saepe etjam in medio cursu orationis, quando materia difficilior est, in minus exercitatis deficiunt. Sicut igitur alios comministros meos saepe adhortatus sum, ne imparati ad explicationem rerum sacrarum suggestum ascendant, seque auditoribus deridendum praebeant, hinc inde verba et voces colligentes, quae non multum faciunt ad rem, sed tantum aures odiose explent: ideoque etjam Deo et sanctis ejus Angelis fortassis displicent: sic ipse operam dedi, ne hujus praecepti essem immemor. Si igitur verum est, in alia quacunque profana oratione, quod vulgaris habet versiculus: Verbaque praevisam rem haud invita seqvuntur; certe opus est praemeditatione in explicatione rerum Theologicarum, ubi standum est velut in conspectu Dei, et sanctorum ejus, et ubi Ecclesia admoneri et instrui debet de rebus omnium gravissimis. - - - Animadverti enim populares meos et comministros, in concionibus habendis saepe exordia ducere non satis convenientia ad rem, sed valde aliena, et procul accersita; similiter et conclusiones non esse satis appositas aut concinnas: his ergo meis popularibus, et coetui scholastico, hac mea tenui opella et quantulocunque labore inservire et prodesse volui.* Unde de concionandi arte apud sympatriotas suos juvanda et pro-

movenda, laudabilem omnino curam fovisse meritissimum Praesulem, egregie patet [6]).

§ IV.

Sequenti seculo primus qui Ecclesiae Fennicae, operibus concionatoriis typis quidem impressis, profuisse reperiatur, est D:nus ERICUS ERICI Episc. Aboënsis, cujus *Postilla* sive Ulgoštoimitus nijnen Ewangeliumitten päälen cuin ymbäri ajaſtajan, ſaarnatan Jumalan Seuracunnaſa; Caicken Jumaliſten ja hywäin Suomalaiſten, jotca Jumalata ja hänen pyhä Sanans racaſtawat, hywäxi, opixi ja ojennurexi tehty ja coconpantu, prodiit Holmiae 1621—1625, II. tom. 4:to. Servat hic quoque Methodum sic dictam Analyticam [1]); quo vero ipsa forma ratioque Concionum suarum plenius cognoscatur,

[6]) Quoniam in anno definiendo, quo MARTINUS SKYTTE obiit, et noster JUUSTEN una cum MICH. AGRICOLA ad Episcopalem dignitatem evecti sunt, dissentiunt Auctores; placet hic observare, in Praefatione Postillae, quam a. 1570 Moscuae detentum, se scripsisse testatur JUUSTENUS, eum simul dicere *jam XIX agi annum, postquam Episcopi munus sibi concreditum fuit:* quare secunda manus adscripsit, eum 1551 fuisse Episcopum creatum. Atque idem hic annus in exemplo *Chronici* sui *Episcoporum Finl.* quod MStum servat Bibliotheca Academica, primitus expressus fuisse videtur, quem secunda manus correxit, ita ut jam 1554 exhibeat; vestigiis tamen prioris scripturae remanentibus. Qui *Skyttium* anno demum 1555 obiisse narrat MESSENIUS (Chron. Episc. C. XII, p. 115, Scond illustr. T. X. p. 26, quem sequitur SPEGEL Sw. Kyrko-hiſt. VII. B. III. C. p. 403), ac *Ecclesiam triennio postmodum vacasse,* mox autem adjiicit inter *Agricolam* et *Juustenum* a. 1554, *Skyttio adhuc vivente,* Dioecesin fuisse divisam, nimis se oblitus est. Rectius igitur mortem *Skyttii* ad a. 1550 retrahit RHYZELIUS *Episc. Sv.* Lib. VII, p. 344. seqq. et JUUSTEN in *Chronici Episc.* exemplo quod typis exprimi curavit NETTELBLADT l. c. p. 85. Utrum his, an Bibliothecae nostrae Acad. MSS. potior sit fides habenda, harum rerum curiosis diligentius definiendum relinquimus.

[1]) Quam, si rite adhibeatur, in plebe simplici erudienda, insigni usu haud carere, ac Synthetica multo esse faciliorem, negari nequit: quare Concionatores doctrina dicendique peritia et facultate minus instructi, non imprudenter illam potius amplectun-

ipsius verba e praefatione proferre liceat, quae latine versa sequentia sunt: „In Exordio (post Evangelium scil. prae„lectum, nam nullum prius Exordium, quod *Parasceve* vel „*Introitum* vocant, apud eum invenias) ipsum Argumentum „quorumvis Evangeliorum exponitur; deinde ostenditur cum „quo loco Catecheseos hoc Evangelium congruat. Ipsum „postea Evangelium in duas dispescitur partes, ad suble„vandam memoriam, raro in tres. In explicando textu, „quaevis pars in certa rursus momenta tribuitur, secundum „ipsam textus rationem; et quodvis momentum paucis ver„bis explanatur; atque res verbaque, quae ibi occurrunt, ita „explicantur, ut legens vel audiens, ea mente possit asse„qui, scireque quando et ubi ea (sc. quae in Evangelio nar„rantur) facta sint. Textus interpretationem excipiunt usus „practici, ab ipso textu in quavis parte eruti, atque Scrip„turae Sacrae testimoniis firmati - - Sunt et multis exem„plis et e Veteri et Novo Testamento, ut et ex Historiis „profanis [2]) illustrati". Hactenus ille. Qvamvis vero textus satis luculenter plerumque explicetur, atque usus ad ductum Evangelii haud male exponantur; frustra tamen hic expectes Eloquentiam quandam gravem, aut vim copiamque oratoriam; quae et apud plerosque desideratur reliquos hujus seculi Oratores Sacros, quorum supersunt Concionum exempla. Sunt autem sequentia, quae quidem hactenus aut oculis usurpare, aut ab aliis laudata videre, nobis licuit. Haud dubitamus, quin diligentiam nostram multa effugerint: quare ut illa nobis indicare velint, qui forte aliqua possident aut repererint, docti populares, reliquis ubi occasio tulerit adjicienda, perofficiose rogamus. Ordinem sequimur temporis, quo publicam adspexerunt lucem.

---

tur. Cfr. PONTOPPIDAN *Colleg. Past. Pract.* C. XV, p. 147. Ed. Svec.

[2]) Praeter testimonia Scripturae Sacrae, haud raro occurrunt effata Patrum Ecclesiasticorum, ut *Augustini*, *Tertulliani*, *Chrysostomi*, aliorumque. Quin Scriptores etjam Ethnici, *Cicero*, *AElianus*, *Plutarchus*, aliique, digni sunt visi Auctori, quorum verba interdum, illustrationis caussa proferret.

1. *Concio de Decem Virginibus*, Yxi Chriſtillinen Saarna lymmeneſt Neidzeſt, Matth: 25. Selitettŷ ja Prändtijn annetu a LAURENTIO PETRI, *Aboico*, Past. Eccl. Tammela. Prändättŷ Turuſa, Petari Waldilda. a. 1649. 4:to. Pl. 6.

2. *EJUSD. Concio de Vitanda Fornicatione.* Chriſtillinen Saarna Huoruben Wältämiſeſt. = = Prändättŷ Turuſa Pietari Hannunp. Acad. Typogr. an. 1656. 4:to. Pl. 4 [3]).

3. *Hircus Emissarius Novis Foederis*, Se on Jeſuxen Chriſtuxen meidän ainoa Wälimiehem, Kärſimiſen Hiſtoria, Sen jälken cuin ſe on neljäldä Ewangeliſtald kokonpandu; Ja Paſton ajalla malla, Jumalan Seurakunnas ſaarnattawaxi aſetettu; Lyhyläiſes ſeitzemäs Saarnas Selitettŷ ab ABRAHAM IKALENSI Theol. Studioso. Aboae impensis Auctoris. Excudebat Petrus Hansonius Acad. Typog. A. 1659 [4]).

4. *Ode Consolatoria*, eli Chriſtillinen Ruumin Saarna Jumaliſten Lohdutuxiſt, jolla he taitawat Elämäs ja Cuolemas wirgotta ja wahwiſta itzens. Muinen Jumaliſen ja Cunnialliſen H. **Margarethan Pawalin** Tyttären hautamiſes, joca = = täldä ajalliſen cuoleman cautta ercani, 19 Novemb. anno 1665, Lyhyläiſeſti, Hämen Kyrös, erinomaiſen anomiſen jälken, Dom. I. Advent. cotona pidettŷ, a JOHANNE GREGORII FAVORINO, Verbi D. Min. ibid. Tryckt i Åbo aff Petro Hansonio. 4:to. Pl. $3\frac{1}{4}$ [5]).

---

[3]) Docet Celeb. SCHEFFERUS *Sveciae Literatae* p. 319, eum edidisse praeterea Fennice:

1. *Conciones in Confessionem publicam Poenitentialem et in Consecrationes Gratiasque Mensales*, Aboae 1644.

2. *Conciones in Lutheri Benedictiones Matutinas et Vespertinas.* Ib. 1644.

[4]) Laudat quoque Cel. SCHEFFERUS Svec. Lit. p. 321 hujus Auctoris, Pastoris tum Ikalensis, *Concionem funebrem in Obitum D:ni Joh. Coltini*, ex. 2. Tim. IV: 18, exc. Aboae 1671, 4:o; sed non indicat, utrum Svetico an Fennico idiomate: nobis non est visa.

[5]) Offendas in hac Concione, ut et omnibus fere sequentibus, gemina exordia; qui itaque mos ineptus circa medium seculi praeterlapsi, imitatione Germanorum, apud nostros invaluisse videtur.

5. *Concio Synodalis de Angelis.* Christillinen Saarna Engeleistä. Jonga Turun Duomiokircosa Pappein cocouxesa, 1666 wuona jälken Jesuxen Christuxen syndymisen, 19 Januarii on pitänyt LAURENTIUS PETRI Praepositus et Pastor Tammelensis. Prändätty Turusa **Johan Winterildä** anno 1670. 4:to Pl. 3½.

6. *Lineamenta Veri Christiani.* Se on yhden oikian Christityn hengellinen hahmo ja Muoto; jonga sen Cunniallisen = = Muorin ja Matronan, nyt Herrasa edesmennen H. CATHARINA HAAKSIN, Her JACOB COLLINUXEN, hywinasetetun Kirkoherran sinä Jumalises Uskelan Seuracunnas, muinen rackaan Puolisoin, Cunniallises ja Christillises Hautamises, cuin tapahdui Uskelan Isos Kirkosa 12 Septemb. wuonna 1680, Yxikertaisest edespani ja ulostoimiti JACOB FLACHSENIUS S. S. Theol. Prof. etc. Turusa Präntäisi JOHAN WALD. A. T. 4:to. Pl. 3½.

7. *Cordiale Morientium,* eli Cuolewaisten Ihmisten Sydämmen wahwistus walmistettu, cosca saatettin lepocammions 12 Sept. a. 1680 = = H:stru CATHARINA HAAKS, = = Her JACOB COLLINUXEN, = = racas Puoliso. Ja anomisen jälken tälle Matrona wainaalle cunniallisexi Jälki muistoxi Präntin annettu, a CHRISTIANO PROCOPAEO Past. Loim. TURUSA, Pränttäis Johan Winteri, Kuning:nen Bookt. Suures Ruhtinan Maasa Suomes, Wuona 1681. 4:o. Pl. 3.

8. *Portio Praepollens Primogenitorum.* Se on Esicoisten Edustos osa. Christillises Ruumin Saarnas cosca se = = piscu Pilti ja racas Lapsi wainaja, JOHANNES GEZELIUS, joca lihallisest tähän ajalliseen, sinä 1 Junii, ja hengellisest sijhen ijancaickiseen, sinä 5 hujus, Elämähän synnyi; nijn myös cohta Sielun puolest, sinä 12 ejusdem, cuoltuans sinne sijrryi. Ja jonga wähä ruumis, = = S. Marian Kirkon Sacristohon, Lepocammiohons, Maahan pandijn, sinä 17 Julii anno 1681, joca langeis sen seitzemennen Sunnundain päälle, jälken P. Colminaisuden, = = lyhykäisest ja yxikertaisest coottu ja edestuotu: a NICOLAO M. HAMMAR *Verbi Div. Min. ibid.* Pränttäis Turusa Johan Winter Cuning. Booktr. Wuona 1683. 4:to. Pl. 3. (praeter Progr. exseqv. et Epitaph. Pl. 1).

9. Chriſtillinen Ruumin Sarna ſilloin cuin muinen, Jumalinen, ja Cunniallinen Matrona, ⁂ BRITA MATTHIAXEN TYTÄR HERMIGERA ⁂ Her MICHAEL HEINTZIUXEN, urholiſen ja hywäſti anſainen Kirckon Herran, racas Puoliſo, Sawitaipalen Seuracunnas; Cunnialliſeſt haudattin Sawitaipalen Kirckoſa, Pyhän Colminaiſuden Sunnuntain päiwän päälle, joca langeiſi ſen 15 Päiwän päälle Keſä Cuuſa, wuona jälken Chriſtuxen Syndymän, 1690, Pidetty PETRUS BÅRGILDA, P. R. Doct. ja Piſpalda. Wiburis Präntätty Daniel Medelplanilda, Gymn. Präntärildä. 4:to.

10. *Bonus Episcopus*, Se on, Uſcollinen ja hywä Jumalan Huonen Haldia, edespandu yxikertaiſeſa Saarnaſa, Turun Duomio-Kircoſa, coſca ⁂ Doct. JOHAN GEZELIUS Turun Hiippacunnan Corkiaſt ylliſtetty, ja cuulluinen ylimäinen Pappi, Piſpa ja Academian Procancellarius haudattin, ⁂ a CHRISTIANO P. PROCOPOEO Pastore Loimjokienſi, 24 Junii anno 1690. Prändätty Turuſa, JOHAN WINTERILDÄ. Cuningal. Präntäjäldä. 4:o. Pl. 10.

11. *Efficacissimum Solatium Parturrientis in vita et morte.* Se on Synnyttäjän, eli Synnyttämiſen kipua ja waiwa lärſiwäiſen, Lohdutus Elämäſä ja Cuolemaſa: Muinen Cunnialiſen ⁂ Matronan, CATHARINA BARKIN, ⁂ Her HENRICH MALMIN, **Urdialan Seuracunnas**, ynnä hänen racan Lapſens ja wähän Poicaiſens, BENJAMIN MALMIN, Chriſtilliſes hautamiſes **Urdialan Kircos** anno 1698 den 6 November: Sanottu ja Selitetty a JOSEPHO KOLCKENIO Sacellano in *Achas*. Prändätty Turuſa JOHAN WINTERILDÄ, Cuningal. Präntäjäldä. 4:o. Pl. 3¾. (praeter Dedic. et Epitaph. ¼) [6]).

---

[6]) Praeter allatas Conciones, superiori seculo sequentes etiam Fennice editas esse reperimus, sed quas nobis aut plane non contigit videre, aut quarum lacera tantum fragmina comparare potuimus.

1. ISAACI ROTHOVII Episc. Aboens. *Conciones Sacrae XX in Threnos Hieremiae.* Prodierunt hae Conciones Svetice, sub titulo: Then Chriſteligha Läran om een ſanſkyllig Boot och bättring, och om en ſaligh beredelſe til wår Käre Herres och Frälſares Jeſu Chriſti tilkommelſe, hwilken wij dageligen i troone förwänte.

Methodus omnibus hisce Auctoribus observata, una fere eademque est. In universum materias libentius pertractatas videas Theoreticas s. Dogmaticas, quam Practicas, et ad docendum quam animos pietatis ac virtutis sensu inflammandos, magis esse comparatas. Id tamen in laudem nostrorum, observatu dignum videtur, eos contagionem, quae concionatores Anglos et Germanos, superiori seculo infecit, ut scil. conciones suas sic dictis *realibus* ornare studerent, seu verius deformare, (de qua stultitia cfr. MÖLLER om et Rätt Predikofsätt, p. 110, 111, 253. sqq.), sedulo evitasse.

Supplementum.

Tanta laborat penuria omnis generis monumentorum Historia Fennica, ut litera fere quaevis, superioribus quidem

---

ltthaff Hjeremiae Klago Wijfor i tjugo Predikningar författat och i Åbo Domkyrkjo hålbne aff Isaaco Bergeri Rothovio, Episcopo Aboensi, Aboae 1645, 8:o *minori;* quo vero anno Fennice impressae sint, dicere non valemus; nam fragmentum quod vidimus, quodque possidet D:nus Praeses, et initio et fine caret; neque aut a Cel. SCHEFFERO *Svec. Lit.* neque a Nobil. v. STJERNMAN *Bibl. Sviogoth.* vel *Ab. Lit.* hujus versionis fit mentio, quamvis editionem Svecanam adferant.

2. THOMAE RAJALENII Past. Tyrvensis, *Conciones in Evangelia Feriae secundae et tertiae rogationum. Item Duae Conciones de Sacra Coena, una de Passione Christi atque una de Ejusdem sepultura.* Aboae 1654. 4:o (Cfr. SCHEFFERUS l. c. p. 320). Neque harum nisi fragmentum lacerum videre nobis contigit.

3. GEORGII ALANI Prof. Theol. Primarii et Archi-Praep. Aboënsis *Concionem Synodalem de Angelis* 1668 4:o laudat SCHEFFERUS l. c. p. 319. An eadem quam supra p. 18 indicavimus?

4. AND. SIM. KEXLERI *Concio ex Matth. XX:* 23. *in obitum Joh. Melartopaei* Ab. 1679. 4:o. v. STJERNMAN Ab. Lit. p. 108.

5. JOH. GEZELII Sen. Episc. Ab. *Concio Funebris ex Joh. III,* 16. Ab. 1681. 4:o. Id. p. 76.

6. EJUSD. *Concio Funebris* ex Apoc. XIV. 15. 1683. 4:o. Id. l. c.

seculis a nostris hominibus profecta, quae inimica plerarumque fata evaserit, avide sit rerum nostrarum curiosis conquirenda, et, si quam forte opem paupertati huic levandae afferat, consulenda: quo consilio, fatemur Concionibus etiam Fennice conscriptis colligendis perlustrandisque nos animum adjecisse. Ac quamvis nihil fere occurreret, quod ad Historiam quidem ipsam patriae illustrandam pertineret; quod tamen ad cognoscendum statum et Religionis, et eruditionis, in primis Theologicae, non prorsus nihil adjuvent, simulque mores gentis hic ibi cognoscendos praebeant, linguae autem Fennicae faciem, quali temporibus istis gauderet, solae fere conspiciendam nobis sistant: consilii capti haud omnino nos poenituit. Cum vero non ignoraremus, copiam illam Concionum Fennicarum, Typis editarum, qua inprimis adjuti, Dissertatiunculam hancce conscribere aggrederemur, quamque collegerat maximam partem Dn. Praeses, lacunis minime carere, nulla alia ratione felicius explendis, quam si nostris opibus indicatis, doctorum porro popularium nobis subsidia expeteremus; hoc secuti consilium, nec male cessisse experti, supplementum indicis in priore opusculi parte dati, jam adjungimus: quod benivolentiae debemus, cum Reverendissimi Archi-Episcopi, atque Acad. Ups. Pro-Cancellarii D:ni D. MENNANDER, qui pro illo quo litteras nostras complectitur insigni favore, etiam huic conatui nostro opem non subduxit, tum Maxime Rev. Praepositi ac Tammelensium in Tavastia pastoris D:ni D. MICHAELIS AVELLAN: quorum ut alii etiam velint porro praeclarum exemplum imitari, ac si forte hujus generis quidquam possideant, D:no Praesidi nobisve significare, rogamus. Conciones igitur Fennicas, superiore seculo editas, reliquis adjungendas, has jam habemus:

1. Selityxet joca-päiwäiſten Huomen- Ehto- ja Ruoca-Lucuin, eli Siunauſten yliże, yxikertaiſill Saarnoill ehdespannut

7. M. JOHANNIS (THURONIS F.) WÄNERI (l. THURONII) *Militis Christiani Triumphus*, ex 2 Timoth. IV: 7, 8. Conc. Funebr. in *Magnum Wallaeum*, Pastorem in Messuby. Ab. 1689. 4:o. Id. pag. 51.

LAURENT. PETRI Aboico, Minist. Verbi Dei in Loimi-joki. Prändätyt Turuſa Pietari Waldilda, anno 1664. 4:o [7]).

2. Charitas sine modo, Dilectio sine exemplo! Se on mittamatoin ja tutkimatoin Jumalan Rackaus, niſſä lohdulliſiſa Herran Chriſtuxen Sanois: Niin rakaſti Jumala Mailma etc. Joh. 3. Lyhykäiſes ja yxikertaiſes Ruumin Saarnas . . . Herr JOHANNEXEN FAVORINUXEN Suomen Kyröin uſkolliſen Kirckoherra wainaan Chriſtilliſes hautamiſes; joca tapahtui ſaman Pitäjän Kirkos wuonna jälken Chriſtuxen ſyndymän 1673, yhdexendenä päiwänä Maalis Kuuſa, joca oli Puoli Paaſton Sunnundai, edespandu, ja nyt anomiſen jälken prändtin walmiſtettu ab ABRAHAM IKALENSI, Past. in Ikalis. Prändätty Turuſa Pietari Hansoniuxelda. Pl. 3½ 4:o.

3. Concio Exequialis, eli Chriſtillinen Ruumis Saarna uſkolliſten palwelioitten palcaſt ja lohdutuxiſt, muinen cunnialliſen ja hywäſt oppenen Herran JOHANNEXEN Chriſterin Pojan MELARTOPAEUXEN, Pällänän Kirckoherran hautamiſes, 26 Jun. 1679, pidettu ANDREAS KEXLERUXELDA, Hefwan Pitäjän Kirckoherralda. Text. Matth. XXV. 23. Turuſa, prändätty Johan Waldilda. 4:o (Cfr. supra §. 4. not. [6]).

§ V.

Hujus autem facultatis excolendae efformandaeque, quibus usi hoc seculo nostri fuerint subsidiis, non alienum est a consilio opusculi, paucis indicare. Praeter eosdem igitur illos, ad quos superiori sese contulerant seculo, vel sapiendi vel dicendi fontes [1]) atque exempla cum Germa-

[7]) Cfr. supra §. IV, not. [3]).

[1]) Cfr. supra §. III. Quod vero ibi laudauimus egregiam curam operamque B. Episcopi PAULI JUUSTEN, in Sacerdotibus suae gentis ad commodum fructuosumque concionandi morem adducendis, ac postea novum laudabilis hujus studii reperimus documentum, in Oratione quam a. 1573 hic Aboae, in Synodo, ad Clerum congregatum latino idiomate habuit, quamque MS. servat Bibliotheca Academica; locum inde, qui hanc attingit rem, adponemus: *Haec*, inquit, *scripta*, (S. nempe codice comprehensa) *vult Deus ut nocturna versemus manu, versemusque di-*

norum tum Svecorum, quae exprimere concionando studebant, neque a domesticis destituebantur vel consiliis vel

urna: et iis congruentem proferamus doctrinam. Utque ea Scripta intelligamus melius, excitavit Deus subinde peritos interpretes, qui non tantum viva voce confessionis suae, sed etiam editis Commentariis illustrant doctrinam et singulos ejus articulos sigillatim. Habet itaque haec nostra aetas Commentatores et interpretatores Scripturae longe doctiores et peritiores, quam superior aetas; sicut videre est ex collatione Commentariorum LUTHERI, BRENTII, PHILIPPI, CRUCIGERI, MAJORIS *etc. et aliorum qui paulo ante ista tempora suas ediderunt lucubrationes in Scripturam Prophetarum et Apostolorum. Horum igitur enarrationibus adjuti, possunt Ministri Ecclesiarum felicius docendi ministerio fungi, si modo studium aliquod et diligentiam aliquam, in his pervolvendis voluerint conferre, et si meditatio aliqua accesserit sacrarum rerum, sicut certe debet. Verum quidem est, quod curae domesticae et rerum inopia, quibus multi premuntur, plurimos revocant a meditatione rerum Divinarum et studiis Christianae Religionis. Sed his posthabitis, conferendae sunt horae aliquae ad studium doctrinae Evangelicae, et meditationem rerum divinarum. Neque enim aliter unquam recte praeesse vocationi nostrae possumus, si saltem cogitare velimus quid et quantum ea requirit. Accedat ergo acre studium Sacrae Scripturae, ut majori fructu vocationi nostrae praesse possimus. Et Domini Pastores non tantum curam habeant suarum Concionum, ut quadrent ad regulam mentis Divinae, et veram doctrinam Ecclesiae, verum etiam diligenter attendant et inspiciant, quid Sacellani profitentur, non sinant vagari eorum conciones extra septa, sicut fortassis multi faciunt, negligunt scopum Evangelii et institutae concionis, et arrepto aliquo vocabulo navigant nunc in orientem nunc in occidentem, inde ad austrum redeuntes, tandem in septentrione portum quaerunt. Talis divagatio non necessaria, non deservit erudito viro, neque est species eruditionis, sed testimonium inscitiae et ruditatis. Sic penitus rimari naturas et significationes singulorum vocabulorum, et inde exstruere doctrinam aliquam, firmam et convenientem rebus, non est cujusvis, sed tantum eorum qui habent linguarum peregrinarum donum (et) cognitionem. Melius ergo facerent alii, si probatos et certos authores in formandis concionibus imitarentur, quam dicerent non cohaerentia. Et quia mentionem facimus doctrinae in Ecclesia Dei proponendae, curandum quoque est, ne allegoriis sint alienae, et aliquando etiam absurdae; sed si illis uti voluerimus, adducamus potius eas, quas*

concionandi formulis, ad quas imitationem atque conatus in hoc genere suos, dirigent. Inprimis post Academiam beneficentissimo consilio hic Aboae conditam, (cujus ope nova quasi lux et ad universam Fenniam et ad Sacerdotum maxime ordinem penetravit [2]), officinamque Typographicam mox etiam ibidem institutam, suam industriam desiderari passi haud sunt viri de Ecclesia nostra meritissimi, in praeconibus verbi Divini, vel futuris, vel minus exercitatis, adjuvandis, veroque, pro suo sensu, concionandi modo illis demonstrando. Pertinent huc, quas Disputationum Academicarum loco, ab anno Domini 1649, ad a. 1653, latino sermone edidit, in 4:a quam vocant forma, AESCHILLUS PETRAEUS, (eo tempore *S. S. Theol. Doct. ac. Prof. et Civit. Ab. Pastor, Episcopus* postea *Aboënsis*), *Meditationes S. Evangeliorum, additis S. Patrum dictis, Quaestionumque aliquot decisione, ad uberiorem textus, cum opus est, explicationem et Heterodoxorum refutationem* [3]). Quae singulae, a studioso aliquo juvene, sub praesidio ejusdem D:ni Doct. PETRAEI, publice fuerunt defensae. Idem simili prorsus consilio formaque, ab a 1652 ad a. 1657 [4]) edidit etiam

---

probati et recepti authores excogitarunt, quam ut temere ipsi aliquid confingamus. Gestus quoque in docendo sint graves, modesti et convenientes; non ludamus manuum gesticulatione praeter necessitatem. - - Sic etiam affectus moderandi sunt, ne aut nimis contentiosa voce, aut irato vultu et inflato auditoribus simus terribiles. Sic n. indulgere affectibus, ut velut tonitru strepere videamur in suggestu, non est pro decoro Concionatoris Evangelici. Servetur etiam in his aequalitas modesta. Quae verba satis ostendunt, quanto et studio et intelligentia laudatissimus Praesul hanc rem urserit.

[2]) Quod antea paucioribus Theologiae studiosis facultatum satis suppeteret, Academias transmarinas, studiorum continuandorum gratia, petendi; nullis plerique aliis litteris, quam quas in Schola Aboënsi arripuerant, instructi, ad publicum in Ecclesiis docendi munus accedebant.

[3]) Aboae typis Acad. excudebat Petrus Wald. Duo implent justae molis volumina.

[4]) Episcopali quidem jam tum munere fungebatur; sed fuerintne prius in Academia ventilatae, quam typis vulgarentur.

Meditationes S. Epistolarum, additis S. Patrum dictis - - et Heterodoxorum refutatione [5]). Utrique deinde Syntagmati, justi molem operis implenti, generalem titulum, qualem attulimus, praefixit: qui libri perraro jam, posterior inprimis (s. *Meditationes in S. Epistolas*) visuntur. Ipsam quod attinet harum Meditationum rationem atque conformationem, non discedit a methodo, quam alii istius temporis S. Praecones observarunt, quamque supra § IV. p. 12 et 16 indicavimus. *Parasceves* loco dictum aliquod habet S. S:ae, non optime plerumque ad materiam in Tractatione postea explicandam quandrans, sed ad diei sollennitatem accommodatum, etc. In *Exordio* breviter Textum S. explicat, cujus postea contenta in certas partes tribuit, quas ordine persequitur, atque ex iis doctrinas sive locos communes sigillatim exhibet. Unum aliquod argumentum per totam Concionem tractandum, non proponit: neque Epilogum aut usum generalem subjungit. Interpretandae S. Scripturae talis est ratio, qualis illa aetate ubique obtinuit. Consilium praeterea, quod titulus operis indicat, studiose persequitur: e quo de more concionandi illis temporibus probato, judicare satis licet. Idem laboriosissimus Episcopus, toto administrati hujus muneris sui tempore, a. a. 1652 - - 1657, in gratiam Cleri Dioeceseos Aboënsis, breves delineationes S. Concionum, diebus tribus Poenitentialibus solenniumque precum et gratiarum actionis publicae, habendarum, latino sermone quotannis edidit: eadem quam descripsimus methodo adornatas: contentum sc. textus cujusvis in binas dividere partes jubet, locosque communes, quos subjungendos utrique

---

an continuaverit Episcopus disputationes studiosorum e Cathedra Academica moderari, ego quidem, qui *Meditationes* ejus in *S. Epistolas* oculis non usurpavi, dicere nequeo. Ad finem perduxisse etiam hoc opus, paucis exceptis partibus, testantur SCHEFFERUS *Svec. Lit.* p. 135, et STIERNMAN Aboae Lit. p. 20.

[5]) Aboae ap. Pet. Wald et Hansonium. Utriusque Syntagmatis partes singulas, recenset Cel. LIDÉN *Catal. Disputationum in Acad. et Gymn. Sveciae habitarum.* Sect. III. p. 144 —151.

censet, indicat [6]). Continuatum post ejus mortem fuisse hoc institutum, ex delineatione similis plane formae rationisque, S. Concionum diebus solennibus precum publicarum a. 1662 habendarum, typisque in 4:o exscriptarum, discimus [7]). Ex quo autem Episcopale munus hic administran-

[6]) Ejus etiam industriae forte debentur formulae s. Dispositiones Concionum V in Passionem Dominicam, per tempus Jejunii, Evangeliorum anniversariorum explicationi conjungendarum sive potius praemittendarum, quae sermone Svecico, neque auctore, neque loco, neque tempore indicato, foliis 6 in 4:o, typis impressae extant, atque hujus aetatis ostentant vestigia. Servantur jam in Bibliotheca Academica; volumine comprehensa, quod B. PETRAEI et illas continet litteras Circulares quas in Oratione *de Synodis, et speciatim Dioecesanis Aboënsibus*, recenset, qui harum rerum ditissima gaudet collectione et accuratissima cognitione, Reverendiss. Archi-Episcopus et Pro-Canc. Dn. Dr. MENNANDER, (p. 47 sq.), et aliam Epistolam repertu rarissimam, illa priorem, atque a. 1652 d. 2 Dec. ad Praepositos et Pastores Dioeceseos Ab. Sermone Svecico datam typisque expressam, qua Regii Diplomatis, quo PETRAEUS muneri Episcopali praefectus fuit, cum his exemplo communicato, varia praeterea monita atque consilia, ad officiorum suorum curam pertinentia, illis exhibentur. Adposuisse ultima verba juvabit: Så är och wår wänlighe begäran, at alla oförsörgde Präster, meb thet snaraste sigh hijt til Consistorium förfogha. Så och alla Praeceptores hoos Abel och Dabel sigh här inställa ifrån Nyåhret, och så länge åreföhret ståår, att tagha information huru the wijdare sigh skola förhålla. Hwad mera kan wara at påminna, spares till näste Synodum, hwilken anstält warder (wil Gudh) den 16 och 17 Junii Anno 1653. Befalle ebher etc. Nomina subscripta comparent. non tantum Episcopi, sed et omnium reliquorum, qui Consistorii Ecclesiastici tum erant Assessores, VII Professorum et Rectoris Scholae Cathedralis. De hujus Episcopi reliquis operibus in lucem editis, cfr. STJERNMAN l. c. ubi praeter *Conciones* ejus Svecanas, *Modus visitandi aegrotos, et alia ad munus Sacerdotale pertinentia, diversis Aboae edita temporibus*, commemorantur, quae ad nostras manus, ut quatenus nostrum attingant consilium judicare possemus, non pervenerunt.

[7]) Utrum successoris ejus TERSERI, an alius opera nescimus. Conciones tres poenitentiales latino sermone, Aboae edidisse in 4:o, ENEVALDUM SVENONIUM, docet STJERNMAN l. c. p. 25, anno, ut videtur 1664; quas non vidimus.

dum suscepit Jo. GEZELIUS, Pater, idem consilium magna diligentia quotannis exsequi perrexit; ab a. 1666 ad a. usque 1674, quo hanc curam laboremque in filium transtulit [8]). Methodum ille antecessorum more, constanter adhibuit analyticam: tractationem semper bifariam dispescens, in Explicationem textus, et Applicationem; in qua posteriore doctrinas atque usus e textu explicato eliciendas, demonstrat [9]). JOH. GEZELIUS Filius, non modo paterni hujus operis filum ab a. 1675, ad mortem usque suam a. 1718 perduxit; sed etiam homilias hasce ab utroque elaboratas, quae tum prodierant, anno 1693 junctim denuo edidit, homiliis etiam XIII Juridicis, suae operae, adjectis: titulumque Syntagmati hunc praefixit: *Fasciculus Homileticarum Dispositionum, annis circiter XXVII seorsim editarum, videlicet CCXX in textus Sacros Poenitentiales, et V in totidem textus solennes, Grat. Act. additis XIII Homiliis Juridicis; Auctoribus JOH. GEZELIO Patre, et JOH. GEZELIO Joh. Fil.* Episcopis Ab. etc. Aboae impr. a Joh. Winter 1693, 4:o. Idem vir,

[8]) Anno 1668 excepto; quem defectum postea filius supplevit: quo contra impedito, Pater textus annorum 1678 et 1689, explicare et tractare docuit. GEZELII Senioris in litteras Ecclesiasque Fennicas exponere ingentia sane merita, hujus non est loci; grata illa semper nostrates memoria agnoscent. Vide Catalogum Operum a se, vel suis impensis, suaque cura editorum, apud Nobiliss. STJERNMAN l. c. p. 71—77; inter quae ad nostrum pertinent consilium, praeter Conciones suas, *Perbreves* illae *Commonitiones* quas Svecano sermone a. 1673, 4:o Clero Dioec. Ab. exhibuit, in quibus pauca etiam, ea tamen haud spernenda, de Concionum Sacrarum vera indole usuque, monita occurrunt.

[9]) Mirum itaque haud est, tantas auctoritates, reliquis etiam Sacerdotibus nostratibus, hanc methodum maxime reddidisse commendabilem; uti nec ad insulsum morem retinendum, quem seculi consvetudo probabat, verba sententiasque latinas in orationes vernaculas inferciendi, non contulisse nihil, probabile est, quod exempla quae sibi sequenda proponerent Concionatores, quibusque meditandis proficere studerent, Latina fere essent lingua exarata. Itaque titulum, propositionem, partitionem, Concionis Fennicae, latinis verbis conceptam non raro videas, interpretatione deinde vernacula subjecta.

de patria Ecclesia multis nominibus meritissimus [10]), Professor Theol. ordinarius constitutus, Collegiis sic dictis Concionatoriis habendis, in quibus et praecepta S. Eloquentiae explicaret, et ad praxin recte concionandi juvenes studiosos adduceret, ad rationem ejus apud nos emendandam praecipue contulit; in cujus collegii sui usum edidit, quem commentationibus illustraret, a. 1679, 8:o, Jo. BENED. CARPZOVII *Hodegeticum Concionatorium;* quem librum a. 1690 iterum typis vulgandum curavit, excudente Jo. Winter, 8:o. Unde non minus quam ex emissis in lucem Concionibus suis, Svecico idiomate conscriptis, qualem Oratoriae S. rationem probaverit, judicium fieri potest. Methodum ille nostris sensim probabiliorem reddidit Syntheticam; quam etiam in editis Dispositionibus suis homileticis adhibuisse fere reperitur; una plerumque propositione thema complectens, ac in partes deinde ubi videretur, duas aut tres, dividens; usum demum, qui ex materia tractata aptissime sequeretur, in Epilogo tradens [11]).

§ VI.

Quae igitur hodie Concionatoribus nostris Sacris usitatissima est, Synthetica haec Methodus, circa finem superioris sensim recepta, hoc nostro seculo magis magisque

---

[10]) Cfr. STJERNMAN l. c. p. 87–90.

[11]) Praeter opem, quam ex laudata Antistitum Ecclesiae Fennicae cura ac opera, Sacrae Eloquentiae cultores nostrates, ad hanc facultatem adjuvandam nacti sunt, nec alios quoque, commilitonibus hujusmodi auxilio inserviendi nullo ductos fuisse studio reperimus: quos tamen, quod Auctoritate non aeque valuerint, praeterimus. Conferri potest passim STJERNMAN l. c. ex. gr. p. 55 seq., ubi OL. ARENII, Past. Malaxensis, recenset huc aliquo modo pertinentes labores homileticos. Nec dubium est, quin a Professoribus quoque Theologiae, consiliis praeceptisque huc spectantibus, studiosi litterarum sacrarum, muniti pro temporis more fuerint; cujus tamen rei nullum monumentum litteris consignatum, ad nostras pervenit manus.

invaluit [1]). Illustrant hanc rem satis fata Eloquentiae Sacrae Svecanae, ad cujus fere exemplum nostra componi perrexit, facile videndas ob caussas: ut plerumque Germanicam utraque imitata est, quae eodem fere tempore ab ineptiis repurgari coepit, quibus diu misere inquinata fuerat. Hodierno autem Eloquentiae nostrae sacrae statui ennarrando, diutius immorari, necessum nobis non est, quippe notiori, quam ut longa egeat expositione. Nec tamen quod mirum videri debeat, aut a veritate abhorreat, nos dicturos putamus, si aptissimam consilioque ipsius instituti vero accuratissime attemperatam Eloquentiam, vel hodienum apud non paucos verbi Divini Praecones desiderari, monuerimus; licet quoad externam formam, nonnullaque alia, eorum Conciones meliores sint iis, quae antiquioribus concinnatae sunt temporibus. Sed illam rem accuratius persequi, a nostro alienum est instituto. Indicem modo Concionum sacrarum, chronologico ordine contextum, quae praesenti typis vulgatae seculo, in nostras inciderunt manus, subjungemus. Sunt vero sequentes:

1. Chriſtillinen Ruumis Saarna, coſca = = Herr JOHANNES CAJANUXen = = Prowaſtin Cajanan Linnan Läänis, ja Kirckoherran Palbamois, = = Ruumis lepocammioons, ja hautaans johdatetuxi, ja laſſetuxi tuli, 1703. 23 Augusti. Pidettȳ ERICUS WALLENIUXelda, Oulun Trivial Schoulun Rectorilda. Text. Pſ. 71: 16—21. Turuſa pränttäis Henr. Christoph. Merckell. 1706. 4:o [2]).

2. Se pyhä Ewangeliumillinen Walkeus, Taiwalliſeſa opiſa ja Pyhäſä Elämäſä ulosotettu ja eteen aſetettu niiden joca-

[1]) Qui primi reperiuntur unam quandam doctrinam e textu sacro selectam, per totam Orationem plenius suscepisse tractandam, una tamen propositione Logica thema suum exhibere non semper instituebant, sed ipsas modo partes quas persecuturi erant sigillatim mox indicabant; more TILLOTSONIO etc. etiam familiari. Cfr. MÖLLER Om et rätt Prebikoſätt, p. 273.

[2]) Inter Conciones Svecanas enumeratur a Celeb. STRICKER, Förſök til et Swenſkt Homiletiſkt Bibliothek, 1 Del p. 146 et Auctor *Gabriel* nominatur; quae corrigenda sunt.

de patria Ecclesia multis nominibus meriti
fessor Theol. ordinarius constitutus, Colle
cionatoriis habendis, in quibus et praec
explicaret, et ad praxin recte concio
sos adduceret, ad rationem ejus
praecipue contulit; in cujus colle
commentationibus illustraret, a.
ZOVII *Hodegeticum Concionator*
rum typis vulgandum curav
Unde non minus quam ex
suis, Svecico idiomate co
tionem probaverit, judi
nostris sensim probab
etiam in editis Disp
fere reperitur; una
tens, ac in parte
videns; usum d
sequeretur, in

...atselda Ilmolas [3]).
...ckellildä. pl. 10. 4:o.
... cuulemisest, tarpellinen tutkistelemus
...ataina, puolipäiwä-Saarnasa, Nousiaisten
Qu... wuonna 1759 edestuotu, ja siiten pidemmäldä
tatissim... ...u: jonga nyt on pränttijn andanut ABRAHAM ACHRE-
rioris ... Aboae 12:o. 5 pl. praeter praefationem et canti-
... adjectam.

5. Christillinen walmistus mieluisehen ja autualliseen Cuo-
...maan, edesmennen ylistettäwän Prowastin ja Kircko-Herran Ou-
luborin ja sen alla olewaisten Seuracunnain ylize, Herran JOHAN
WEGELIUXEN christillisesä hautamisesa, edespandu MATTHIAS PA-
KELIUXELDA [5]) 1764. Text. Job. 14: 14. Turusa prändätty Joh.
Christ. Frenckellildä. pl. 4½ 4:o. (Ep. Ded. et Epiced. con-
numeratis).

6. Christillinen puolipäiwä-Saarna ensimmäisnä suurna
yhteistä = = Rukous-Päiwänä, pidetty wuonna 1766 Paldamon

---

[3]) Deinde Past. et Praepos. in Limingo.
[4]) Past. in Nousis.
[5]) Past. et Praepos, in Limingo.



...lisille sieluille, ja rackahille sanancuulioille la-
...i prändättää annettu CARL HENRIC STÅH-
3½ pl.
...vetettu Cuolewaisuden tutkindo; yxi-
...an Urdialan Pitäjäsä = = Herr
...ckahimman Puolison = = MARIA
Ruumin Saarnasa Urdialan
...a, wuonna 1767. Ja nyt
...ANDERilda, Kirckoh. ja
...all. Academian alla
...
...unu, Christilli-
...an Majestetinsä
...orkiana hautaus-päi-
...isen cocoontullehen Seura-
...a Brahen Caupungin ja Salon
päiwänä Heinä-Cuulla, wuonna 1771,
STENBÄCKildä, Kirckoh. siellä [8]). Stockh.
...aiſ. Präntisä, 1771. 4:o. Pl. 3½.

Yxikertainen Puhe pidetty Säkylän Kirkosa, siinä ti-
...tuin se wihittin, sinä 4 päiwänä Elo-Kuusa, wuonna 1776. Ja anomuxen jälkeen sitten ulosannettu Mag. GUSTAF G. HAARTMANnilda Prow. ja Kirckoh. Loimajoella. Turusa, prändätty Joh. Christ. Frenckellildä. 8:o. Pl. 1.

10. Lyhy ja yxikertainen Puhe, juteltu = = aiwotun Ruoweden Ison Kirkon rakennuxesa, ja sen ensimmäisen Kulma- ja Perustus kiwen laskemisesa, kuin tapahtui sinä 15 päiwänä Syys Cuusa, wuonna 1777, sen Seurakunnan Kirckoherralda LARS FORSELIUXelda [9]). Anomuxen päälle pränttijn annettu wuonna 1778. Turusa prändätty Kuning:sen Acad. Kirjanpräntäjäldä Joh. Christ. Frenckellildä, w. 1779. 4:o. Pl. 1½.

---

[6]) Jam Past. in Uhleå.

[7]) Hodie in Närpes, auctusque dignitate S. Theol. Professoris et Doctoris.

[8]) Cfr. supra N:o 3 not. [3]).

[9]) Praepos. honore auctus

wuotiſten P. Ewangeliumein jälken, jotca Sunnuntai- ja Juhla-Päiwinä niiſä Chriſtilliſiſä Seurakunniſa tawalliſeſti ſelitetän. Stockholmiſa, Prändättŋ Lars Salviuxelda, wuonna 1747; (ja Toinen Oſa 1749). Partes et Voll. II. 4:o. Postilla haec Auctorem agnoscens D:num JOHANNEM WEGELIUM, Rectorem tum Scholae Tornoënsis, postea Praepos. et Past. Uhloënsem in Ostrobotnia, docte elaborata est; saepe tamen ad docentium firmandam augendamque cognitionem, quam rudem plebeculam instituendam, accommodatior videtur: linguae autem emendatione ita sese commendat, ut laude merita non careat.

3. Se Cuoleman catkeruden makeuttawa Jumalan laſten autuus. Chriſtilliſes Ruumin Saarnas * * Herr NICOLAUS AEIMELAEUXEN, ennen tätä Iſon Kyrön Pitäjäſä * * Kirckoherran hautauxeſa, * * joca tapahdui tämän Pitäjän Emäkirkos, enſimmäiſnä päiwänä Huhti cuulla wuonna 1750; yxikertaiſeſt edespandu THOMAS STENBÄCKILDÄ, Cappalaiſelda Ilmolas [3]). Stockholmiſa, prändättŋ Jacob Merckellildä. pl. 10. 4:o.

4. Rucouxeſt ja ſen cuulemiſeſt, tarpellinen tutkiſtelemus * * Rukous Sunnuntaina, puolipäiwä-Saarnaſa, Nousiaisten Seurakunnas * * wuonna 1759 edestuotu, ja ſiiten pidemmäldä ulostoimitettu: jonga nŋt on pränttijn andanut ABRAHAM ACHRENIUS [4]). Aboae 12:o. 5 pl. praeter praefationem et cantilenam adjectam.

5. Chriſtillinen walmiſtus mieluiſehen ja autualliſeen Cuolemaan, edesmennen ylliſtettäwän Prowaſtin ja Kirckoherran Ouluborin ja ſen alla olewaiſten Seuracunnain ylize, Herran JOHAN WEGELIUXEN chriſtilliſeſä hautamiſeſa, edespandu MATTHIAS PAZELIUXELDA [5]) 1764. Text. Job. 14: 14. Turuſa prändättŋ Joh. Christ. Frenckellildä. pl. 4½ 4:o. (Ep. Ded. et Epiced. connumeratis).

6. Chriſtillinen puolipäiwä-Saarna enſimmäiſnä ſuurna yhteiſtä * * Rukous-Päiwänä, pidettŋ wuonna 1766 Paldamon

---

[3]) Deinde Past. et Praepos. in Limingo.
[4]) Past. in Nousis.
[5]) Past. et Praepos. in Limingo.

Kirkoſa, ja nyt halulliſille ſieluille, ja rackahille ſanancuulioille lawiammaxi ylösrakennuxi prändättää annettu CARL HENRIC STÅHLELda [6]). Turuſa, 4:o. 3½ pl.

7. Yxi Jumalalda opetettu Cuolewaiſuden tutkindo; yxikertaiſeſti edespandu, Kirckoherran Urdialan Pitäjäſä = = Herr JONAS MENNANDERin eläiſens rackahimman Puoliſon = = MARIA ELISABETH TOLPON Chriſtilliſeſä Ruumin Saarnaſa Urdialan Pitäjän Kirkoſa ſinä 5 päiw. Elo Cuuſa, wuonna 1767. Ja nyt = = = pränttijn ulosannettu JOHAN LAIHIANDERilda, Kirckoh. ja Prow. Euraſa [7]). Turuſa prändättyy Cuningall. Academian alla olewaſa Präntiſä, wuonna 1768. 4:o. Pl. 3½.

8. Wanhurſcauden catomatoin Cunuia-Cruunu, Chriſtilliſeſä Ruumin-Saarnaſa, Hänen corkiammaſt autuan Majeſtetinſä = = Cuningas *ADOLPH FREDRIKIN* corkiana hautaus-päiwänä ſekä Ruotzalaiſen että Suomalaiſen cocoontullehen Seuracunnan edeſä, molemmille kielillä **Brahen** Caupungin ja **Salon** Pitäjän Emä-Kircoſa, 30 päiwänä Heinä-Cuulla, wuonna 1771, eteenaſetettu THOMAS STENBÄCKildä, Kirckoh. ſiellä [8]). Stockh. Kuning. Suomalaiſ. Präntiſä, 1771. 4:o. Pl. 3½.

9. Yxikertainen Puhe pidetty Säkylän Kirkoſa, ſiinä tilaſa kuin ſe wihittin, ſinä 4 päiwänä Elo-Kuuſa, wuonna 1776. Ja anomuxen jälkeen ſitten ulosannettu Mag. GUSTAF G. HAARTMANNilda Prow. ja Kirckoh. Loimajoella. Turuſa, prändätty Joh. Christ. Frenckellildä. 8:o. Pl. 1.

10. Lyhy ja yxikertainen Puhe, juteltu = = aiwotun Ruoweden Jſon Kirkon rakennuxeſa, ja ſen enſimmäiſen Kulma- ja Peruſtus kiwen laſkemiſeſa, kuin tapahtui ſinä 15 päiwänä Syys Cuuſa, wuonna 1777, ſen Seurakunnan Kirckoherralda LARS FORSELIUXelda [9]). Anomuxen päälle pränttijn annettu wuonna 1778. Turuſa prändätty Kuning:ſen Acad. Kirjanpräntäjäldä Joh. Christ. Frenckellildä, w. 1779. 4:o. Pl. 1½.

---

[6]) Jam Past. in Uhleå.

[7]) Hodie in Närpes, auctusque dignitate S. Theol. Profeſſoris et Doctoris.

[8]) Cfr. supra N:o 3 not. [3]).

[9]) Praepos. honore auctus

wuotiſten P. Ewangeliumein jälken, jotca [illegible] ſta ra-
Päiwinä niiſä Chriſtilliſiſä Seurakunnis[illegible] enſimmäi-
Stockholmiſa, Prändätty Lars Salviu[illegible] Elo-Kuuſa,
Toinen Oſa 1749). Partes et Vo[illegible] 4, ſiſälle ole-
Auctorem agnoscens D:num Jo[illegible] Kirckoherralda
rem tum Scholae Tornoënsis,
loënsem in Ostrobotnia, do[illegible] a Seurakunnan
ad docentium firmandam [illegible] päiwänä Elo-Kuuſa
rudem plebeculam instit[illegible] uden Sunnundain, ſiſälle
guae autem emendatio[illegible] VISTildä, Prow. ja Kirckoh.
rita non careat. 1½.

3. Se Cuole[illegible] nys: **Jos me olemme Jumalan** autuus. Chriſtilli[illegible] muinen Jaloſukuiſen, ja Korkiaſti oppi- AEIMELAEUXEN, [illegible] **rectorin Waſan Triwial Schoulusa**, Ma- ran hautauxeſa [illegible] EGGELIUXEN hautamiſeſa, Wähän Kyrön Kir- ſimmäiſnä [illegible] Adwentinä, wuonna 1778. Ja edespandu edespandu [illegible] MELAUXELDA, Kirckoh. ja Prouw. Iſoſa Kyröſä. Stockhol[illegible] 1779. Prändätty **Georg Wilhelm Londicerildä**, 4:o.

S[illegible]

10) S. Theol. Doctoris auctus dignitate.

11) Adjungere quodammodo his licet Postillam ADAMI s. MISANDRI. in Fennicum idioma translatam, quae hoc titulo prodiit: M. JOHAN ADAMIN Pojan eli MISANDERin Sabbathin lepo, ſiſällenſä pitäwä kaickein Sunnuntai- ja Juhlapäiwäin Ewangeliumein Jumaliſet tutkiſtelemuxet yli koko wuoden. Kaikille ſiwiöille Chriſtitwille, liſoitenkin maalla aſuwille eli matkuſtawaiſille palweluxexi ja hyödyxexi kirjoitettu; mutta lyhykäiſembään ſiſälle pitoon kokoon wedetty ja enſin Ruotzin kielexi Saxaſta käätty, liſättyin ſelityſten kanſa nelſänden Päiwäin Ewangeliumein ylize joka wuotiſina Juhlapäiwinä, ynnä Pyhäin Mieſten Päiwän kanſa, edesmennen tämän Kirjan tekiän laadun jälken DANIEL ÖDMANnilda, ennen tätä Kirckoherralda Gälſtadiſa Götheborin Hiſppakunnaſa, mutta nyt Suomexi käätty DANIEL WIRZENIUXelda, V. Past. Eccl. Fenn. Cathed. Ab. Stockholmiſa prändätty Arvid Carlbohmilda 1768. 8:o. pl. 59½. Nova hujus operis editio prodiit ib. 1780, 8:o. Item: Doctorin AUGUST HERMAN FRANCKIN Poſtilla, eli Sunnuntai- ja Juhlapäiwä-Saarnat, Saxan kieleſtä Ruotzixi, ja ſitte Ruotziſta Suomexi käätyt. Se edellinen Oſa (Pars I.) Stockholmiſa Johan Chriſtopher Holmbergin Präutiſä 1780. Se jälkimmäinen Oſa (Pars II.) ib. 1781. 4:o. De quibus judicium interponere non est opus.

§ VII.

Non patitur instituti ratio, ut de optima Concionum elaborandarum concinnandarumque forma in genere hic praecipiamus; de iis tamen, quae Oratori Sacro Fennico speciatim observanda sunt, pauca monenda putamus. Quod igitur, ad *linguam* ipsam attinet, non difficulter intelligitur, cavendum esse, ne in puritatem ejus peccetur, peregrinasque, sermo rudis etiam plebis conformandus captui, redoleat cupedias; sed ad eam rationem diligenter comparetur, quam solam auditores omnes sine mora comprehendere animo queant. Quam igitur illa vitiosa sit elocutio, quae barbarismis ac soloecismis quibusvis, et sveticismis in primis referta est, facile apparet; quod ultimo loco significatum vitium, vel eo magis vitare oportet, quo communius esse solet, ut pauciores sane ab eo immunes sint Concionatores: cujus rei caussa non ea solum est, quod libris atque Orationibus adeo sacris Svethicis inprimis legendis imitandisque adsveti ac illa maxime lingua cogitare docti, plerique ab obrepentibus sibi illius sermonis idiotismis cavere non valeant; verum etiam, quod vernaculae ejusque studio, nimis parum vulgo industriae plurimi tribuant. In quotidiano sermone, cum plebe tantum instituto, illam usurpasse contenti, ad res subtiliores gravioresque non adhibent; quare, ubi ad has transferenda est, ignorantia ejus, ac inopia verborum phrasiumque vere Fennicarum, laborant. Grammaticam linguae indolem, verasque ejus adhibendae leges, pauci rimari student; pauci iis etiam observandis, accurate scribendo, exercere sese mature solent. Unde Fennice scribendi, cum sacris initiati ordinibus hac facultate opus habent, insvetus plerisque labor est, nonnisi post longos demum annos facillime et feliciter succedens: ac multis verus interim vernaculae elegantiae sensus ac judicium periit. Nonnulli praeterea, sine debita praemissa meditatione et elaboratione, Conciones ad coetum habendas, in suggestu demum cudunt, quicquid mens in concionandi actu suggesserit, proferentes:

unde fiat necesse est, ut sermo eorum, quantumvis optime linguam calleant, illud tamen idioma redoleat, quo traditas veritates de quibus disserunt, familiares sibi reddiderunt. Accedit quorundam inconsultus sane mos, Conciones suas Fennice habendas, Latino [1]) vel Svecano sermone conscribendi; qui elocutionem earum a genio linguae Fennicae non potest non reddere alienam. Ferendum hoc est in illis, qui Concionem eandem utraque recitare lingua, Svecica et Fennica, coguntur, quae dura nonnullis Concionatoribus incumbit necessitas; a reliquis vero sollicite fugiendum est, ac oratio eadem meditanda et concinnanda lingua, qua habenda est. Qui enim, quanta opus sit cura cogitaverit, ad orationem ex una in aliam linguam, etiam meditandi spatio dato, feliciter transferendam; is quid ab extemporanea hujusmodi sperandum sit festinatione, facile intellexerit. Neque putet quis, levioris esse hanc rem momenti; pendet inde, ut orationem, quae sibi recitatur, auditores intelligant vel minus. Non putet Orator, quia ipse semisvethicum suum sermonem intelligit, etiam a rusticis illum capi; quibus aeque fere obscurae et peregrinae esse sententiae suae esse saepe possunt, Fennicis quamvis verbis propositae, ac si Latino aut Svecico essent idiomate prolatae. Quia igitur Concionum finis postulat, ut auditoribus docendis, atque notitia veritatis coelestis imbuendis diligenter inserviant; auditores vero non nisi puram rite intelligere possunt linguam, (praeter quam quod Conciones idiomate corrupto recitatas fastidiant): sequitur, ut linguae vernaculae peritiam et emendatam facultatem futuri Oratores sacri studiose sibi comparare, et concionantes diligenter adferre debeant. Porro non modo doctrinae et eruditionis intempestivam ostentationem sollicite esse fugiendam, sed etiam stili reconditam et nimis exquisitam artem haud esse affectandam, aeque manifestum reddit ipsum Concionum S.

[1]) Ne ejus scil. adhibendi obliviscantur; qui tamen superioris potius aetatis mos fuit, quam nostrae, cui Latinarum litterarum nimium studium qui vitio verterit, nae ille injuriam ingenio seculi fecerit!

habendarum consilium ac finis [2]). Illam excusationem, quam nonnulli afferunt, quod scil. pars auditorum eruditior sit, locum hic minime invenire, eo facilius patet, quod eorum longe maximum semper numerum rudis plebs implet. Itaque non modo termini technici, ad imitationem peregrinae linguae ficti, sed et totae propositiones, phrases ac formulae, doctis solum intelligendae, studiose vitentur. Atque cum plures lingua Fennica habeat Dialectos, in diversis patriae provinciis locisque usitatas, cavere debent S. Oratores, ne verba phrasesque concionantes adhibeant, quae in alia licet regione familiares, ab eorum tamen, ad quos dicunt, consvetudine abhorreant. Itaque discere illorum loquendi morem, et ab ignota illis ratione abstinere debent: potiusque ad illorum sese dialectum conformare, quam suam illis obtrudere. In quo tamen vitiosas manifeste formas fugere oportet, ac veriores, quae tamen audientibus cognitae sint, earum loco frequentare. Ac quoniam communis quaedam dialectus, libris imprimis propria, omnibus fere jam, religionis cui instillandae inservit, auctoritate probata, familiaris evasit; illi Orator S. maxime se conformet: cujus rationem ex S. praecipue Bibliorum translatione vernacula, hauriat. Singularibus enim quibusdam haec licet non prorsus careat, ac supersint quaedam adhuc mutanda et emendanda; classicam tamen merito apud nos, stilus quo exarata est auctoritatem obtinet, ad majorem sensim elegantiam accurationemque adducta [3]).

[2]) Itaque Poëtico adsvetis stilo, familiares, aliis vero incognitas, aut intellectu difficiles, vel voces vel locutiones in suggestum adferre sacrum, quamvis elegantissimas ac maxime nativas, non licet. Probatorum tamen lectionem Carminum Runicorum, ad copias linguae, verumque ejus genium cognoscendum, permultum conferre, extra dubium est. Sed imitatio in prosa oratione, judicio non careat.

[3]) Nostro hoc seculo, post Academiam in his Oris restauratam, nulla nobis nota sunt edita typis subsidia aut consilia homiletica, quae Fennicas quidem speciatim Ecclesias respicerent; praeter egregia illa monita quae in Oratione comparent a Reverendiss. Archi-Episcopo et Pro-Canc. MENNANDER ad Clerum

Dioceseos Aboënsis in Synodo congregatum ac jam dimittendum a. 1774 habita: Tal, hållit af en Swenſk Biſkop = = = wid ſluted af et Präſtmöte, Stockh. hos Henr. Fougt 1774 8:o: quamvis haud ignoremus, Theologos apud nos fuisse, qui et artis praeceptis explicandis, et exercendi diligentia, Oratoriae S. studiosos juvenes adjuvarent. Veneratae praeterea sunt, inter summos suos Praefectos, Ecclesiae nostrae, celeberrima hac facultate nomina BROVALLII et MENNANDRI; quorum exempla non potuerunt non et ad verum hujus rei judicium formandum, et ad imitandi diligentiam excitandam, magnopere conferre: sed Conciones quae typis vulgatae sunt, paucae illae quidem, Svecico habentur idiomate conscriptae; quas igitur, ut nec alias, quamvis in Fennia habitas editasque, et a Fennis auctoribus profectas, (multo quidem plures illas, quam quae Fennico idiomate vulgatae reperiuntur), Svecana tamen lingua exaratas, instituti ratio adferre non permittit. Neque enim falcem in alienam cupimus messem immittere. Cfr. de iis Cel. STRICKER l. c.

DE SUPERSTITIONE VETERUM FENNORUM THEORETICA ET PRACTICA.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN.

EXAMINI PUBLICO OBTULIT

CHRISTIANUS ERICI LENCQVIST.

Aboae 1782.

---

§ I.

Quam praestans Dei donum, quo homines beare voluit, sit Verbum ejus sive Scriptura Sacra, vel mox patescere arbitror, si conferre quis voluerit lucem Christianismi, cum tenebris paganismi. Quis nauta, intempesta et illuni nocte mare sulcans, in tot et tam exitiales incidere potest syrtes, ac genus humanum, gentilismo occaecatum, circa doctrinam de Deo? Quam insanae opiniones? quam ridiculi mentis conceptus? quam mira somnia? quam stultae inventiones fuerunt illae, quibus gentes in divinis et sacris se deceperunt? Quam absurda fuit Theologia gentilis, et quam stolidus Deum colendi modus? Quot nationes exstiterunt, tot in religione diversi sensus; qui in nulla alia re, tam conspirarunt amice, quam in eo, quod omnes a vero aberrarunt. Scopus quidem horum hominum fuit, Numinibus suis, seu invisibilibus illis naturis, quibus salutem suam cordi esse putarunt, et a quibus bona malaque in se proficisci censuerunt, pietatem praestare, ipsisque se reddere gratos acceptosque. Sed placita ipsorum de istis naturis, ac cultus ille, quem ipsis praestare voluerunt, in absurdissima abierunt figmenta. Quod maxime mirari convenit, est, quod una fere natio et gens prae alia multum hic de meliori sensu et sapientiori instituto gloriari nequit. Ipsi Philosophi eorum, et qui aliis videri volebant sagaciores, aeque ferme desipuerunt ac vulgus. Quocirca etiam, quod maxime dolendum, totam religionis gentilis fabricam, apud nullum reperimus populum, ad emendationem morum collineasse vel eo spectasse ut homines redderentur meliores, sed potius incitamenta vitiorum ipsis suppeditasse.

Describere igitur cujusque gentis sacra, nil quidem aliud est, quam enumerare varii generis ineptias, longamque nectere catenam stultissimarum fabularum; qualem laborem suscipere, vix esse operae pretium videatur. Attamen cum omnis cognitio historica delectet, ac nihil fere sit, ad antiquos mores et instituta gentis alicujus spectans, unde aliquid ad suum studium adjumenti non hauriant priscarum rerum curiosi; spero haud ingratum fore litterarum amicis conatum meum, si veterum Fennorum Theologiam et Magiam, licet nil aliud fuerit, quam vana Superstitio, in lucem protrahere annitar. Omnes videlicet cultae nationes, nostro aevo multum jam desudarunt, in depingendo gentilismo suo; ut quales fuerint olim in ethnicismo, et quales jam sint, monstrarent. Quare igitur Finlandia diutius celabit priscas suas tenebras, et non ad gloriam Patris luminum, qui ipsam tandem gratiose illuminavit, in apricum producet, quomodo ipsa quoque quondam a principe tenebrarum occaecata, procul fuerit a municipio Israëlis, et Diis alienis serviverit? Sed dum mare hoc ingredi conor, horridum et scopulosum id occurrit, mihique vix ulla suppetit cynosura et pyxis. Nam in historia Fennica non licet scriptis niti annalibus, nec fontibus propriis aliis. Gens etenim haec olim ignorantiae et oblivionis tenebris, velut sepulta fere jacuit. Non litterae nobis erant, nec monumenta ulla supersunt; ita ut sub gentilismo nemo nostrum valuerit, aliquid de gentis rebus posteritati prodere. Ex gentium vicinarum actis et historiis pauxillum lucis mutuamur, et reliquiis quorundam carminum, (valde quidem laceratis jam illis, disjectis, interpolatis et inter se confusis), quae a majoribus accepta vulgi ore in remotioribus regionis angulis adhuc, parcius licet, feruntur. Quod igitur de idolomania atque superstitione Fennorum proferre possum, id ipsum maximam partem ex hujusmodi carminibus conquisitum est, consultis reliquiis priscae superstitionis, adhuc exstantibus apud plebem; nec non ex poëmate quodam brevi, maxime trito, quod Episcopus quondam Aboënsis M. MICHAEL AGRICOLA de Diis Fennorum composuit et *Versioni* suae *Psalterii Da-*

vidici praemisit A:o 1551 editae (cfr. Tidn. utgifne af et Sällſkap i Åbo, pro A:o 1778, p. 93 et 96). Hoc carmen lucubrationibus suis, cum brevi commentariolo inseruerunt Episcopus PETRUS BÅNG in *Hist. Eccl. Sveo-Goth.* (Lib. XI. C. XI. p. 206. sqq.), et M. GABRIEL ARCTOPOLITANUS in Dissertatione edita Upsaliae A:o 1738, *De Origine et Religione Fennonum* (Cap. II. § IV, p. 35 sqq.) unde hic repetere piget. Cfr. etiam MICH. WEXIONII *Epitome Descr. Sveciae, Gothiae, Fenningiae,* etc. Lib. X. Cap. II. Sed carmen hoc duo habet vitia: primum enim inter Tavastorum et Carelorum Deos numerat tales, qui Dii fuerunt communes totius Finlandiae; deinde plures magni nominis Deos Fennorum plane praeterit, nominatis aliis, quos an nostrates adoraverint, dubium videri possit.

Tam levibus etsi adjutus auxiliis, tenui quae mihi est Minerva telam tamen hanc, quam exorsus sum, pertexere conabor; quam alii meliori instructi supellectili libraria, ac praesertim carminibus vetustis Fennicis, aliisque opibus, continuanto; meque si lapsus sim, benigne emendanto. Tu vero, benevole lector.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

SECTIO PRIOR,

De

Superstitione Veterum Fennorum Theoretica.

§ II.

Superstitionem, dum veterem Fennorum religionem nuncupo; nihil praeter rem et veritatem ipsi tribuere, me puto. Quamvis enim non plane negem, majores nostros etiam in ethnicismo multos habuisse sanos et rationi convenientes sensus, utpote de immortalitate animae, de existentia Dei ac necessitate eum venerandi, et sic porro; ut plurimum tamen in divinis et sacris a norma rectae ratio-

nis, et veritatis revelatae, longe recesserunt, ac miserae superstitioni litarunt. Quid autem intellectum velim vocabulo *Superstitionis*, et quotuplex illa apud nostrates fuerit, enodare paucis me oportet.

Superstitio mihi nihil aliud est, quam vitium mentis humanae, quo divinitatem quandam iis rebus inesse opinatur, in quibus tamen divinitas nulla est; ex qua falsa opinione, actiones variae stultae nascuntur, et consilia perversa, quae adminiculis aeque ineptis, specie quadam supernaturalibus, vel in suum commodum vel aliorum detrimentum, promovere laborant. Hinc recte dispesci eam in *Theoreticam* et *Practicam*, facile patet. *Superstitio* nempe *Theoretica* nihil aliud est, quam vana de Deo persvasio, qua divinitas tribuitur vel hominibus defunctis, vel rebus creatis aliis, vel ipsi genio infernali; talesque pro Diis coluntur. Pertinet ergo huc paganismus totus, cum sua idolomania et daemonolatria. Nascitur porro hinc *Superstitio practica;* quae in ipsius cultus ratione, qui ejusmodi idolis exhibetur, consistit, aliisque inde fluentibus institutis et actionibus. Quorsum etiam ars magica et incantatoria spectat; de qua in sequentibus.

§ III.

Noachus quidem proximique ab ipso nepotes, nequaquam intermiserunt, ut credibile est, liberis posterisque suis, instillare sanos de Deo et religione sensus. Proximis ergo a diluvio temporibus, doctrina de Deo penes homines, quodammodo adhuc mansit intemerata; ita tamen, ut puritas haec ejus, apud unam gentem rectius diutiusque conservaretur quam apud aliam. Sensualitas vero, seu inclinatio hominum ad res visibiles, et in sensus incurrentes maxime amplectendas, cum desiderio auxilii citi et praesentis in quavis calamitate sibi comparandi, stupidis hominibus, in infantia mundi, sine dubio primam dedit ansam in idololatriam prolabendi. Parentes et praeceptores, invisibilem Dei naturam et praesentiam, suis proponere voluerunt modo vivido, ipsis-

que conceptibili, per imagines, simulacra et symbola visibilia illis exhibita. Sic sensim prolapsus fiebat a creatore ad creaturas, ab invisibili ad id quod oculis cernitur. Rom. I: 19—23. Defectus verbi scripti et penuria fidae institutionis, accedente quoque astu principis inferorum, ad lucem exstinguendam tenebrasque inducendas, non parum contulit. Id vero maxime est pudendum, doctrinam de Deo uno et omnipotente, tam facile ac cito fuisse deperditam, insanumque polytheismum et Aristocratiam quandam in coelum ejus loco introductam; quasi unus non sufficeret Deus rebus singulis gerendis, mundoque gubernando, et tot hominum saluti curandae, precibusque audiendis, sed vi unita multorum opus esset; licet unus tamen communiter ut praeses et reliquorum omnium supremus rector agnosceretur. Crassus videlicet hic sese prodit Anthropomorphismus. Qui sapientiores haberi volebant ceteris, machinamque mundi oculis scrutari attentioribus videri cupiebant, Philosophos innuo, in Hylotheismum fere inciderunt, Deumque cum natura turpiter confuderunt. Quorum quidem multos ego istis etiam coeciores judico; utpote qui mentis sapientissimae opus, fines et providentiam in universo animadverterent nullam, sed vel fortuito atomorum concursui, vel necessitati cuidam fatali, cuncta tribuerent.

Generatim vero omnis superstitio idololatrica universa in duos velut ramos principales abit; *Occidentalem* seu Graecanicam, et *Orientalem*, appellare liceat [1]). Nimirum apud *gentes ad occiduum solem vergentes*, Graecos praesertim et Romanos, invaluit opinio ex hominibus oriri posse Deos [2]).

[1]) Praeeunte VITRINGA, *(ad Jesaj.* C. XLVI. v. 1. T. II. p. 601 sqq.); a quo tamen dissentit BRUCKERUS *Hist. Philosophiae*, T. I. P. II. Lib. II. Cap. II. § XV.

[2]) Manifestior saltem, notior et vulgatior haec vesania, in his populis fuit, quam in Orientalibus. Non tamen negamus, traductas ad novos hos coelites multas opiniones et traditiones fuisse, quae ex antiquissima mortalium religione remanserunt; ut etiam postea Philosophi vulgaris superstitionis palliandae caussa, magnam ejus partem, ac Deorum istorum gesta et attri-

Quare plerique Graecorum Romanorum Dii Deaeque, nil aliud fuerunt, nisi celebres olim reges, principes, heroes, aliique magni nominis viri et foeminae. Hi post mortem coelites facti putabantur, hominumque in terris viventium curare res; certaque cuivis potentia adjudicabatur, aliis imperium exercentibus in coelum, aliis in elementa, aërem, ignem, aquam, terram, plantas, montes, imo orcum ipsum. Et quod Dii ipsorum quivis certis modo praeficerentur rebus, potestateque divisa uti existimarentur, ista quoque inde nata est opinio, eos raro consentire, sed locum habere inter eos discrepantes sententias; ita ut quod alius vellet promovere, id alius repellere studeret. Qui HOMERI *Iliada* vel obiter inspexerit, non sine stomacho animadvertet, quomodo in senatu Deorum, belli Trojani tempore, ex mente Graecorum omnes illae technae et fraudes usurparentur, quae in aulis regum et principum a corruptissimis sceleratissimisque solent adhiberi purpuratis et ministris.

Sed *Orientalium populorum* idololatria aliter videtur fuisse comparata. Sic HERODOTUS Libr. I Cap. 131, Persarum mores docet maxime diversos fuisse a Graecis. „*Apud illos enim non in usu fuisse templa, altaria et imagines Diis statuere; quin stultum ab iis hoc habitum: quod non putarent Deos posse ex hominibus oriri. Quare solitos esse editissimis conscensis montibus, Jovi hostias immolare, toto caeli ambitu Jovis nomine appellato; sacrificasse autem soli lunaeque et telluri, igni, aquae atque ventis.*“ Orientalium itaque religio consistebat in naturalium rerum praecipuarum cultu et veneratione [3]); praecipue autem *Solis*, quem

---

buta plurima, ad physicas et philosophicas rationes traducere studuerunt. De Celtarum ac florentium apud eos Druidarum religione, ob defectum monumentorum, e quibus plene tutoque cognosci queat, neque hac in parte certi quid statuere valemus: quos recentiorum multi acriter defendere conantur. Cfr. ex. gr. *Galic Antiquities - - - - by* JOHN SMITH. Lond. 1781. 4:o

[3]) Quia a primaevo lumine propius aberant, ac virtutes Creatoris divinas, ex his ejus operibus maxime elucere putabant; illa primum ut divinitatis symbola venerabantur, mox iis ipsis

Phoenicii, Midianitae etc. vocabant *Baal*, Babylonii *Bel*, quod dominum significat; Ammonitae *Milcom* vel *Moloch*, quod regem notat; Persae *Mithram*. Colebant etiam *Lunam*, quam ut foeminam repraesentabant, ac Syri vocabant *Astaroth* vel *Atergatin*, Chaldaei *Mylittam*, Arabes *Alittam*, Persae *Mitran* [4]). Aegyptiorum vero superstitio adeo erat enormis, ut divinitatem tribuerent etiam tauris, (qualis eorum fuit *Apis)* serpentibus, crocodilis, et id genus aliis animalibus; imo, quod mane primum conspexissent, id, eo die pro numine haberent. A quibus Israëlitae quoque cultum vitulorum aureorum mutuati sunt. Ut ejusmodi cultus redderetur speciosior, tribuebant rebus etiam inanimatis, ut fluviis, montibus, silvis, fontibus etc. quandam velut animam et personalitatem; addebant ipsis nomen personale, ac adumbrabant ipsas imagine aut simulacro, vel hominis, vel animalis. Sic *Nilus* ut vir serto scirpeo redimitus pingebatur; et sic in ceteris. Quando Graeci et Romani rerum domini evaserunt, quandam similitudinem se animadvertere inter suos et aliarum gentium, etiam Orientalium Deastros pu-

---

divinitatem tribuebant: quam hominibus aeque facile adscribere nequibant. quorum et natales et mortem noverant. Graeci autem. ex foeda barbarie, in quam nationes a primis mortalium sedibus longius dispersae inciderant, sensim emersi, facilius in turpem hunc errorem ferebantur. Haud tamen negamus, postquam naturales illae res ac virtutes symbolice repraesentare instituissent, (quod a plurimis etiam orientalibus gentibus factum fuisse notissimum est) eoque consilio formam quandam humanam signis hisce divinitatis non raro dedissent; faciliorem fuisse prolapsum ad homines etiam suae gentis magnos, ac benefactores insignes, divino honore mactandos; confundendo illos cum diis suis priscis, quorum benignitate satos, ductosque fuisse, aut quos ipsos sub illorum forma delituisse, sibi persvadebant. Cujus stultitiae multos orientales populos reos fuisse, non diffitemur. Cfr. JERUSALEMS Betracht. über die vornehmſten wahrheiten der Religion, II. Th. III. Betr. II. Abtheil. initio, p. 206—211. BRUCKERUS l. c. C. III. § X. et C. VII. § XII. SELDENUS *de Diis Syris*, Proleg. C. III. etc. VOSSIUS de *Theologia Gentili*, passim.

[4]) Cfr. HERODOTUS l. c. SELDENUS l. c. Synt. I. C. VI. synt. II. C. I et II. BRUCKERUS l. c. C. III. § X et XIV.

tantes, illos cum his confundebant; quare *Jupiter* et *Baal* componebantur, *Venus* et *Mylitta*, et sic porro. Unde magna confusio tam nominum, quam functionum enata fuit.

§ IV.

Ut jam ad veterem Fennicam propius accedamus idololatriam, videtur illa esse (ut nec paucarum gentium aliarum) velut mixtum quoddam ex Orientalium et Occidentalium placitis, religionis genus. Nemo facile, credo, dubitabit, quin aquilonis nostri aborigenes, qui haud diu post diluvium illud Noachicum, boream versus migrantes, ex locis mari Caspio vicinis huc sensim accesserunt, primitus saniores de summo Numine, et cultu ejus sensus foverint; quamvis hi deinde temporis successu apud nos aeque ac alios populos, magis magisque evanuerint. Comprobare hoc autumamus ipsum nomen Dei Fennicum, Jumala, quo divinam significamus naturam. Hoc, in lingua nostra non est nomen proprium cujusdam deastri veteris, sed apellativum, quo Deum sive verus ille sit, sive falsus, indigitamus. Si Jumala esset nomen proprium alicujus idoli, ut *Jupiter*, *Thor*, *Odin*, non facile admitteret usum familiarem numeri pluralis, quem tamen admittit vocabulum Jumala, sicut vel ex priscis carminibus constat. Sic ex. gr. cantilena quadam venatoria antiqua, canit ursi captor sic:

Julki tuli Jumaliſta,	Palam veni a Diis,
Kanßa ſaalin iloiſeſti. h. e.	Cum praeda laetus.

De origine vocis Jumala plures adsunt sententiae et conjecturae. Generos. VON DALIN, Swea Rikes Hiſtoria, 1. Del C. III. not. *r*), C. IV. not. *m*), C. X. not. *l*), deducit nomen hoc ab antiqua voce Scando-Scythica *Humal*, *Hamal*, *Amal*, l. *Jumal;* quam Deum et principem significasse asserit, cujusque primitiva notio adhuc supersit in vocabulis *Gumme* et *Gammal;* natu enim maximos prisco aevo maxima veneratione fuisse cultos: hinc etiam stirpem regiam Gothorum *Amalicam*, quasi *Divinam*, fuisse dictam. Sed merum

esse ingenii lusum, nec etiam Fennicae vocis originem facile ex veteri lingua Gothica esse arcessendam, levi negotio patet. Alii vocem Jumala derivant a Svethica voce Himmel, *coelum* notante. Sed quamvis in quibusdam dialectis Lapponicis Deus vocetur Jbmel vel Jmmel; tamen inde verisimile haud est fluere vocem Jumala: quod Fennos et Lappones dudum ante Svio-Gothorum adventum in Scandinaviam, loca sub aquilone sita inhabitasse, et Diis suis, Jumalat a se vocatis, serviisse et litasse probabile est. SCHEFFERUS in *Lapponia* sua C. VI. p. 43. (auctore JOH. TORNAEO) et ex illo ARCTOPOLITANUS *Dissert. cit.* p. 12 afferunt quandam traditionem veterem de communi Fennorum et Lapponum satore et duce *Jumo* ac *Jumi* dicto, quem post mortem pro Deo fuisse habitum, ac inde nomen Jumala Divino adhaesisse Numine, quis suspicari possit. Conveniunt haec cum iis, quae habet *Edda* de gigante *Yme*, quem facit parentem *Jotarum* et *Thussorum*, qui forte Fenni ei sunt et Lappones. Sed neque haec commoda videtur vocis derivatio; praeterquam, quod fabulam sapiat, tota haec, de isto Patriarcha seu duce gentis utriusque traditio, cujus nos quidem nulla apud Fennos vestigia reperimus. Meliori via insistere videntur, qui Fennos nomen hoc Dei habuisse sciscunt, ante quam ad has regiones subpolares commigrarent, dumque adhuc maris Caspii vel Ponti Euxini essent accolae. Quia igitur hujus gentis lingua non levem habet convenientiam cum linguis Orientalibus, Ebraeam matrem agnoscentibus; hinc vocem Jumala a fontibus Ebraeis derivare student. Alii igitur deducunt vocem Jumala ab Ebraeo *Jom* dies et *El* Deus; quo pacto Jumala vi vocis tantum valeat ac *Deus lucis* vel *diei*. Fac. Theol. Aboënsis quondam Adj. M. MATTH. HALLENIUS, a *Jom*, *(dies)*, et *Malech*, *(plenus fuit)* censet Jumala apte arcessi, ita ut aeternitatem, omnipotentiam et quasi plenitudinem dierum Numinis notet. Alii vocem per metathesin ab *Elohim* deducendam statuunt. Quas conjecturas suo loco relinquimus. Si quis autem hujusmodi conatibus tribuere aliquid voluerit, poterit etiam vocem nostram compositam statuere, ex vocibus *Jum*

vel *Jub*, et *Baal*, quod in compositione ob euphoniam transierit in *Mal*, ita ut significet *Coeli Dominum*. Est autem *Jum* vel *Num*, adhuc in usu apud Samojedas; et lingua eorum notat *coelum*, ut habetur in vocabulario Samojedico Msc. b. m. Consil. Dicast. Aboëns. SIMONIS LINDHEIM [1]). *Baal* vero Ebraice vel Syriace notat *dominum*, ut patet ex Lexicis; cui affine videri queat verbum Pallua, Esthonibus significans *orare*, *adorare*, et Palwella, quod Fennis est *servire*, dominis debitum cultum exprimentia. Sed non est operae pretium his immorari. Objicere autem adversus allata, quis forte poterit *Biarmiorum*, qui populi fuere stirpis Fennonicae, idolum proprio nomine nuncupatum fuisse Jomala; cujus templum, apud ipsos olim maximo honore habitum, et in antiquis etiam Islandorum monumentis celebratum reperiatur. Sic dicitur in *Historia Herraudi*, p. 27: Thar er gofgad God, thad er Jomala heitir; et apud SNORRONEM STURLONIDEM P. VII. sive in *Historia S:ti Olavi* C. 143: I garthinom ſtendur Goth Biarma, er Jomali heitir: cujus ornatus ditissimus loco utroque latius deinde describitur. Descriptio autem Idoli datur, quae simulacro *Thori* Svecorum, illud simile fuisse indicat; et probabile est, cum praedones peregrini, idolum illud Jumala, vel Deum appellari audissent, verae rationis ignaros, pro nomine proprio hujus deastri illud habuisse, quod tamen fuit appellativum omnibus Dïs commune.

§ V.

Veteres Fenni superstitione sua et idololatria, primum ferebantur in res naturales praestantiores, utpote sensibus obvias, *Solem* videlicet, *lunam*, *stellas*, *terram*, *montes*, *maria*, *fontes*, *silvas* et *Lapides*; quibus vel ob proprietates admirabiles, phaenomenaque singularia, vel ob usum ad se ex illis redundantem, Divinitatem quandam inesse, putabant.

---

[1]) De quo cfr. *Nova Acta R. Societatis Scientiar. Ups.* Vol. II. p. 34.

Deinde etiam poëtica quadam fictione, ipsis phaenomenis, quorum caussas non satis perspiciebant, cultum divinum tribuebant, atque in personas quasi peculiares commutabant, quod etiam *morbis* et *morti* ipsi etc. contigit. Haec omnia ritibus quibusdam colebant, et precibus sibi conciliare studebant. Significat hoc AGRICOLA in memorato supra carmine, sic canens:

Palweltin myös paljo muuta,	Colebantur et multa alia,
Kiwet, kannot, tähdet ja kuuta.	Lapides, stipites, stellae et luna.

Sol oriens, praecipue oculos et animos hominum, in Ethnicismo, in se vertit, ac ad cultum sui incitabat. De solis cultu apud Lappones, quem Beiwe vel Peiwe vocant, (Fenn. Päiwä,) videatur CANUTUS LEEM in libro Beſkriſwelſe öfwer Finnmarkens Lapper. In vetusto quodam poëmate sic Fenni alloquuntur Solem:

Tuo tulliaiſes tulleſaſi,	Affer veniens munera tua tecum,
Tuo meill' täyttä terweyttä;	Affer plenam nobis salutem;
Siirrä ſaama ſaattawihin,	Promove praedam ad captum,
Onni ongeemme ohaiſe,	Fortunam ad hamum nostrum dirige,
Pyytö päähen peukalomme.	Optata ad pollicis nostri apicem.

Inter *Constellationes* non immerito eminere nostris visa fuit *Ursa Major*, Otawainen, in cujus *humeros ascendere*, Otawaiſen olkapäälle, in vetustis carminibus idem significat ac in coelum supremum attolli. Huic vero sideri etiam conjugem, Otawatar (terminatione Savonum et Careliorum foeminina sic vocatam), tribuunt eadem carmina; cujus auxilium contra furem nocturnum, ut hunc cogat rem ablatam reddere, his verbis imploratur:

Otawatar Päiwän tyttö,	*Otavatar* Solis filia,
Tule tänne, tarwitahan,	Veni huc, opus te est,
Omoani ottamahan,	Ut rem meam recipias,
Kadonnutta kaihtemahan. h. e.	Perditam serves.

Terram omnes Fennicae gentes, velut communem omnium animantium matrem et nutricem veneratae sunt, spe-

ciatim Esthonum catervae; a quibus, sunt qui putent hodiernos Fenniae incolas agriculturae artem accepisse [1]). TACITUS non modo quosdam Germanos *Hertham, id est terram matrem* (Herthe, Germanis hodie Erde) coluisse docet [2]); sed etiam de Aesthyis commemorat eos *Matrem Deûm* venerari [3]): quo nomine Cybelem, adeoque Terram Romanos significasse, notum est.

Montes etiam et *Lapides solitarii ingentes*, tam apud Fennos, quam Lappones divinitatis honore digni censebantur. Tales montes sacros Lapponia plures habet, sub nomine *Passe vare;* et in Finlandia adest Erähyhä in Paroecia *Orihvesi*, promontorium celsum, notas superstitionis in jugo suo gestans, lapides in quadrangularem formam dispositos. *Pyhämaa*, hoc est *terra sancta,* nomen paroeciae est in Finlandia Boreali; quae aliquid forte sanctitatis olim continebat, licet hodie nulla ejus rei vestigia supersint.

Lacus et Flumina multa reperiuntur, sacrorum nomine notata, quibus prisca superstitio aliquid sacri et divini tribuit; ut *Pyhäjoki* in Ostrobotnia, *Pyhäjärvi* multis locis, (ut in illa ipsa paroecia, in paroecia *Vichtis* et *Eura* etc., nec non in Savolaxia et Carelia); *Pyhälammi* in *Kisko* etc. Cataractae fluminum majores multis locis nomine Pyhä (sancta) insigniuntur, ut in flumine *Uloënsi* et *Pyhäjokiensi* in Ostrobotnia; quibus, aut earum numinibus sacra fecerunt homines, vel alias, reverentia earum ac horrore capti, vel cymbas suas demissuri.

Fontes superstitiose cultos olim fuisse, testantur infinitae acus, et id generis munuscula, quae nostris adhuc temporibus, illis injecta multis in locis visuntur. Nymphis autem quibusdam fuisse, ex mente majorum, inhabitatas, vel haec invocatio docere videtur, ad talem Nympham directa, qua auxilium ejus, utpote frigidi fontis incolae, con-

---

[1]) Cfr. LINDHEIM in *Novis Actis R. Soc. Ups.* l. c. p. 15.

[2]) *De Moribus German.* C. 40. Cfr. SUHM Afh. om *Odin* 2 B. 2. C. p. 243.

[3]) Ib. c. 45.

tra vim ignis imploratur, atque pro sanando vulnere hujus saevitia inusto:

Nouſe Neitonen noroſta,	Surge virgo e rimula (unde scaturigo emicat) [4]
ſieno ſelma ſetteſeſtä,	Tenero sinu praedita e fonte,
Syömäſsän tulen kipua ꝛc. h. e.	Ad exedendos (tollendos) ignis dolores etc.

Silvae, *Luci* et *Frutices* etiam frequenter, ut et *Arbores*, (sub nomine Petäjät, postea etiam Riſtin-Kannot), sacrae habebantur, et cultu quodam honorabantur. *Litteris Papae* GREGORII IX, *datis Perusii* XI calend. Febr. A:o 1228 [5]), Episcopo Finlandensi venia conceditur, *lucos et delubra deputata olim ritibus paganorum, quae de novo per eum conversi ad fidem, Ecclesiae ejus voluntate spontanea contulerant*, eidem Ecclesiae vindicandi. Quare etiam Episcopus THOMAS non multo post, *quandam terram in parochia de Masco cultibus idololatriae olim deditam, Capellano suo WILHELMO jure perpetuo contulisse possidendam*, reperitur [6]). *Delubra* autem in litteris Pontificis commemorata, non *aedes*, sed *loca* tantum quaedam sacra significare, eo probabilius est, quo certius constat, (id quod in sequentibus demonstrabitur) majores nostros paganos nulla diis suis templa struxisse: quare etiam, quod de aedibus templi Jomala illius Biarmiensis narratur in *Historia Herraudi*, l. c. aut in eundem modum interpretandum est, aut inter auctoris fabulas, quibus tot tamque absurdis abundat, referendum: idque eo potius, quum STURLONIDES l. c. narret *locum* tantum fuisse (intra silvam densam) *arboribus nudatum, in quo area erat, ligneo sepimento altissimo cincta*, ut verba ejus interpretatur SCHÖNINGIUS (Ed. Havn. 1778). In No-

[4]) Hanc significationem tribuit verbo JUSLENIUS *Lex. Fenn.* Fortassis tamen rectius hic vertitur: *e valle* (unde - - emicat), quo sensu verbum illud vulgo adhiberi, certum est.

[5]) SPEGEL Skrifteliga Bewis hörande til Sw. Kyrdio-Hiſtorien p. 159. N. 94.

[6]) Diplomate dato Nousis A:o Domini 1234. Ibid. p. 158. sqq. N. 93.

vellis Aboëns. A:o 1772. N:o 14. pag. 3. legitur *Paulum Lydikäinen*, aedituum Ecclesiae Cuopioënsis circa annum 1656 multos ejusmodi frutices et arbores sacras in Cuopio excidisse. Nec illa superstitio ita eradicari plene potuit, ut tales quasdam arbores sacras adhuc in provinciis superioribus, homines quidam fatui non habeant, quas veneratione prosequantur.

Ventis idem quoque honor praestitus esse videtur; nam et in Carmine quodam invocatur *Auster, virgo juvenis*, Etelätär (genere foeminino) neiti nuori [7]), et Boream prae caeteris magnae dignationis et potentiae deum habitum credas, si ejus quidem domicilium fuisse putemus Pohjola l. Pohjola *Borealem villam*, s. *habitationem* atque *sedem*, in car-

[7]) Nisi προσωποποιΐαν tantum atque Ἀλληγορίαν audacem, ut aliarum gentium, ita nostris quoque vatibus familiarem, hujusmodi locis adesse malimus statuere; quod interdum saltem fieri debere indubium est. V. g. Cum canunt Piki tyttö, maito neitti, *Sudor puella, lac virgo!* Verum potuit contingere, ceu multis aliis in populis, ut has fictiones pro rebus vere existentibus rudis plebecula acciperet, atque allegoricas hujusmodi personas reliquis suis idolis addens, cultu illas religioso, aeque ac haec prosequeretur; ut Romani Pietatem, Fidem, Fortunam, etc. colebant, illisque templa consecrabant, sacrificia, precesque offerebant etc. Atque hoc modo factum est, ut similiter ac Graeci Romanique olim cuivis fere fonti, arbori etc. suum deum nymphamve praeponerent, nostri quoque majores singulis fere rebus naturalibus, talem genium tutelarem tribuerent. Sic *Ferro* deus quidam praeses imperavit Rauta Rehti, vel Rauta Redi dictus; quem honoris caussa, et ad praestantiam ejus significandam reperias ornari epitheto Kulta-kilpi, *Aureo scuto insigni*s. In hujusmodi vero deorum nominibus indicandis, vetusta carmina constantiam non servant; ita alio loco de Ferro dicitur:

Rauta poika Wuolangoisen,	Ferrum filius *dei Vuolangoinen*
Emä Raudan Ruojuatar,	Mater ferri *dea Ruojuatar* (quasi rubico s. ochra)
Ac rursus alio	
Rauta poika Wuolahaisen (Wuolainen l. Wuolahainen),	Ferrum filius *dei Vuolahainen* (s. *de gente Vuolainen*)
Wuolahettaran, (Wuolahattaran) tekemä,	*Deae Vuolahetar*, (quae ejus uxor?) opus.
Lemmettären liehuttama, (al. liekutama?)	*Deae Lemmetär*, (quam caloris deam esse, ipsum nomen indicat) afflatu genitum.

minibus nostratium superstitiosis famosissimam [8]): qua sententia probata, etiam *Matremfamilias Borealis sedis*, Pohja-

In quibus Allegoriae vestigia haud obscura comparent. Sic *Vapor calidus balnei*, Löyly, in carmine quodam ei dicato vocatur Löyly poika Auterinen (Auterisen) Auterettaren tekemä, *Vapor filius dei Auterinen*, *Opus deae Auteretar* (quae dei istius conjux?) cujus dei deaeque nomen a verbo autta (juvare), derivandum esse credam (quasi *juvatorem* et *juvatricem* dicas), quod balnei hunc vaporem Fenni nostri omnium fere morborum remedium esse credunt optimum. Additur etiam deinde: Hiki wanhan Wäinämöisen, *sudor senis Wäinämöinen* h. e. divinus. Sic ignis genius vel parens allegoricus, in carmine quodam dicitur: Punaparta, Tuonen poika, *Ahenobarbus*, *mortis filius*. Alio carmine morbus infantum Riisi, *Atrophia*, dicitur: Riisi poika Rijentehen, Rijentehen, Räijäntehen (alia exemplaria habent Riiwanteen, Räjwänteen); quos Atrophiae natales fateor mihi esse interpretatu difficillimos; addit vero deinde vates:

Isti tulta Ilmarinen,	h. e. Ignem elicuit (ex silice) Ilmarinen *(aëris deus)*.
Wälähytti (wälkytteli) Wäinämöinen;	Scintillam coruscantem excussit Väinemöinen.

Atque paucis interjectis subjungit: Jolla poltan Rijen sunta, Rijen hammasta hajotan, h. e. *quo* (nempe igne illo coelesti) *aduram Atrophiae os*, *Atrophiae dentem comminuam*. Plura exempla addere hujusmodi Prosopopoeiarum atque Numinum allegoricorum, locus prohibet.

[8]) Ita se, jam haec varie mutata, interpolata, truncata, et commixta, ab ipsis mystis adhibentur, ut difficulter ex iis tuto pleneque eruas, qualis revera veterum Fennorum Mythologia olim fuerit. Celebrem illum locum Pohjola, in ultimo borealis plagae angulo situm, ex majorum nostrorum opinione, fuisse, praeter multa alia argumenta, vel nomen ipsum demonstrat; frigoris patria sedesque consequenter habita simul fuit: Unde synonymum ejus fere semper reperias esse Kylmä kylä, *Frigidus pagus*, l. locus. Ex. gr.

Tuuwoos hyytä Pohjolasta,	Adducito nivem aquosam ex Boreali sede,
Jäätä kylmästä kylästä.	Glaciem ex frigido pago.

Item:

Syntyi Neiti Pohjolassa,	Nata est virgo in Boreali sede,
Impi kylmässä kylässä.	Puella in frigido pago.

ſan Emändä, cujus frequentissima fit in iisdem carminibus mentio, uxorem ejus fuisse statuendum videtur; de qua infra commemorabitur.

Sed in hoc ipso remotissimo boreali atque frigido domicilio, deorum insignem numerum habitasse, interdum significare videntur; ut in sequenti carmine, (quo tamen Frigus compellari videtur):

Tule Poika Pohjolaſta,	Veni juvenis ex Boreali domicilio,
Mies iſo Iſän aloſta,	Vir magne ex patris sede,
Weicko wennon joukioſta,	Frater e sociorum coetu,
Hyinen kattila käteßä,	Nive-glacieque-repletus- lebes in manu (tua sit),
Hyinen kauha kattilaßa;	Nive - glacieque - obductum - cochlear (Slef) in lebete
Wiſkoa wilua wettä ꝛc.	Adsperge frigidam aquam etc.

Malorum vero atque nocentium deorum, imprimis credas sedem fuisse; non enim uno loco mystae ad vulnus sanandum atque dolorem, cui mederi nituntur, superandum, deorum dearumque omnium, et superorum et inferorum implorantes opem, (flectere si nequeant superos, Acheronta moturi) impie dicunt:

Onko Hiitä Pohjolaßa	Estne Daemon aliquis in Boreali sede,
Jumalata Taiwahaßa,	Deus aliquis in coelo,
Tämän pulman purkajata,	Hujus incommodi (saevitiae) remotor,
Tämän jaxon jaxajata? ꝛc.	Huic labori peragendo par? etc.

Atque in alio carmine mysta morbum abacturus ex malitia atque incantamentis magi alterius, scilicet, aegroto immissum, hac utitur exorcismi formula:

Mene tuonne kunna käſken,	Abi illuc quorsum jubeo,
Hiiden hiili huoneſehen,	Daemonis prunis-infestam-in-domum,
Pimiään Pohjolahan,	Caliginosam in Borealem-sedem
Mieſten ſyöjäin kylähän;	Anthropophagorum in pagum;
Kus' on muutkin murhamiehet,	Ubi sunt aiii quoque homicidae,
Ikeiſet (ikuiſet) pahan tekiät. h. e.	Perpetui malefici.

Facile hinc patet, ideas quasdam, majores de *Γέεννα* jam tum habuisse, et malis geniis, carmini huic immixtas; quod firmat conjecturam, malis diis sedes ad ipsum septentrionis verticem fuisse olim assignatas; in horum autem numerum *Boream*, propter saevitiam suam, in his terris notissimam, relatum, ac forte loci illius dominum habitum fuisse. Cfr. quae de hujus domicilii matrefamilias infra dicentur.

Boreae autem conjugem nostros dedisse, mirum haberi minime debet, cum nec saniores fuerint olim Athenienses; qui, testante HERODOTO, Boreae acceptum ferebant, quod triduano suo flatu vehementi classem Xerxis dissipasset, et ex ea quadringentas naves submersisset: Quem favorem sibi Boream praestitisse autumabant, propter Erithyam Erichthei filiam, Atticam, quam in matrimonio habebat. Lib. VII. Cap. 189.

Frigus etiam ut Numen quoddam, cultum et invocationem ab ipsis meruit. Ut patet ex hac precatiuncula, qua morbos vulneraque ex inclementia ejus orta sanare voluerunt:

Packanen puharin (puhurin) [9]) poika,	Frigus flaminis (Boreae, ut videtur) fili,
Älä kylmä kynsiäni,	Noli adurere ungues meos,
Älä päätäni palele!	Noli caput meum frigefacere!
Kyll' on sulla kylmämistä;	Satis habes quod geles;
Kylmä soita, kylmä maita,	Gela paludes, gela tesqua,
Kylmä puita ja pehuja,	Gela arbores et frutices,
Kylmä kowia kiviä!	Gela duros lapides!
Tulda (tulen) tungen sukahani,	Ignem intrudo in tibialia mea,
Kekälettä (kekäläisen) kengähäni,	Carbonem in calceos meos,
Packasen palelemata,	Absque laesione a vi frigoris,
Kowan ilman kostemata. h. e.	Absque noxa a saeva tempestate.

Morbis quoque divinitas adscripta est; quos placare precibus et ritibus variis, consultum videbatur. Deam autem quandam, nostris creditam esse, morborum praesidem ac potentem, carmina fidem faciunt; in quibus aliquando vocatur Kipumäen Iso Emändä *(morborum collis magna materfamilias)*, atque etiam nomine expresso Kiwutar, (a Kipu *morbus)* Kauhia Emändä *Morbona terribilis matrona*, plerumque autem *Puella mortis filia*, vel *virgo*, nuncupatur; cujus sedem et officium ita describunt:

Kipu tyttö tuonen neitsy,	Morbus puella, mortis virgo,
Kipuja kokoelepi,	Morbos studiose colligit,

[9]) Alia exemplaria habent etiam Pyharin, et quaedam Pupulin. Cujusmodi atque multo majores variationes in carminibus hujus generis rarae non sunt: vix enim duo reperias calamo excepta eorum exempla, quae per omnia consentiant: quod neque mirum videri debet.

Keſkellä kipu-mäkiä,	In medio morborum colle,
Kipumäen kuckulalla;	In morborum collis vertice;
Kirja wackanen käbeſä [10]),	Variegata capsa est (illi) in manu.
Kirja kanſi kainaloſa;	Variegatum operculum (capsae) sub axilla;
Itkiä tihuttelepi,	Lacrimas uberes destillat,
Kuin ei näe kiwut tulewan,	Cum non videt morbos venientes,
Eikä wammat wailahuwan.	Neque ulcera (vulnera) accedentia.

Implorabant vero illam ut morbos ab hominibus abigeret atque ad sese revocaret, sicque ab eorum injuriis aegrotos liberaret; nec dubitabant mystae, per exorcismum quendam ad dominam suam illos ablegare; Exemplo haec sunto vetusti carminis loca:

Kipu tyttö tuonen neito,	Morbus puella, mortis virgo,
Kiwut kiini ottuwohon,	Morbos captivos factos includito,
Kirjawahan kippaſehen,	In variegatum vas,
Walkiahan wackaſehen!	In splendidam capsam!

Item:

Tuonne mä kipuja kiſtän,	Illuc morbos abire jubeo,
Tuonne mä panen pahoja,	Illuc colloco mala,
Keſkelle kipu mäkiä,	In medium morborum collis,
Kipu wuoren kuckulalle!	In morborum montis verticem.

Mors ipsa, Dea quoque esse putabatur, cui nomen Tuoni vel Marta [11]) additum, regnumque et domicilium ejus seu status defunctorum Tuonela nuncupatum. Senex quidam piscator, sic canere auditus est, mortis indicium sibi ominatus, cum piscatura eum fefellisset:

Joko nyt Marta merraſani,	Jamne Letum cassem meam,
Tuoni liene tokeiſani,	Mors invasit instrumenta piscatoria mea
Että kaloiſt owat paiti,	Quod piscibus sunt vacua,
Tyhjät weden ſikiöiſtä?	Cassa aquea prole?

[10]) Alia exempla, loco hujus et sequentis versus habent: Kulda kauhainen käbeſä, h. e. Cochlear aureum manu gestans.

[11]) Cognatum est vocabulum Marras fragilis, *Morti proximus;* Unde Marras Kuu, *November*. Dicunt etiam: Kuolema

§ VI.

Sed fingebant majores nostri alias praeterea naturas, seu Genios et Daemones, quibus divinitatem adscribebant; verosimiliter priscos heroës vel viros summae olim auctoritatis, quos praeficiebant coelo, ventis, piscibus, bello, paci, annonae, rebusque aliis usui vitae inservientibus. Quorum numerus fuit omnino maximus; sed non omnes tamen eodem honore afficiebantur, nec a tota natione Fennica, singuli esse culti videntur. Unde Dii Fennorum, ut olim Graecorum et Romanorum in Deos majorum et minorum gentium dispescendi veniunt. Prioris generis cum *Diis* Romanorum *consentibus*, quodammodo comparandi, totius fere Fennicae gentis patroni fuerunt:

I. Ucko vel Uckonen; nomine *senem* significante. Hunc primarium fuisse totius Finlandiae Deum, coeloque praefectum, vel inde credas, quod *tonitru* nostris Uckonen l. Uckosen jylinä (s. jyrinä) *Uckonis* l. *Senis fragor* adhuc dicitur (ut Lappones dicunt *Ajia rätja*, s. *jutsa*, s. *kleibma*, senex tonat); hanc autem tonandi in nubibus atque pluvias ciendi provinciam, omnes gentes summo Deo, reliquorum Regi et domino, augusto atque tremendo hoc phaenomeno perculsi, tribuerunt. Ipsi etiam adscriptam fuisse felicitatem annonae, hinc credibile est, et tempestates laetas [1]). Vocabatur

---

lyöpi ihmiset maahan martahaxi, Mors homines dejicit in terram exanimatos.

[1]) Haec omnia confirmat Agricolae carmen saepe jam commemoratum, ita de Careliorum idololatria loquentis:

Ja qwin kewäkyluö kyluettin,	Cum vero satio verna perageretur,
Silloin Ukon malja juotiin,	Tum Uckonis poculum ebibebatur, (in ejus honorem),
Sihen haetin Ukon wacka.	Quem in finem investigabant Uckonis craterem.
Nin joopui pika että acka.	Ita inebriatae sunt cum puella tum anus.
Siittä palio häpie sielle techtin,	Inde multa turpia ibi fiebant,
Qwin seke cwltin ette nechtin.	Quae cum audiebantur, tum videbantur.
Qwin Rauni Ukon naini härsky,	Cum Rauni Uckonis uxor streperet,

quoque Pitkäinen seu *longus*, (sicut Estonibus fulmen *Pikne* audit) ut inter Deos maximi corporis et staturae: quibusdam etiam dictus Iſäinen seu *Pater*, forma diminutiva, (ad pietatem affectumque exprimendum): nec non Wanha mies, seu *vir senex*, tamquam totius aulae coelestis senior et praeses [2]). Hisce videlicet nominibus Deus fulminis potens a

Jaloſti Ukoi pohjaſti pärſky. Valide Ucko prorsus tonabat.
Se ſiä annoi ilman ja wden tulon. Ille igitur dedit tempestatem (exoptabilem) et novam annonam.

[2]) Non dissimulandum tamen, haud videri D:no Praesidi sententiam hanc de *Uckone*, summo quondam Fennorum Deo, dubiis omnibus vacuam: 1:o quod rarissime ejus in Carminibus vetustis, contra quam fas sit exspectare, mentio fiat, nec ita unquam certa, ut nomen Ukko, *senex*, etiam appellativum haberi non possit, ac honoris caussa, alii cuidam numini esse tributum statui nequeat. Quin apertissime aliae quoque res aliquando hoc nomine *Senis*, venerationis quasi testandae caussa, honorantur; Sic ex. gr. *Ursum* sibi conciliaturi, blande eum compellantes, in carmine appellant: Ukoiſeni, linduiſeni, Kaunoiſeni, kulbaiſeni, „Senex mi (dilecte), avicula mea, Pulchelle mi, aureole mi (sc. amice)". Atque hoc carmine, quo felicem Leporum capturam sibi expetunt, ac *Tapionem* igitur potius quam *Uckonem* invocari probabile est, ita eum alloquuntur:

Anna Ukko uuhianſi, Largire Senex oves tuas,
Anna oinahat omanſi; Largire arietes proprios.

Quasi pecora enim ejus domestica, haec habebant; paucisque interjectis pergit vates:

Ukko kullainen kuningas, Senex auree rex
Tuuwos ilman tuuſimata, Adducito ita ut nihil praesentiant,
Waromata waaputtele (al. waapuſtele). De cavendo non admonitos admoveas etc.

2:o Quod eadem carmina nullum alium deum exhibeant illo, qui Wäinämöinen dicitur superiorem; hic autem summa quaevis semper perficiat, ei nullus resistere valeat, is honoris caussa Wanha, *Senex*, proprio quodam epitheto ubique dicatur, atque Itse wanha Wäinämöinen, *Ipse senex Väinämöinen*, plane emphatice plerumque audiat, fulminandi etiam potestas ei atque *aëris deo*, Ilmarinen, tribuatur, ita tamen, ut huic ille semper praeferatur; quin expresse aliquando Ukko wanha Wäinämöinen appellatur. Videri igitur queat, hunc ipsum Wäinämöinen supremum fuisse

Fennis appellatur. Idem fuit igitur ac *Thor* Svecorum, Celtarum *Taranis* (tonitru enim adhuc Galica s. Scotica vetere lingua *Tarnanich* vocatur), et Lapponum *Atia* l. *Ajia*, quae vox *avum* proprie significat, atque nostrum Äijä *(senex*, idem ac Ukko), manifesta cognatione attingit; (Ajia etiam Fennis pro Äkä *Anus*, in usu est). Licet autem tonitru et fulgur in Uckonis praecipue essent potestate, tamen non ita soli vindicabant, quasi alii Dii illa ciere non possent. Nam in priscis carminibus dii *Väinämöinen* et *Ilmarinen* etiam ut fulguratores celebrantur, ad potentiam eorum designandam: de qua re mox exponetur.

II. Caleva insigne nomen inter Fennos, habuit. Gigantem fuisse, atque ut primarium olim ducem ipsorum, vulgi carminibus celebrari, asserit in *Descriptione* sua *paroeciae Paldamoënsis*, Praepositus olim ejusdem ecclesiae Joh. A. Cajanus [3]). Nobis nulla talia carmina neque visa neque audita sunt. Duodecim porro robustissimos eum filios habuisse idem tradit, qui non omnes tamen noti sint: ut praecipuos, nominat Soini, Hiiſi, Kihawanſtoinen [4]). Quin

Fennorum Deum: atque cum fulminis dominus Ukko aut Ukonen etc. nominaretur, eum ipsum fuisse intellectum, indeque hanc appellationem fulmini adhaesisse. Tempore vero Papismi, diviso cum *Maria matre virgine*, Neitzy Maria Emoinen, imperio contentus esse cogebatur: quare etiam interrogatus unus ex mystis Careliorum haud infimae famae, quis olim majoribus suis paganis deorum habitus esset maximus? lepide respondebat: *Senex Väinämöinen et virgo Maria mater*; tempora non distinguens. Horum autem auxilium in carminibus veterum superstitiosis, maxime implorari repererat. Post cognitum, per Christianismum, verum Deum summum, huic quidem primas dederunt homines; sed ita tamen, ut vetera idola ei adsociarent. Itaque hujusmodi reperias preces: Itze ilmoinen Jumala, Itze wanha Wäinämöinen, Itze ſeppä Ilmarinen, Täſä myöskin tarwitahan. h. e. „Ipse note (vere) Deus, Ipse senex Väinämöinen, Ipse ferrifaber Ilmarinen, Hic vobis quoque opus est". Haec igitur ulterius perpendenda significare voluimus.

[3]) Vid. Tidn. utgifne af et Sällſk. i Åbo, A:o 1777, N:o 18, p. 140 sqq. Cfr. Mathesii *Disp. de Ostrobotnia* p. 18 sqq.

[4]) Hujus nomen non habet l. c. Mathesius. qui contra nominibus Wäinämöinen et Ilmarinen addit Lieliöinen.

ipsos illos celebres olim gentis deos Wäinämöinen et Ilmarinen filios ejus fuisse, ibidem narratur. Post fata divis adscriptos esse, credere licet. *Filios Calevae*, Kalewan pojat, (quo nomine Gigantes Fenni significant) inter veteres Tavastorum deos recenset AGRICOLA l. c. ac de iis canit: Kalewan pojat niittut ja mwöh löit, h. e. *Filii Calevae prata aliaque metebant.* Itaque pratis et foenisecio fuisse praefectos, oportet. Idem sensit auctor Carminis Latini de priscis Fennorum Idolis (de quo vid. Tidn. utg. af et Sällskap i Åbo, a. 1778. N:o 15), sed Calevae ipsi hanc provinciam assignans his verbis:

Prata bonus Kalevas viridanti gramine texit,
Atque replet foeno rustica tecta novo.

Kalewan mieča, i. e. *gladius Calevae* in partibus Finlandiae Australioribus hodie vocatur fulgur autumnale, quod hordeum maturare creditur, (vulgo Korn-blixt) [5]), quod phaenomenon Satacundenses et superiorum regionum incolae Salama vocant.

III. HIISI, inter filios *Calevae* (genealogia sc. illa quam CAJANUS l. c. tradit, probata), fortissimus, idemque ferocissimus gigas habebatur. Hic, ut Deus ursorum et ferarum domitor colebatur. De Careliis id testatur l. c. AGRICOLA, canens: Hiiſi metzeleiſt ſoi woiton, i. e. *Hiisi de feris largitus fuit victoriam*, sive ut vertit auctor Carminis latini nuper laudati:

Hisis prosequitur tristeis ursosque luposque.

Saepissime ejus fit in carminibus mythicis mentio, semper ut potentis, sed simul ferocis et terribilis: unde etiam ejus domicilium, Hiiſi l. Hiitis, ut locus teter et horridus, animo concipiebatur: ita ut mala alicui imprecans etiamnum vul-

---

[5]) Aliud autem significet in his versibus oportet, quibus *ortus serpentis* mythice exponitur (Kärmen ſynty):

Miſt' on kieli keitolaiſen?	Unde lingua coquinarii? (Serpentis, qui venenum in ore gignat et quasi coquat?)
Mieſtä Kalewan pojan. h. e.	E gladio Calevae filii (h. e. formidolosissimo?).

gus dicat: mene Hiiteen, *abi in locum ubi Hiisi habitat* h. e. *in malam rem.* Ob quam nomini ejus adhaerentem ferocitatis notionem, ferae etiam bestiae, (alias Pedot) Hiidet vel Hijet appellantur; imo malo etiam genio designando, haec vox adhiberi coepta fuit. Filiarum etiam ejus in carminibus fit mentio, quin etiam *Caballi* in suo genere plane eximii, nec non *felis*, animalis ferocissimi, cujus opem imploratam reperimus in carmine, quo furem ad rem ablatam restituendam cogi posse putant: Kipinätär Hijen kiſa, Rewi reiſiä jaloſti, Kipinänä kiirehtiös: h. e. „*Kipinätär (terminatione foeminina, quasi* dolorificam *dicas)*, divi *Hiisi feles*, Lacera femora acriter, Scintillae (urentis) instar ad festinandum urge", furem nempe, rem ablatam restituere festinantem prae dolore. De caetero, ubique fere in Finlandia extant loca, quae nomen ab hoc Hiiſi habent, ita ut vel hinc per totam terram nostram cultum fuisse, appareat; talia sunt: Hiiſi, villa in *Pikis*, Hiidenala in *Pemar*, Hiitis in *Kimito* et *Lojo*, Hiidenkangar in *Nousis*, Hiidenweſi et Hiidenwainio in *Vichtis* etc.

Immo, Daemon custos montium metalliferorum, in carmine, quo favor ejus ab homine occultas ejus divitias investigaturo imploratur, quasi honoris caussa appellatur huic *Hiisi* cognatione propinquus. Verba sunt:

Tule Hijen heimolainen,	Veni divo Hiisi sanguine conjuncte,
Wuorten haldia hupia ꝛc. h. e.	Montium- custos- daemon eximie etc.

Ut plura de illo in carminibus mythicis praedicata, jam praeteream.

IV. Tapio sylvarum Deus, venatoribus praedas concessit. De hoc Agricola l. c. Tavastorum Deos recensens: Tapio metzeſt pydhyzet ſoi, h. e. *Tapio de sylva capiendi instrumenta* (praedam?) *concessit.* Precatiuncula ad ipsum (conjugemque suam) directa, sic audit in vetusto carmine, post Christianismi tamen tempora, ut quisque videt, absurde interpolato:

Metzän Cuhlo kaunis karwa,	Sylvae matrona. pulcricoma (l. pulcra forma insignis),

Tuo itze metzän Tapio;	Tu ipse sylvae (dominus) *Tapio;*
Pinneys Tapion poika,	*Pinneys* fili *Tapionis,*
Älä pidä, älä pinnei:	Noli detinere, noli cohibere:
Sinun on Riſtus riſtinnynnä,	Te (enim) Christus baptizavit,
Kaikkiwalda kaſtanunna,	Omnipotens aqua adspergenda initiavit.
Keſkellän metzän kehoa.	In media sylvae regione.
Tule kuin tuli punainen,	Veni ut ignis ruber (cito scil.)
Wieri kuin weſi keſäinen,	Profluе ut aqua aestiva (adducens scil. praedam tecum).
Keſkell' kulda rengaiſeni,	In medium orbem dilecti retis mei.
Awoimen apajaiſeni. h. e.	In apertum spatium everriculi mei.

De conjuge hujus *Tapionis* dicemus infra. Ipse in carminibus appellari solet: Metzän kullainen kuningas, *Sylvae aureus* (praestantissimus) *Rex*, atque sedem suam, quae Tapiola *(Tapionis domicilium)* vel Mehtola (quasi *sylvae aula* seu *villa)* vocabatur, in abditissimae sylvae regione habere credebatur. Inde medicinam vulneribus ulceribusque sanandis praestantissimam adportare, *Apis*, sacrum nostris olim insectum, in carminibus frequentissime mythicis jubetur, mel nempe sive nectar divinum, omni malo dolorique leniendo efficax:

Mehiläinen pieni lindu,	Apis parva avicula,
Tuopas mettä Mehtolaſta,	Adduc mel e sylvae villa,
Simoa Tapiolaſta h. e.	Nectar e Tapionis aula.

Postquam vero Christianismus docuisset, deorum sedes ex terra in coelum removere, etiam longius iter *Api* fuisse imperatum videtur, divinum hoc mel vel nectar adducturae; ita in alio carmine hujusmodi mandatum illi reperimus dari:

Mehiläinen ilman lindu,	Apis aëris (incola) avicula,
Lennä tuonne löyhyttele,	Vola illuc, alas per aërem agitando,
Yhexen meren ylize,	Novem super maria,
Meri puolen kymmenettä;	Usque ad decimi dimidium;
Käy kuun kehää myöden,	Vade qua lunae rotundatur halo,
Päiwän päärmättä ſamoa;	Solaris disci extremitatem premens, iter festina;
Tuo mettä Mehtolaſta,	Adduc mel ex Sylvae villa,
Simoa Tapiolaſta. h. e.	Nectar e Tapionis aula.

Hunc deum etiam precabantur, cum vere pecora in sylvas pastum emitterent, ut a ferarum insultibus, suo dominio subjectarum, ursi imprimis, illa tutaretur: quas preces his verbis carmen vetustum exhibet:

Mehän (metzän) kullainen kuningas,	Sylvae auree rex,
Mehän hippa halliparta,	Sylvae *hippa (vox obscura)* aenobarbe,
Pane panta pihlajainen	Applica vimineum cingulum (capistrum) ex sorbo
Ymberi nenän nykerön [6]).	Circum proboscidem (ursi) brevem.
Kun ei pihlaja pitäne	Si ex sorbo non satis firmum sit,
Niin sä rautanen rakenna ꝛc.	Tum ferreum fabrica etc.

V. Ilmarinen, aëris tempestatumque praeses et dominus fuit; quem igitur etiam pro serena et laeta tempestate obtinenda, itineribusque prosperandis, invocabant. Ipsum nomen, ab ilma *(aëre, ejusque ac coeli constitutione)* natum, munus suum mox indicat. De Tavastorum diis canens Agricola l. c. scribit: Ilmarinen rauhan ja ilman tei, Ja matkamiehet edeswei, h. e. *Ilmarinen pacem* (aërem serenum?) *et tempestatem tranquillam praestitit, Atque iter facientibus successum dedit.* Socius fere perpetuus, in carminibus mythicis deo *Väinämöinen* adjungitur, quem vel tonasse, vel alia praeclara edidisse facinora, nisi hoc comitante, vix reperias. Perpetuo fere epitheto in iisdem carminibus Seppä *faber* appellatur; quae in igne quoque generando insignes ejus fuisse partes, ostendunt: Adeo ut cum Vulcano Latinorum aliquam habuisse similitudinem videatur.

VI. Kekri, s. alia dialecto Köyri, (nam prior illa forma Careliis propria est [7]) Episc. Agricolae l. c. dicitur ex Careliorum mente rem pecuariam curasse: Kekri se lisels carian kaswon, *Kekri auxit pecoris incrementum.* In cujus honorem compotationes et convivia ineunte hyeme celebra-

---

[6]) Nykerän alii: quin et nykerä, ut sit imperativus verbi, significans *cinge.*

[7]) Ad quorum rationem etiam Kekritär, terminatione foeminina, (quasi hujus Kekri vel uxor vel filia), superioris regionis incolis *spectrum* dicitur.

bantur, quae cum festo Agni Paschalis Judaeorum similitudinem quandam habere, non paucis visa sunt; descripta reperiuntur a Pastore hodie Pudasjerviensi M. Erico Castreen, in Diss. Aboae Svethice edita A:o 1754, *de Territorio Cajaneburgensi*, § 35, p. 76. Cum hoc festo magnam similitudinem habet illud, quod locis adhuc quibusdam Careliae et Savolaxiae, *die S. Olai* celebratur, quo agnus ille sacer Willawuona dictus, mactatur et consumitur; quod descriptum legi potest in Diss. Praepositi hodie ac Pastoris in Leppävirta M. Gust. Frid. Aurenii: *Praesagia tempestatum quae collecta sunt in Carelia exhibente*, (Ab. 1751) § III p. 13 sqq. Ac non modo locis quibusdam, festum utrumque in unum coaluisse sensim videtur; sed etiam, tempore Papismi, Festum Omnium Sanctorum, cum illo, quod in memoriam veteris illius idoli celebrabatur, confusum fuisse apparet: unde dies omnium sanctorum, hodie etiam quibusdam locis Köyrin päiwä, h. e. *dies* idolo illi *Köyry* vel *Kekri sacer*, vulgo dicitur. Multis enim locis Kekri et Köyri promiscue dicitur. Dubitandi vero caussa non levis suboritur, annon *Agrorum cultui* potius quam *rei pecuariae*, ille *Kekri* l. *Köyri* praepositus olim fuerit; aut toti forte rei rusticae? Cum agrorum certe cultu arctam rationem habuit festum illi dicatum, tempus illud celebrandi etc. Instituebatur haec celebritas autumno vergente, post trituram frumenti peractam, dum in paleis et stipulis comminuendis agricolae occuparentur, larga, ut indicavimus, esculentorum potulentorumque praebita copia: ita ut festi eucharistici similitudinem, ob felicem annonae proventum celebrati, non obscure prodat. Ex hac celebritate remansit, ut adhuc multis locis, dies post festum vel convivium (sc. *Autumno* celebratum?), quo rustici maxime crapula laborant, *Köyri* appelletur. In carminibus vero antiquis, nullam hujus idoli mentionem injectam reperimus.

VII. Väinämöinen; qui *Äinemöinen* Agricolae l. c. audit, de Tavastorum diis canenti: Äinemöinen wirdhet tacoi, h. e. *Äinemöinen carmina fabricavit*, ab eo ut rei Poëticae tantum praefectus commemoratur. Sed ille non modo Apol-

linis loco nostris fuit per totam Finlandiam cultus, Poëtas Runas suas sive Carmina componere docens, (cujus igitur opem haud raro invocant), Musicae primus auctor, itemque eruditioni, si qua hic fuit, ingeniique culturae, benignam praestans operam; sed longe omnino ampliorem habuit provinciam. Cfr. nuper dicta, not. [2]). *Lyrae* quidem (quae Kandele nostris) inventionem, disertis verbis vetusta carmina illi adscribunt, ac miram ejus hoc instrumentum tractandi peritiam, non secus ac Graeci Orphei artem, celebrant. *Ignem* etiam ab eo in terram primum esse delatum, eadem carmina innuunt; quae *Navium* etiam aedificandarum insignem fuisse artificem, perhibent. Una cum socio suo *Ilmarinen* fulminis potentem fuisse, vel hi versus docent, supra jam allati:

Iſki tulta Ilmarinen,	Excitavit ignem *Ilmarinen*,
Wälkytteli Wäinämöinen.	Fulguravit *Väinämöinen*.

Quae pluribus deinde verbis exponuntur, mythicisque nugis adornantur; *ignis* sc. *natales*, hoc ipsum carmen exhibet. Contendere cum eo ausum deum *Jouckavainen*, juvenem, (quare semper appellatur nuori, *adolescens)*, severe punivit; de quo certamine plura commemorant carmina vetusta. Sequens vel ideo apposuisse juvabit, quod potentiam *Väinämoinis* simul adumbrat, atque adeo totius terrae formationem ei adscribere videtur:

Ennen wanha Wäinämöinen,	Olim senex *Väinämöinen*,
Ja tuo nuori Joukawainen,	Et juvenilis ille *Jouckavainen*,
Tulit tiellä waſturuta:	In via sibi invicem occurrebant;
Kiſa aiſahan takiſti,	Temo trahae (ſimmelſtång) temoni adhaesit,
Wembel tartui wembeleſeen.	Arcus trahalis (loka) implicabatur arcui.

Tum *Jouckavainen*, juvenili arrogantia elatus, dixit:

Se nyt tiellä olkohon	Ille nunc viam teneat,
Joka tienepi enämmin;	Qui majore pollet scientia;
Se tieldä poiß poikelkohon,	Ille de via decedat,
Joka tienepi wähemmin!	Qui minus novit!

Muiſtan meret kynnetyꝛi,	Memini ega maria arata [8]),
Sarka jaot ſauwotuꝛi,	Jugera primum mensurata [9]).
Ilma pielet piſtetyꝛi,	Aëris postes erectos,
Mäet myllermöitetyꝛi,	Montes exaltatos,
Kiwet luoduꝛi kokoḫon. h. e.	Lapides coacervatos.

Respondet *Väinämöinen*:

Lapſen tieto, waimon muiſto,	Scientia infantis, memoria mulierculae,
Ja ei Uron partaſuiſen!	Nec viri barbati!
Minun on meret kynbämäni,	A me sunt maria arata,
Sarkajaot ſauwomani,	A me jugera mensurata,
Ilmapielet piſtämäni,	A me postes aëris erecti,
Mäet myllermöitemäni,	A me montes exaltati,
Kiwet luomani kokoḫon. h. e.	A me lapides coacervati.

Comprehendit deinde Jouckavainem, et projicit in stagnum, dicens:

Mitäs mulle nyt lupaat,	Quid jam mihi promittis,
Jos mä luowutan luotteḫeni,	Si fatum tuum relaxo,
Pyörytän pyḫät ſanani. h. e.	Et verba mea sancta revoco?

Jouckavainen respondet:

Lupaan ainoan ſiſareni,	Promitto tibi sororem meam unicam,
Koſkas tulet koſiḫin. h. e.	Quando venis procatum.

In alio carmine ejusdem generis, *Jouckavainen*, semper adversus senem Väinämöinen petulans, (nunquam licet impune), provocat hunc ad canendum, his verbis:

Laula, laula Wäinämöinen,	Canta, canta *Väinämöinen*,
Ḫyräri ḫywä ſukuinen. h. e.	Ede stridorem claro prognate genere.

Pergit Poëta:

Tuopa Wanha Wäinämöinen	Ille vero senex Väinämöinen
Warmon kyllä waſtaeli,	Strenue satis respondebat,
Warainen on laulamaꝛi,	Matutinum nimis est tempus cantandi.

[8]) Intellige *emollita*, (ut ager aratro emollitur), hoc est *fluida* primum *facta*, sive creata.

[9]) Scilicet tam vetusti instituti hoc visum poëtae fuit, ut omni hominum memoria prius haberet, a mundi initio, diisque auctoribus, arcessendum.

Aicainen ilon teoŗi.	Tempestivum nimis, gaudium excitandi.
Leuwat lijcku, pää järiſi,	Maxillae movebantur, caput tremuit,
Kiwet rannalla rakowi,	Lapides in littore disrumpebantur,
Paaet paucku kalliolla,	Saxa crepuerunt in rupibus (cum crepitu diffringebantur),
Wäinämöiſen laulaiſia;	*Väinämoine* cantante;
Portit pohjalla repäiſi,	Portae septentrionis diffringebantur,
Jlman kannet katkeeli,	Aëris operculum (quasi coeli fornices) rumpebantur,
Wäinämöiſen laulaiſſa.	*Väinämoine* cantante.

Ex quibus omnibus potentia sua ac magnitudo operum suorum patet. Nomen ejus varie scribi videas; praeter AGRICOLAE supra notatum morem, alii exhibent *Väinämöinen*, (ita nobis videntur poëtae rustici semper vocem efferre), alii *Veinämöinen*, alii *Veinemöinen* l. *Veinemoinen:* qui posteriorem hanc rationem adoptant, foemininum illi sexum attribuere velle videntur, quasi dicas Wein *(aquarum*, more Savonum adhibito) Emoinen *(Mater* s. *domina);* cui opinioni ita quosdam indulsisse reperimus, ut esset qui in carmine, ubi alia exempla habent uđo Wäinämöinen, *vir senex Väinämöinen*, semper scriberet ađa Weinemoinen, *vetula Veinemoinen*. Cui tamen rationi obstat, primum, quod virile saepe nomen ac virilia semper opera carmina illi tribuunt; deinde, quod illum ab *aquarum domina* sive dea, expressis verbis eadem distinguant. Ex. gr. in hoc carmine, quo Lyrae ab eo inventae, artisque suae eam pulsandi, laus celebratur:

Sitte wanha Wäinämöinen	Tum [10]) senex *Väinämöinen*
Jſtuŗen itek' ripahan,	Sedens ipse ad- (vox nobis ign.),
Otti ſoiton ſormillehen (ſormillenſa)	Prehendit musicum instrumentum digitis suis,
Kääntſi köyrän polwillehen,	Subvertit curvum instrumentum in genua sua,
Kantelen kätenſä alle.	Lyram sub manum suam.
Soitti wanha Wäinämöinen;	Pulsavit (lyram) senex *Väinämöinen*;
Waſta ilo ilolle käwi,	Tum demum laetitia laete successit,
Soitto ſoitolle tajuſi.	Musica ad musicae leges congruebat.

[10]) Sc. postquam hominibus omnis generis, instrumentum recens inventum tractandum frustra dedisset.

Ei ſitä metäßä ollut,	Non illud in silva erat (animal)
Jalan neljän juoxewata,	Pedibus quatuor currens,
Koiwin koikelehtawata,	Pedibus (ferinis) cursitans,
Jok' ei tullut kuulemahan,	Quod non veniret auditum,
Teheßä Jſän iloa,	Cum efficeret Pater laetitiam,
Wäinämöiſen ſoiteleßa.	*Väinämöinen* lyram tractaret.
Karhukin aidalle kawahti,	Ursus etiam se ad sepem subitu motu applicuit,
Soitettua Wäinämöiſen,	Tractante lyram *Väinämoine*.
Ei ſitä metäßä ollut	Non illud in sylva erat (animal, sc. avis),
Kahen ſiiwen ſuikawata,	Duabus alis praecipiti motu latum,
Jok' ei tullut tuiſkuttain.	Quod non veniret procellae instar (celerrime).
Ei ſitä mereßä ollut	Non illud in mari erat (animal, sc. piscis),
Ewän kuuden kulkewata,	Pinnis sex cursum urgens,
Kahexan waeltawata,	Octo (pinnis nixum) procedens,
Jok' ei tullut kuulemahan.	Quod non veniret auditum.
Iteckin wein (weden) Emändä,	Ipsa etiam aquarum materfamilias (domina),
Rinnoin ruohollen roſahti [11]),	Pectus ad graminosam ripam vehementer allisit (prae festinatione).
Wedetti weſi kiwelle,	Ascendit super saxum aquae vicinum.
Wahtallehen (waxallenſa) waiwoaxen.	In ventrem se projecit molesto molimine.
Iteſtänni Wäinämöiſen,	Ipsius etiam *Väinämoinis*,
Wedet juoxit ſilmiſtähän,	Lacrymae manabant ex oculis,
Kaſeammat (kaiſiammat) karpaloita,	Grandiores oxycocca baccis,
Pyhliämmät (pyhſiämmät) pyhn munia,	Majores altaginis ovis,
Reheille rinnoillehen,	Super generosum suum pectus,
Rinnoiltahan polwillehen,	De pectore in genua sua,
Jaloin jalkainſa päälle.	In strenuos suos pedes.
Putoiſit weſi piſarat.	Penetrabant aquae guttae (lacrimae)
Läpi wiiden willa waipan,	Per quinque vellerea tegmina, (quintuplicem vestem),
Sarka kauhtanan kahexan.	Pannicea amicula octo (pallium octuplum).

Ornatum magni hujus dei satis lepidum fuisse, ex ultimis verbis concludas. Cingulum autem, Americanorum more (neque hunc tamen deum solum) pennis contextum gestasse,

---

[11]) Alii habent: Rinnan ruohoon ajaxen, Wedexen w. t.

fidem faciunt hi versus ad Mariam Virginem, familiari nostris vatibus syncretismo, directi:

Siwalla ſimanen ſiipi	Rape melleam [12]) alam
Wyöltä wanhan Wäinämöiſen,	Ex cingulo senis *Väinämoinis*,
Wyöltä ainoſen Kapeen ꝛc.	Ex cingulo sempiterni dei *Kapet* etc.

Morbum scilicet atque dolorem abstersura; contra quem auxilium ejus hic imploratur. Sed locus non permittit de hoc deo plura adferre.

VIII. TURRI vel TURISAS bellatoribus opem ferebat. AGRICOLA l. c. inter Tavastorum deos commemorat, canens: Turiſas annoi woiton ſobhaſt, *Turisas dedit victoriam in bello.* Fuitque hic Fennorum *Mars*. Convenire videtur cum Sveonum *Tyr*. In paroecia *Cackis* vel *Euräpää* Careliae, fertur esse mons Tyriän Wuori appellatus, ubi hic deus speciatim putatur sedem habere, et Tyriän Äijä vocatur. Fabulantur de ipso accolae, eum saepe, imminente bello, exire, et in nubibus tympanam pulsare, quod praesagium belli futuri certum habent. Hujus vero, de cetero, nullam reperimus in carminibus vetustis factam mentionem.

§ VII.

Atque hi fuere Dii veterum Fennorum communes et maximi nominis; praeter quos minores et particulares hic illic colebantur. Quales sine dubio fuerunt hi ab AGRICOLA l. c. recensiti Careliorum Dii *agrestes:*

Köndös, qui agros et arva sylvestria (Huhtat, Sveth. Swedjor). curabat.

Rongoteus, qui secalis proventui favebat.

Pellonpecko, qui hordeo praefuit.

Egres cui fabas et pisa, rapas, olera, linum et cannabim debebant.

Virankannos tantum avenam curavit.

Item, eidem memorati Dii ipsorum *Sylvestres:*

---

[12]) H. e. vel *divino nectare tinctam*, vel simpliciter *virtute leniendi praeditam.*

Nyrckes, qui concessit illis sciuros.

Hittavanin, qui timidos lepores illis praedam largitus est. *Hitta* Fennis notat canem foeminam; unde conjicere forte licet, hunc Deum, vel Deam, canis more lepores agitasse.

Tales quoque erant, ut credo, hi Tavastorum dii peculiares, AGRICOLAE item memorati:

RAHKOI, deus ecclipsium. (De diis *Kapeet* dictis, postea dicemus).

LIECKIÖ, qui gramine, radicibus, arboribusque imperitabat. Idem videtur ac *Liekiöinen* ille supra § VI not. [4]) commemoratus.

AHTI, quem ex *ex aquis pisces attulisse*, adeoque piscatorum deum fuisse, docet.

KRATTI qui thesauros custodiebat. Hunc a Svecis mutuatos esse, verisimile est; qui vocant Stratten, voce Islandis *malum daemonem* notante. Cfr. IHRE *Glossar. Sveogoth.* in hac voce. Ex domestica majorum traditione, in terram defossas et reconditas opes ad quendam AARNI potius pertinuisse credas; quia thesauri hujusmodi defossi vocantur Aarnin hauta, l. Aarnen hauta. Quamquam ab Aarre, l. aarnio, quo nomine hujusmodi thesaurus appellatur, ea vox potuerit nasci.

Horum omnium deorum, solus nobis AGRICOLA notitiam exhibet; nulla eorum fit in carminibus vetustis mentio. Quin nomina etiam quorundam, ut ejus quem diximus *Kratti*, *Rongoteus*, *Egres* et *Hittavanin*, linguae nostrae consvetudini non optime conveniunt.

§ VIII.

Celebrantur praeterea in carminibus vetustis Dii multi alii, quorum nomina nemo hactenus in lucem proferre studuit; nec satis liquet, an per totam Finlandiam noti fuerint [1]). Huc pertinent ex. gr.

[1]) Cfr. tamen dicta supra § V not. [7]); atque quae de carminum vetustorum, in hujusmodi rebus, inconstantia monuimus ib. not. [9]).

1. KAVEH s. *Kavet* (etiam *Kavoh*, et alia dialecto *Kapeh* atque *Kapet*) qui in Carminibus non raro commemoratur. Ad hujus opem, ut et potentis et benefici, contra morbi vim hujusmodi carmine confugiebant:

Kaweh ennen jaŋon jaŋoi,	*Caveh* antea juvare valuit,
Kaweh ennen pääſtön pääſti;	*Caveh* olim liberationem praestitit;
Miŋet ſä minua pääſtä?	Cur me non liberas? etc.

Quin ipsius hominis formationem huic adscribere videntur vates, v. gr. cum jubent morbum abire:

Jhoſta imehnolaiſten,	Ex cute (hull) hominis,
Emon tuoman ruumihiſta,	A matre editi corpore,
Karwoiſta Kawon (l. Kawoin) tekemän.	Ex tergore operis a *Kavoh* facti.

Sic alio loco de se dicit vates:

Minä mieš Jumalan luoma,	Ego vir, a Deo creatum opus,
Luoma kolmen luonnottaren,	Opus trium creatricium [2]),
Kantama kahe kapeen. h. e.	Partus duarum e Diis *Kapeet.*

Alio loco sic objurgat serpentem:

Kuin purit Kapeen karwaan,	(Tu) qui momordisti tergus (corpus) a Deo *Kapeh* formatum,
Kuin purit ihon imeiſen.	Qui momordisti cutem (hull) hominis.

Nec raro hominem vocari reperias Karwa emo- (l. emi-) Kapeen, *tergus* (s. quasi *formam* et speciem corporis) *a matre Kapeh* (h. e. *primaria*) *formatum.* Quae simul innuere videntur, numen hoc foeminini fuisse generis? Num *naturam* significare volebant? Nihil audemus definire.

2. De VUOLAINEN, ferri patre, mentionem jam fecimus (§ V not. [7]).

3. LEMMINGÄINEN, adjecto epitheto Nuori, adolescens. [In carmine de Lyrae inventione, supra jam p. 63 commemorato, narratur, senem Wäinämöinen, postquam eximium suum navigium ab hominibus propelli non posse vidis-

[2]) Quid hic voluerit vates innuere, difficile dictu est. Num ex Christianismi doctrina male intellecta et stulte mutata hausit?

Nyrckes, qui concessit illis sciuro[illegible] ...mos ad-
Hittavanin, qui timidos lepores [illegible] *Admovit*
est. *Hitta* Fennis notat canem f[illegible] *ac arenosae*
forte licet, hunc Deum, vel D[illegible] ...itibus dictis
agitasse.

Tales quoque erant, ut [illegible] ...nibus numinis
culiares, AGRICOLAE item r[illegible] ...proprio nomine
RAHKOI, deus ecclip[illegible] *Virum* quendam
stea dicemus). [illegible] ...urae, sed admodum
LIECKIÖ, qui gr[illegible] ... valeat et audeat, quod
ritabat. Idem videt[illegible] ...; ne ipse quidem *Väinämöi-*
commemoratus. Sic ille *scintillam* ignis a *Vä-*
AHTI, quer[illegible] ...elo dejectam, solus ausus fuit eruere
scatorum deur[illegible] ...udis manibus ac nullis munitus Chiro-
KRATTI [illegible] ...am ejus in carmine vetusto descriptionem:
mutuatos [illegible]

Islandis [illegible] nouſi,	Vir niger e mari surrexit,
Sveogot [illegible] aalloſta yleni,	*Heros* ex unda emersit,
[illegible] korkeinen (korkainen),	Trinos digitos altus,
in te[illegible] pituinen;	Quatuorve pollices longus[3]);
pot[illegible] ſuollutta parembi,	Parum mortuo homine est melior (facie)
V[illegible] on kauhiambi.	Quin perdito (aeternum!) est truculentior.
[illegible] on kiwiſet kengät,	In pectibus erant lapidei calcei,
[illegible] on paaſinen kyperä,	In capite saxeus pileus,
[illegible] kannolla takana,	Coma ad calcaneum a tergo (pendebat),
[illegible] rinnalla edeßä. h. e.	Barba ad pectus ante (porrigebatur).

Cum certamen deorum *Väinämöinen* et *Jouckavainen* diremturus esset, alio modo fuit armatus; nempe in carmine supra p. 61 sq. citato legitur:

Ei ennen ero tullut,	Non facta est prius separatio,
Kuin Uroß mereſtä ſyndyi,	Antequam *Heros* ex mari emergeret,
Rautalacki lainehiſta;	Galea ferrea tectus ex undis prodiret;
Rautakintahat kädeßä ꝛc.	Ferreae chirothecae in manibus (erant) etc.

[3]) Alii tamen liberaliores sunt, et cubiti longitudinem illi concedunt.



...RSAS (non abhorret nomen ab AGRICOLAE ...i habitasse dicitur; littoris etiam domi... ...est, quia partalainen, *littoreus* vocatur, ...ntio fit. Hic compressisse Borea... qua in sequentibus; pater ita ...prolis, quam illa peperit. Cfr.

... IX.

... debent, in hoc recensu, *Deae*, quae ...es fuisse perhibentur, vel alias magni ...ritorum divae. Inter has commemorandae

... RAUNI, quam tradit AGRICOLA l. c. fuisse conju... ...m *Uckonis;* quae una cum ipso detonabat in nubibus, et cum qua ei non melius convenit quam Jovi cum Junone apud *Homerum:* unde alterni fulminis ictus atque fragores. Versus ipsos jam attulimus, § VI not. [1]). Nulla hujus Deae occurrit in carminibus mentio; neque definire audemus, quam cognationem nomen suum vel cum voce Fennica Raunio, *acervus lapidum*, vel cum nominibus propriis hinc derivatis habeat, e. gr. *Raunistula* prope Aboam.

II. VEDEN EMÄ, s. VEDEN EMOINEN, *mater* s. *materfamilias ac domina aquae*, pisces ex aquis concessit; de qua mentio facta jam est supra, §. VI. p. 63. Papismi tempore sanctissimo Servatoris nomini hoc idolum piscatores adsociabant, ut ex hac patet invocatione:

Kjesus ja Weden Emoinen,	JESUS et *Aquae Domina*,
Lähetä kalainen parwi,	Mitte piscium gregem,
Apaille aiwotuille,	In tractum piscaturae (notwarp) a me electum
Muinaisill' wero-wesille.	In aquas olim mihi lucrosas.

Nisi eandem ipsam credas alio nomine *Vesi Hiisi*, Aquae Daemonem fuisse appellatam, conjugem saltem hujus fuisse habitam, non est improbabile: ac nomen ipsum *Hiisi*, masculinum ejus daemonis sexum indicare videtur, a piscatori-

bus formidati. Favet huic opinioni, quod in carmine, quo piscator Lyrae inventionem a *Väinämoine* factam, celebrat, nervi ejus dicuntur desumti Jouhiſta hywän orihin, Hiuriſta Hijen Emännän, Weden wahoiſta walitut: *Ex setis strenui equi, Ex coma dei Hiisi matrisfamilias, Ex aquae spumis* (prole?) *selecti.* Quae utique aquae praesidem designare videntur. Aliud carmen hujusmodi, habet: Hiwuriſta Hijen hirwen, Karwoiſta meri Kateen, *Ex capillis dei Hiisi cervi, Ex pilis invidae maris deae.* (Kati, dea invidiae in carminibus passim commemoratur. Unde Kadehtia, verb. *invidere*, et Kadeh *invidus).* Num celebratus etiam ille Uros, de quo supra § VIII p. 68, idem ac hicce Weſi Hiiſi, cujus nomen ipsum potentiam ac ferocitatem suam indicat? Aut num diis, aqua non minus abundavit quam terra? Sane contra ulcerum vim in carmine quodam invocatur deus marinus, qui utrum a supra nominatis diversus sit nec ne, haud liquet:

Sala poika Wäinämöiſen,	Occulte fili (spurie?) Väinämoinis,
Noſta miekaſi mereſtä,	Extolle gladium tuum e mari,
Lapioſi lainehiſta;	Ligonem *(tridentem? qualis Neptuni fuit)* ex undis;
Jollas ruhtat rupia,	Quo castiges scabiem,
Eli painat paiſuita!	Aut deprimas ulcera.

Hos versus vel ideo adferendos duximus, quod caeterum vel conjugum vel liberorum *Väinämoini* adscriptorum, nulla reperimus in carminibus vestigia. Nescio an alius ab horum alterutro fuerit Näcki, ad Svecorum forte morem ita dictus; quem etiamnum superstitiosi aquis praesidere, et insidiari natatoribus eosque submersos et suffocatos ad sua regna saepe trahere, credunt. Quod *Ahti*, cujus Agricola meminit, eandem habuit ac *Veden Emä* provinciam, nec illius ulla fit in carminibus mentio, aut hodie vestigia cultus ejus ulla apud piscatores superstitiosos reperimus; credi forte possit, nomen fuisse aliud ejusdem dei aut deae. Confirmat hanc conjecturam, quod ex *Descriptione Lapponiae* Msc. Samuelis Rheen adfert Schefferus l. c. C. X p. 107. Sådana ſtenar (idola) kalla the, then förſta Storjunkaren, then andra hans *Acte* eller qwinna, ꝛc. *Talium lapidum primum*

vocant Storjunkaren, *secundum* Acte *ejus, id est conjugem.* Quae si vera sunt, (nam vox in Lexico Lapponico egregio, nuper edito, non comparet), *Acte* l. *Ahti* Lapponum lingua *foeminam* aut *uxorem*, idem fere ac nostris Emä l. Emoinen, significat; flexum forte ab *Akka*, voce (et apud Fennos et Lappones) idem denotante, unde hoc nomen apud veteres Tavastos aquae deae adhaesisse, existimes: nihil tamen audemus definire.

III. Pohjolan Emändä, *materfamilias Borealis sedis*, supra jam a nobis commemorata est. Ejus saepe fit in carminibus vetustis mentio; partim ut matris malorum ac incommodorum, partim ut ea avertere et superare potentis; cujus igitur opem videas in iis implorari. Etiam nomine eam nonnunquam appellant, vel *Louhi* l. *Loveatar* s. *Lovehetar*. Uxorem Boreae fuisse, verisimilitudine non caret. Itaque in carmine quodam dicitur:

Porto Pohjolan Emändä,	Meretrix (impudica?) Borealis sedis materfamilias,
Lowehetar (al. Loweatar) wanha waimo,	*Lovehetar* vetula mulier,
— — — — — — — — — — — — — — — —	
Teki tuuli tiinehexi,	Fecit gravidam ventus,
Ahawa kohullisexi ꝛc. h. e.	Ventus-acris praegnantem etc.

Peperisse porro novem filios narratur, omnes deformes et aliqua parte corporis mutilatos; quod etiam nomina indicant, quae iis dedisse dicitur Ruho, Ramba, Perisokia ꝛc. (*tardus prae nimia mole corporis, Captus pedibus, Plane coecus* etc.): maligna tamen omnes erant indole, ac sagittis homines infestabant. Videtur morborum describi genesis. In alio carmine etiam *Lupi* et *Canes* iracundi ejusdem proles vocantur. Cum hac fabula cognationem habere illa videtur, quam aliud carmen narrat, cujus hoc est initium:

Synty Neity Pohjolaßa,	Nata fuit virgo in *boreali* sede,
Imbi kylmäßä kylässä,	Puella in frigido pago,
Jok' ei suostu sulhaisihin,	Quae non assensit procis,
Miellyi miehiin hywiin ꝛc:	Probavit viros egregios etc.

Postea vero, prae libidinis aestu in mare se praecipitavit, ubi a deo Meri-Tursas compressa, peperisse dicitur novem

filios, pessimi moris, et maligni patris sui indolem servantes; inter quos recensentur *frigus*, *vulnera a frigore inflicta* etc. In aliis carminibus Borealis istius sedis dominam invocare reperiuntur, ut auxilio adsit, imprimis contra ignis violentiam; ut in hoc exemplo:

Nouſe Neitonen noroſta,	Surge Nympha e lecto,
Wuotehilda hyiſen pojan,	E cubili nivosi juvenis (Boreae)
Jäiſen pojan lappeasta;	Glacie cooperti filii e toro;
Weä wiittaſi wiluſta,	Subduc togam tuam frigori,
Hameenſi hallan alda ꝛc.	Pallam tuam gelu surripe etc.

Plura adducere vetat angustia paginarum.

IV. Tapiolan s. Mehtolan Emändä, *Aulae sylvestris materfamilias atque domina, Tapionis* conjux, in carminibus vetustis, a venatoribus saepius fere invocatur, quam ipse *Tapio;* inprimis cum non saevas feras, Ursum, Lupum etc. sed Lepores, Aves etc. insidiis petunt. Hujusmodi igitur sylvestrem praedam vocant Emon wilja, *Matris annonam* vel *donum.* Nomen illi dant vel *Hongas*, (quasi *Nympha abietis* s. *sylvae abiegnae domina)*, vel *Mielus* (quasi *benigna, facilis).* Prioris appellationis in his exemplum est:

Metzän kuldainen kuningas,	Sylvae auree Rex (Tapio ipse),
Hongas ehtoſa (etzoſa) [1]) Emändä ꝛc.	*Hongas* in indagando (bestias) domina

Posterioris vero, et multo frequentioris, haec adponemus:

Woi Mielu, Metän Emändä,	O *Mielu*, Sylvae materfamilias,
Tuo tarka Tapion waimo ꝛc.	Acer illa *Tapionis* uxor etc.

Et alio loco:

Mielus Mehtolan Emändä,	*Mielus* Sylvestris sedis materfamilias,
Tapiolan tarka neito,	Aulae Tapionis strenua Nympha,
Wedä riiſtaſta rekiä,	Adduc penus (tui, sc. bestiarum) velum,
Tawaroiſta taluttele,	Opum tuarum ductita (sc. copiam);
Kohden kulda langoſani ꝛc.	Versus aureos (dilectos mihi) laqueos meos etc.

[1]) Al. tamen habent ehtiä, pulcra.

V. SUCKAMIELI, amorum Dea, puellarum animos demulcens erga procos, et vice versa. Cujus opem implorabant hunc in modum:

Suckamieli mielen käänbäjä,	*Suckamieli* animorum mutatrix,
Neſilläs tuon mieli haubo,	Melle tuo animum fomenta,
Haubo mieli mielettömän,	Fomenta animum sensu carentis,
Armahani armottoman ꝛc. h. e.	Amici (l. amicae) immitem etc.

VI. De VUOLAHATAR, ut et conjuge suo *Vuolainen* supra commemoravimus § V not. [7]) et § VIII [2]). Conjugia deorum dearumque, ex mente nostratium non fuisse sterilia, et ex jam dictis patet, et multis praeterea exemplis doceri posset, si locus permitteret.

§ X.

Hi Dii Deaeque bonae plerumque erant frugis, et in cultores suos, ex mente nostratium, natura sua benefici; quare variam ab ipsis opem ad commoda vitae pertinentem, exspectabant precibusque flagitabant. Sed erat quoque majoribus nostris res cum spiritibus et naturis quibusdam plane maleficis; a quibus varia mala et damna sibi metuebant; quaeque hoc solum nomine placare studebant. Quamquam non facile est ubique definire, ad quam praecipue classem daemon aliquis, in vetustis carminibus commemoratus, per-

---

[2]) Narrat SCHEFFERUS l. c. C. IX p. 93 ex. TORNAEO (cfr. hujus Beſkrifn. öfwer Torneå och Kemi Lappmarker, typis impr. Stockh. 1774 8:o, p. 15 sqq.) *in medio marchiae Tornensis olim celebrem fuisse Seitam* (idolum) Wiran (Wiron?) Ada *dictum, quod anum Livonicam significat*, (etiam Fennice). *Hunc omnes circumjecti Lappones coluere, etc.* Si Fennis etiam haec dea culta fuit, ab Estonibus, quorum genti regionique forte nomen dedit, (Wiron maa, Wirolaiſet), ad nostros delata, *Terram* ipsam significasse probabile est; quam nostros olim adorasse, supra docuimus § V. p. 45. Extat ad *terrae dominam* precatio, qua rogat eam castrator, ut equo jam prosternendo, cubile quietum concedat: Anna maata Maan Emändä, Anna maaſi albihiri. *Permitte cubare*, Terrae domina, *Concede terram tuam propitiam.*

tinere debeat; quod et boni aliquo peccato offensi, iratiores interdum essent, et mali quoque saepe cultoribus suis, sibi mancipatis, favere putarentur. *Diabolus*, quatenus est hostis DEI et hominum spiritualis, peccatique auctor, ipsis ante Christianismi tempora ignotus quidem erat; ut et sedes ejus infernalis. Variis tamen noxis corporalibus, quas vel ipse immediate, vel per homines sibi addictos, Magos videlicet et Sagas infligeret, malus quidam genius satis innotuit etiam Fennis paganis; quem sub nominibus *Lembo*, *Piru*, (Genius, ad ejus familiam pertinens, hinc vocabatur Pirulainen, Pahalainen etc.) *Perkele*, *Peijakas*, l. *Peijanen*, *Paha Kurki*, *Pendele* etc. innuebant [1]); non secus ac Lappi illum sub nominibus *Fuodno*, *Stalo*, *Pärkel* etc. aversantur. Esthonibus est *Kurrat* l. *Kuratti*, quod vi vocis idem notat ac Hin Onde, sive ὁ πονηρος, seu malus [2]). Hunc Magi ipsi

---

1) Negare tamen omnino nolumus, quaedam horum nominum olim ad daemonem forte aliquem pertinuisse inter deos gentis cultum, ac post tempora Christianismi, ex odio idolorum, sensu pejore adhiberi coepisse: quod de *Hiisi* supra observavimus. Sic in carminibus interdum deus aliquis, v. gr. *Tapio*, simul *Lembo* vocari videtur, ita ut hanc vocem *daemonem in genere*, non modo malum illum significasse, credas. Vox etiam Piru cum Deo *Perun* l. *Perum*, fulmen notante, a Novogordensibus olim culto; et *Perkele* cum summo deo Prussorum veterum *Perkuno*, aliquam habent similitudinem. *Perku* Esthonibus hodie significat *infernum*, s. sedem diaboli. *Occopirnus*, quem VAISSELIUS in *Chronico Prussico*, supremum fuisse Prussorum numen docet, ab illo forte *Peruno* et *Percuno* diversus non fuit. Cfr. HARTKNOCH alt und neues Preußen I Th. VI. C. MOLLER Beſtrifning öfwer Eſt- och Liſland p. 81. Sic etiam Peijanen l. Peijakas forte primum *deum inferorum*, *Plutonem*, significavit: unde adhuc *inferiae*, (Graföl) Peijaiſet l. Peijahaiſet vocantur, quasi festum huic deo sacrum, cujus regni mortuus factus sit incola, quoque huic propitium illum reddere studebant.

2) Malus enim *Kurri* Esthonibus dicitur. Habet haec vox similitudinem quandam cum deo veterum Prussorum *Curcko*, (Cfr. HARTKNOCH l. c. C. VII). *Kurki*, quod Fennis spectrum et terriculamentum notare docet JUSLENIUS (*Lex.* hac voce), et *Paha Kurki* (malus genius) cognatum vocabulum videtur, ut et vocabulum Kurja, *miser*.

tanquam suum socium et auxiliatorem, ad bona vel mala praeternaturalia procuranda advocare videntur; quem sic in carmine hoc describunt:

Ei minuſa mieſtä lienek,	Non in me virile robur esse queat,
Jos ei tuoſa weikoſani,	Si non in illo socio meo,
Joka Hiiſiſä aſupi,	Qui in Hiisis sede (cum divis) habitat,
Wuoriſa waſaelopi	Qui in montibus vagatur.
Ei tamminengan kurika,	Ne quercina quidem clava,
Luuta polweſta porota;	Valet os elidere (cum dolore) ex ejus genu;
Ei waſkinengan wekärä,	Ne aeneus quidem mucro,
Webä werta hartioiſta;	Valet sanguinem extrahere ex ejus humeris;
Ei pohjanengan pahembi,	Nec boreas intensissimus,
Hiuſta korwilda kohota ꝛc.	Valet capillos levare ad aures ejus. (Scil. tam durus et solidus est).

Mali generis numen etiam fuisse credas deam SYÖJÄTÄR, non raro in vetustis carminibus commemorâtam, ipso etiam nomine (quasi dicas *consumtricem*, *corrodentem* et *exedentem)*, id innuente. Ex hujus sputo in mare demisso, *serpentem aquaticum* enatum fuisse fabulantur; qui alio loco dicitur Rinta ſolki Syöjättären, Pahoiaiſen paidan naula, *Fibula pectoralis deae Syöjätär, Mali-daemonis indusii fibula.*

Ex malis hujusmodi daemonibus fuit etiam quidam Satyrus silvestris, LIECKIÖ nuncupatus, (alius omnino, ut videtur, ab illo cujus AGRICOLA l. c. meminit; cfr. § VIII). Fingunt hunc, homines in silvis terrere et in errores inducere, varias assumentem formas et voces, nunc sub specie graculorum latrantem, nunc sub forma canum, hominum, ignotarumque volucrum apparentem. Ab igne nomen habet, ob celeritatem qua fertur; Liecki enim est *flamma*. AJATTARA l. *Ajattaro*, est similis malus genius silvestris, sed foeminini generis, terribilis, celer et homines in errorem inducens. His geniis comminiscendis occasionem forte dedit notum illud meteoron, nostris licet in terris rarius, quod *ignem fatuum, erraticum aut ambulonem* Physici dicunt. Nostros autem rusticos lusisse, minus mirari convenit, cum etiam non multo sanius SENNERTUM et CARDANUM Philosophatos

esse, constet; qui animas mortuorum, aut cacodaemones esse tradiderunt, malignitate sua viatores vexantes. Vid. KRAFT *Prael. in Phys. P. III C. V.* § 271.

§ XI.

Sed nondum est finis Theognosiae Fennicae superstitiosae. Nam praeter istos Deos, fingebant sibi adhuc inferiores quoque aliquos Spiritus, sive Genios ac Daemones [1]), quibus etiam vim male et benefaciendi tribuebant; quosque sibi faventes reddere studebant.

I. Haldia, sive genius familiaris, seu rector et praeses, Svecis Rå. Fuerunt hi velut Dii locorum apud Romanos; nam cunctis locis, domibus, villis, suum majores praefecere rectorem, qui tanquam hospes invisibilis ibi cum quodam imperio commorabatur. Lacus sylvestres, praesertim minores, talem singuli putabantur habere praesidem; quem quidam piscatores adipe phocae fugare se posse putant. Imo cuique homini suum Genium familiarem, tanquam rectorem adesse, superstitiosi autumant; cujus instinctu et ope, consilia et coepta successum habere arbitrantur. Quamobrem hominem enthusiasmo percitum, qui se habet ut fanaticus, ajunt esse Haldioiſa, seu *incitatum ab hoc rectore*. Hinc venatum profecturi, vel aliud opus majoris momenti effecturi, eum hujusmodi verbis ducem ad vocant:

Rouſe luondoni loweſta,	Surge ex rima naturae meae,
Kiwen alda kiiſu ſiimä,	De loco tuo sub lapide paetulae,
Paaden alda paicka poſki,	Subter cippo mi genie decore,
Hongan alda Haldiani!	Subter abiete mi rector!
Pue päälles palawa paita ꝛc. h. e.	Indue indusium ardens etc.

II. Tontu sive Lar, a quo magnam exspectabant opem et curam rerum suarum domesticarum; qui saepe damna aver-

[1]) Difficile quidem est ubique definire certos limites inter genus utrumque; quod ipsi Dii gentilium non omnes ejusdem essent dignitatis aut potentiae: sed tamen illae naturae, ac quaedam inprimis, quae in hac § enumerantur, inferioris omnino fuerunt generis.

tebat, et varia bona procurabat, cum propitio esset animo; at offensus tumultuabatur. In quibusdam domibus putabant dominari Larem masculum, in aliis foeminam; cur vero monoculum esse perhibeant, nescio. Nomen a Svecis mutuatum, suspicandi praebet ansam, hunc larem Papismi forte tempore primum nostris innotuisse; quibus ejus loco, hactenus, prius tantum illud genus cultum fuisse videtur, scil. Huonen-Halbia, *custos* nempe s. *praeses domus*.

III. Maahiset. Hi erant iidem, qui Svecorum Elfwor et Venedorum *Barstucci*, Germanorumque Erdmängen, seu homunculi subterranei, qui certis in locis, sub arboribus, lapidibus, et domuum liminibus, hospitari creduntur. Horum favorem variis captare muneribus fuit necesse. Quoties cerevisia coquebatur, vel panis pinsebatur, his primitiae debebantur. In conviviis et festis nefas erit eorum oblivisci. Si felicem rei pecuariae successum materfamilias exoptabat, lactis participes hos fieri oportebat. Qui in novam domum commigrabat, ante omnia, quando primum illam intrabat, debuit incurvare se ad omnes angulos, et salutare hos incolas subterrestres, si in illa domo salvus et incolumis degere cuperet, et litare illis sale, zytho et pane. Si quis urina mittenda aut alio profanationis genere conspurcabat domicilium eorum; ut impune id laturas essent, timere debuit, morbis vel alio infortunio tale crimen luiturus. Lappo quoque sub focum suum, vel limen tentorii, tales degere credit. Adeo ut mirum sit, tot gentes in futilibus stultisque his nugis adoptandis consensisse.

IV. Capeet, fuere ejusmodi maligni daemones, qui cuncta voracitate sua consumebant, remque familiarem in arctum redigebant. Unde verbum kapenbua significat coarctari. Sed non modo hominibus hi noxii erant, verum ipsam Lunam aggredi audebant; unde ecclipses ejus oriri credebantur, ac remansit hodieque phrasis kuuta ſyöbän, *Luna exeditur*, h. e. *deliquium patitur*. Hinc timor ridiculus; non secus ac Sinensibus, quos solem et lunam, a dracone quodam coelesti ecclipsis tempore consumi, credere ajunt. Haud sapientius Graeci olim et Romani ecclipses ex veneficarum

vi oriri putabant, quae cantu suo lunam coelo deducerent, quamque tinnitu aeris juvari posse credebant. *Kapeet* hos, piscaturae etiam deditos fuisse, plura carminum loca indicant; sic alicubi dicitur Kapeet kalalle läri, *Kapeet piscatum proficiscebantur*, et alio loco mentio fit *tractus aquae ubi piscatum Kapeet exercebant*, Kapeen kala weſi: victu opus habuisse largo, ob voracitatem sc. suam, videntur. A Deo autem *Kapet* l. *Kaveh*, supra commemorato, benefico, diversi omnino fuisse videntur!

V. Menningäiset, erant aliud genus daemonum et spectrorum, qui in montibus, locisque solitariis agere putabantur, hominesque terrere. [Juslenius in *Lex. Fenn.* hoc vocabulum interpretatur *manes*, böbas ſjälar, jordſpöken. Agricola autem, carmine saepe commemorato, viduis inprimis cultos docet; de Careliis canens: Menningäiſet mös heiden wffrins ſait, Koſka leſket hoolit ja nait, h. e. *Menningäiset etiam sacrificia eorum obtinuerunt, Cum viduae* (et *vidui*) *lugerent et nuptias facerent.*]

VI. Paara, Sveth. Bjäran, est daemon factitius, quem veneficae ipsae creare putantur, et ad ferendum lac et butyrum cogere. Etiam has nugas, Svecis nostros debuisse, nomen ipsum indicare videtur; Papismi igitur forte aetate, apud nos haud superiores. Modus construendi hujusmodi animalis talis dicitur esse: Caput formant ex infantis galero, qui variis et multicoloribus laciniis oppletur, in quo conditur etiam hostia, ab aniculis in Sacra Synaxi ore accepta, cujus sc. ope vitam ipsi daturae sunt. Stomachus ex linteo tegumento capitis foeminarum fit; qui stupa farcitur. Huic tres fusos l. rhombos (ſländor) divergentes adfigunt. Quo facto, opus hocce praeclarum portatur ad vestibulum templi, summo mane diei cujusdam dominicae; ubi tenetur aliquantisper, deinde circumitur templum novies, identidem mussitando: Synny Paara! h. e. *nascere Paara*. Brevi post, vitam, scilicet, accipit, salitque tribus pedibus. Tunc ajunt ad ipsum:

Kanna woita, kanna maito,	Affer butyrum, affer lac,
Tuo woita wuoren eucko,	Affer butyrum, montis avia (anus).

Piimää pirun emänbä!	Lac concretum uxor diaboli!
Pääſtä piimen pinbeheſtä,	Libera lac-coagulatum ab angustiis,
Maibo happaman halluſta [2]).	Lac a dominio acidi.

Hujus possessor deinde abundare semper creditur lacte et butyro. Mucorem unctuosum flavum, *Linn. Flor. Sv.* N. 1282, statuunt esse hujus excrementum; et nugantur si quis talem virgis caedat, ac alternatim igne torqueat, ipsam cogi ut prodeat veneficam, et pro foetu suo oret.

VII. Painaja, Sveth. Maran, de qua natura malefica, eandem opinionem fovet vulgus Fennicum, quam Septentrionales populi reliqui; Cfr. ill. Suhm *om Odin* III B. 2 Cap. § 33, p. 288. Forte tamen a Svecis etiam hanc persvasionem nostrates acceperunt.

§ XII.

Auxilium, quod a Diis suis, majores nostri, tempore paganismi expetebant et sperabant, nequaquam fuit Spirituale aliquod bonum, ad salutem animae pertinens, de quibus rebus, utpote verbo Dei destituti, nullas sibi formare poterant ideas; sed totum spectabat commoda vitae praesentis: temporaliaque solum curantes, Deos suos colebant. In tam spissis autem superstitionis tenebris licet constituti, non tamen omni prorsus naturalis Theologiae luce caruisse censendi sunt. Habuisse aliquam, quamvis debilem, cognitionem de Numine quodam summo et omnipotente, videntur, auctore rerum omnium; quem in carminibus suis vocant Luoja et Kaikkiwalda, hoc est *Creatorem* et *omnipotentem*. Nisi quis loca carminum veterum, ubi hujusmodi voces occurrunt, post Christianismi tempora interpolata esse existimet; quod quidem pernegare haud conabimur. Notionem tamen aliquam de creatione mundi habuisse, atque omnium rerum initiis divinae potentiae adscribendis, etiam locus ille

---

[2]) In omnibus hujusmodi carminibus a nobis allatis, eam servavimus orthographiam, eamque dialectum, quam exempla nobis alicunde acquisita, praeferebant; quod saepe non sine incommodo, dialecto alia indui queant. Plurima dialectum Savonicam produnt; quod in ea Provincia maxime vigent.

de *Väinämoine* supra adductus § VI p. 62 indicare videtur, quem Deum aliud carmen vocat *Totius mundi opificem*, (qui *tundendo*, prout in officinis ferrariis fit, illum formaverit), *Aëris operculi* (coeli) *fabricatorem*, Kaiken maailman tekijä, Ilman kannen kalkuttaja. Verum, uti diximus, interpolationem nullam fuisse experta, praestare haud valemus. In eo vero maxime errarunt, quod hoc Numen oeconomiam universi, et curam praecipue hominum, delegasse certis ministris et spiritibus finitis, se inferioribus putarent, quales ipsorum Dii erant.

De *immortalitate animae* et *vita futura*, obscura quoque notione quadam gavisos fuisse, probabile est. Obscuram dico, quia multis superstitionis nugamentis circumsepta erat. Existimabant enim majores nostri vitam illam futuram similem esse huic praesenti; adeo ut quibus negotiis occupati fuerant in hac vita homines, iisdem etiam in futura addictos fore, putarent; victu et amictu ibi opus fore aeque ac in hac; conjugio aliisque carnis oblectamentis locum esse, etc. Hinc in *regno* illo *mortis*, Tuonela, eadem omnia atque in terra, carmina docent adfuisse: mentio fit, non modo *piscium mortis regni*, Tuonen Hauki ꝛc. sed etiam *hordei ibi crescentis*, Tuonen otra l. ohra. Cfr. quae supra de Peijaiset et Peijaiset diximus, § X not. [1]). Hinc est, quod defunctis arcum et sagittas, arma et solita utensilia, ajunt, in sepulcro, ad caput reposuisse, atque ipsis cibum et potum obtulisse [1]); quod animos eorum iis locis delectari post mortem, in quibus vivi maxime commorabantur, autumabant; quod Thesauros suos, ubicunque reconditos, identidem visitare perhibebant. Qualibus fabellis adhuc vulgus delectatur ubique, et quarum nullus finis est, si aures iis audiendis adhibeas.

---

[1]) AGRICOLA carmine saepe citato: Cooluben hautiin rocca wietin, Joisja walitin, parghutin ja ibletin, h. e. *Mortuorum sepulcris cibum intulerunt, In quibus querebantur, lamentabantur et plorabant.* Cujus moris reliquiis forte debetur ritus Fennorum Graecae religioni addictorum, qui adhuc praeficarum opera et naeniis (itku-runot) in funeribus celebrandis utuntur.

SECTIO POSTERIOR

De

Superstitione Veterum Fennorum Practica.

§ XIII.

Lustrata sic qualitercunque superstitione nostratium in Ethnicismo Theoretica, jam ad vim considerandam, quam in praxin habuit, nosmet conferre, ratio instituti nos jubet.

Verbo monuimus § II, *superstitionem practicam* nasci ex Theoretica, et consistere in ejusmodi actionibus, quibus honorem quendam et cultum Diis suis et Daemonibus praestabant veteres, quo varios sibi praestitutos fines opera eorum attingere potis essent, vel ad suum suorumque commodum, vel damnum aliorum, quibus male volebant, tendentes.

Duo ergo superstitio practica spectabat, cultum videlicet et officia Diis Daemonibusve praestanda, et fructus inde speratos, sive quos illorum opera sese percepturos vani homines exspectabant. Quae momenta jam curatius erunt consideranda.

§ XIV.

Ad cultum Deorum, quod attinet, constitit ille in *Laudibus*, quas Diis suis decantabant, ac in *Precatiunculis* ad eos fusis. Nescio quem rectorem, (Halbia), intelligat is, qui in carmine quodam vetusto sic canit:

Jumalani Jukkeroinen,	Mi Deus jucunde,
Halbiani Ketteroinen,	Mi rector robuste,
Kanne Mieſtä kaiken päiwän,	Porta virum tota die,
Heitä illalla rikoille. h. e.	Projice vespere in stramenta, (sc. ad quietem).

Blanditiis porro ad ipsos usi sunt. Quarum omnium rerum, supra quaedam exempla adduximus.

Gestibus praeterea *submissis* eos ven
nua procidentes, locis iis sacris, aut ubi
turi, caput denudantes, corpus incurva
sternentes. Saltem his ritibus adhu
superstitiosi, venerantur.

Sacrificiis tandem variis et
bant. Cujus rei vestigia adhuc
stitiosorum ritibus supersunt:
more acus etc. in fontes sac
quo die primum pecora i
ad sacras arbores effund
tiis offerendis colunt;
dam etiam festo S.
dunt; in votis deni
vetusta exhibent. ..., nobis
canit, expeditione ..., quod panem
suscepturus, *Ta* augendam confectum,
lum gallinacen ... per totam hiemem in gra-
videtur) sole ... condendum, quo die primam
lille, h. e. ... instituunt, comedendum familiae di-
more etia ... quibusdam interdum caerimoniis et obla-
perstitio ... ad annonam prosperandam: unde Toulo
De riti ... *sementivus*, vocatur.
stroru ... *Köyri*, l. *Kekri*, post trituram. Quod festum mul-
de J ... adhuc locis Finlandiae, hoc nomine celebratur; aliis au-
ma ... appellatur *Lakaiset* vel *Rundu*. Latine *Palearia* dixe-
s ... quia paleas, cum stipulis et stramentis tunc commi-
nuunt. Papismi tempore, cum festo Omnium Sanctorum in
unum coaluisse, supra monuimus (p. 60). Ob annonae au-
tem felicem proventum celebratum fuisse, vel illud indicio
est, quod puls ex novo frumento cocta, primarium in hoc
festo ferculum censetur: quod Savones ex farina avenae (l.
hordei), coctae primum ac salitae, deinde vero tostae, Tal-
funa, praeparant. Compotatione et commissatione ludicra-
que hilaritate, haec peracta fuisse, quivis facile novit, qui
rationem festorum apud alios Gentiles, Graecorum Romano-

In adversa vero fortuna, non aeque bene majoribus nostris cum Diis suis conveniebat; quos non raro objurgasse dicuntur et male habuisse, alio tempore iterum cum iis in gratiam redeuntes: quomodo multae gentes barbarae facere solent, ac Russos quoque erga icones sanctorum suorum se gessisse, notum est. In carmine venatorio, modeste tamen satis, de sylvae Domina, (vid. supra p. 72) benefica interdum, interdum dura, ita canit vates:

Mieleſtä Metän Emännän,	Ad placitum sylvae-matris-familias,
Uſein hywän Emännän:	Saepe bonae matris-familias:
Sormet kulta ſormuriſſa,	Digiti sui aureis ornantur annulis.
Käet kulta käärehiſſä;	Manus aureis armillis;
Jotk' on ſuonut annillahan:	Quas largita est muneri:
Uſein pahan Emännän;	Saepe malae matris familias;
Sormet wihta ſormuriſſa,	Digitorum virgei annuli,
Käet wihtä kääreiſſä,	Manuum virgeae armillae,
Aina auttamattueſſa.	Usque auxilium negantium.

In superstitione hac sua, fuisse ferventes et obstinatos, difficultas testatur, eandem etiam post Christianam religionem introductam, compescendi et eradicandi: quamquam haec difficultas inde major etiam evasit, quod majores nostri convertendi, non de priscae superstitionis vanitate novaeque religionis praestantia, studiose edocerentur, sed adhibita vi ad sacra sibi fere ignota amplectenda, pro infelici temporis more, compellerentur. Hinc enim factum, ut occulte venerari veterem superstitionem, et eandem ad posteros religiose propagare, quamvis publice cultum Christianum professi, pergerent; quae ex ipsa hac arcani disciplina, pretium etiam majus accepit, ut post sapientiorem quoque initam rationem, (maxime post reformationem ecclesiae nostrae) tamen sine magno labore sensim eliminari, non potuerit. Cum suscepta autem nova fide, veteres de diis suis persvasiones conciliare et confundere, gens rudis et male instituta, brevi coepit, deosque majorum Christo atque matri ejus, (quam Papistica stultitia ipsi Deo aequare, cultuque religiosissimo prosequi docuit) associare, ut amicos, socios, et ministros, instituit. Unde absurdus ille Syncretis-

mus, qui in plerisque regnat veterum carminum reliquiis: cujus quaedam in exemplis etiam supra allatis indicia habentur, v. g. in carmine de *Tapióne* p. 58 exhibito; quem a Christo ajunt baptizatum, hoc est, hac caerimonia quasi inauguratum et praesidem sylvae factum: Sinun on Riſtus riſtiinuhnnä, Kaickiwalda kaſtanunna, Keſkellän metzän kehoa.

§ XV.

Festa quoque quaedam in honorem Deorum suorum majores olim celebrasse constat, ex quibus haec inprimis ad memoriam nostram pervenere. Scilicet:

I. *Festum Ucconis*, post factam sementem vernalem: cujus notitiam verbis supra a nobis adductis, (p. 53 not [1]) exhibet AGRICOLA. Vestigia ejus hodie superesse, nobis non constat; nisi aliquis huc referre voluerit, quod panem grandem, ad celebritatem festi Julii augendam confectum, tum autem haud frangendum, sed per totam hiemem in granario intra frumenti acervum condendum, quo die primam sementem vere facere instituunt, comedendum familiae distribuant, arcanis quibusdam interdum caerimoniis et oblationibus adjunctis, ad annonam prosperandam: unde Touko Leipä, *panis sementivus*, vocatur.

II. *Köyri*, l. *Kekri*, post trituram. Quod festum multis adhuc locis Finlandiae, hoc nomine celebratur; aliis autem appellatur *Lakaiset* vel *Rundu*. Latine *Palearia* dixeris; quia paleas, cum stipulis et stramentis tunc comminuunt. Papismi tempore, cum festo Omnium Sanctorum in unum coaluisse, supra monuimus (p. 60). Ob annonae autem felicem proventum celebratum fuisse, vel illud indicio est, quod puls ex novo frumento cocta, primarium in hoc festo ferculum censetur: quod Savones ex farina avenae (l. hordei), coctae primum ac salitae, deinde vero tostae, Talkuna, praeparant. Compotatione et commissatione ludicraque hilaritate, haec peracta fuisse, quivis facile novit, qui rationem festorum apud alios Gentiles, Graecorum Romano-

rumque Bacchanalia et Lupercalia etc. sibi habent perspecta. Cfr. etiam testimonium AGRICOLAE supra allatum.

III. *Vuoden Alkajaiset*, seu festum ineuntis anni, apud Cajanenses; quod ex reliquiis superstitionis priscae adhuc usitatum, describit D:n CASTREEN in Diss. cit. de *Territorio Cajaneburgensi p. 76 sq.*

IV. *Festum S. Olai;* quod, licet Papismi tempore ad hunc praecipue diem translatum sit, ex gentilismo tamen natales repetere, ipsa caerimonia indicat agni illius sacri mactandi et comedendi, quae hoc festo observatur, descripta locis supra (p. 60) a nobis laudatis. Ad fortunandam rem pecuariam, comparatum fuisse videtur; quare etiam a foenisecio hoc die abstinendum fuit, ne ab urso pecora infestarentur.

V. *Festum S. Michaëlis;* quod multis adhuc locis simili fere solennitate a superstitiosis celebratur, agnoque, haedo aut vitulo mactando et comedendo, ritibus iisdem peragitur. Festum fuisse eucharisticum ob feliciter auctam rem pecuariam, dubio caret; quare etiam omne pecus hoc die stabulis continent, variosque stultos ritus, ad mala quaevis per sequentem hyemem ab iis arcenda, observant, qui paternae superstitioni tenacius adhaerent. Dies autem quod hic praecipue delectus sit, quo haec sacra fierent, ex papismo est; quem, familiari majoribus syncretismo, cum avita superstitione in concordiam redigere studebant. In omnibus his epulis eum observant morem, ut victima tota assetur et comedatur, nihil reliqui conservetur, nullum os frangatur: quare communem majoribus sacrificantibus fuisse ritum colligas, nec ad unam magis quam alias caerimonias et solennitates sacras pertinentem.

An *Templa* habuerint olim Fenni nostri et *Altaria?* hic quoque paucis dispiciendum nobis venit. Vestigia quidem harum rerum nulla supersunt, neque nomen exstat domesticum; neque etiam probabile est, nationem paucis contentam, his omnino opus esse putasse. Diximus supra, ad Orientalium morem accessisse priscorum Fennorum religionem. Inter orientales vero, Persae pluresque aliae gentes

templis caruerunt [1]), ac in montibus, lucis, sub arboribus, etc. diis suis sacrificavere. De Germanis veteribus, ex TACITI testimonio, infra adferendo, idem constat; ac etiam ex testimonio ADAMI BREMENSIS de Saxonibus, ad tempora usque Caroli Magni. Quod de nostratibus non minus valet. Exstant autem hic inde apud nos in summis montium jugis lapides magni, tales tamen, qui virtute humana moveri potuere, in ordinem dispositi, forma plerumque quadrangulari, seu ad modum litterae u latinorum, latere uno aperto. In his existimare quis possit incolas terrae nostrae priscos conventus suos sacros et etiam civiles egisse, atque (quod de *amplis circulis e lapidibus constructis*, in montibusque paroeciae Tavastensis *Hauho* obviis, populari ibi fama traditur) variis ludis sese exercuisse. Vid. Disp. Spect. D:ni HERKEPAEI de *Paroecia Hauho*, An. 1756 hic Aboae Svetice edita, p. 55. Tales conspiciuntur ad *Bålstaholm* in paroecia Finström Ålandiae, in *Eraepyhä* paroeciae Orihvesi, ad Fulckila paroeciae Uskela, ad *Voipala* paroeciae Säxmäki etc. Item in Savolaxiae paroecia Cuopio (vid. *Novell. Ab. pro A:o* 1771. *N.* 16 *pag.* 126), aliisque Finlandiae locis. Convenit mos veterum Britannorum, quorum etiam templa talia fuisse autumant, non clausa, sed aperta, et lapidibus circumsepta; qualia visuntur ad *Stoneheng, Abury*, etc. [2]). Quod ex templo Jumalae Biarmiorum contra nostram opinionem desumi possit argumentum, supra jam, pag. 47 infirmavimus. Nec effigies aliquas deorum suorum majores nostros formasse aut habuisse, comperimus; (ubi videlicet a naturalibus rebus recesseris, quas aut ut deorum sedes

[1]) CICERO *de leg.* L. II. C. X. Magis auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset et domus.

[2]) Vocabula nonnulla linguae Anglicae, quae reliquiae esse Britannicae veteris videntur, cum Fennicis convenire, observavimus. Ex. gr. *Cock*, gallus gallinaceus, Fen. Kuko; *Woman* mulier Fen. Waimo: quae comparatio institui diligentius poterit, cum novum Lexicon Galicum s. Scoticum ad nostras manus pervenerit.

ac symbola, aut ut ipsas divinitatis alicujus participes, venerabantur); sed ut naturas invisibiles, subinde licet sub humana forma apparentes, coluisse videntur. Adeo ut prorsus ad eos quadrent verba TACITI de veteribus Germanis: *Nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. Lucos et nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident*, l. c. C. IX.

§ XVI.

Flamines quoque Sacros, seu Mystas, Deorum cultui peculiariter dicatos, Fenni veteres ignorarunt. Nec est in lingua nostra patria nomen indigenum, quo Sacerdos designetur. Nam Pappi vel a Russico *Pop* vel a Latinorum *Papa* ortum habet. Interim tamen adfuerunt alii superstitionis vel Magistri vel Ministri, loco flaminum ab ipsis culti, quos appellabant Tietäjät vel Jndomiehet, hoc est *Scientes* l. *Magos*, qui putabantur plus scire quam alii homines, et Deorum peculiari favore frui. Si quid furto ablatum fuit, si damnum clam acceptum, si aliquid deperditum, si equus, aut aliud animal domesticum aberravit, si commorationem hostis aut amici ignotam rescire e re fuit, si quis exitum propositi sui, vel rei alicujus gravis cognoscere cupiit; ad hos tanquam oracula confugiebatur, qui statim ad ejusmodi quaestiones responsa dabant. Et sane, si ex umbra corpus metiendum, scientiam humana sorte longe superiorem hi profitebantur, nostrique aevi Philosophos omnes longe superasse videri debent.

Hi fuere simul gentis *Medici;* sed a nostris Medicis admodum diversi. Non enim illis opus fuit aegrum videre, aut cum eo loqui; nec morbum, quo laborabat sibi describi volebant. Si aliquid modo vestimentorum aegri, femoralia, tibialia, tunica, indusium, aut tale quid, ipsis tradebatur, id versando, serutando et intuendo aliquantisper, ipsi mox indicabant morbum, et unde ortum haberet, aut quis eum intulisset, (nam plerique malorum hominum

artibus adscribebantur) et quo remedio curandus esset. Remedia autem eorum raro fuere naturalia, aut quae in pharmacopoliis reperias. Quod ex consiliis colligi potest, quae successores sui hodieque dare petentibus solent. Ex illorum enim praescripto debet aeger vel bibere ex amne versus septentrionem decurrente, et vas quo bibit retrorsum post tergum super humeros suos abjicere, vel ex cadavere hominis aliquid decerpere, vel clam, omnibusque insciis, summo mane, motu solis cursui contrario, circumire templum, aut aedem bis terve loco motam, vel muneribus placare genios subterraneos, quos forte offendisse putant; vel simile quid suscipere. Si interdum remediis naturalibus, unguentis, emplastris, herbis et radicibus utuntur, carmina vel lectiones incantatorias, super iis mussitant, efficaciam iis sic addituri. Si aegrotus queritur se ex his omnibus rebus nullam fuisse opem expertum, culpa conjicitur non in malam diaetam, cibum incommodum, perfrictionem corporis, quae omnia nil nocere putantur; sed inde arcessitur, quod fortem genium adversarium, qui resistat sanationi ejus, vel alium inimicum habeat, vel quod consilium datum rite non sit executus, vel quod acus, bacilli, aliaeque ejusmodi res, quibus est incantatus, non sint locis suis exemti, etc.

Hi impostores simul *Magi* sunt, qui ad opem *socii sui*, mali genii, provocant, multasque malas artes, adhibitis veneficiis, ossibus et craniis humanis, susceptis infanticidiis, aliisque exsecrabilibus rationibus exercuisse olim, dicuntur; quales apud omnes gentes, etiam eas, quae nullo invicem commercio junctae erant, reperti sunt; quos Lappo jure, *Pärkel Gadse*, hoc est diabolorum commilitones appellare dicitur. Hi inscitiam suam gravi supercilio, vita severa, pauciloquio, murmure incondito, velabant; responsa eorum fuere ambigua et obscura, loquebantur non cohaerentia, quasi ab alio cum ipsis colloquente interpellarentur. In medendo ita se gerebant, quasi malum daemonem ex aegroto ejicere vellent, gestibus horridis, vociferando, exspuendo, furiosorum et fanaticorum instar, ad majorem sibi conciliandam auctoritatem et fidem. Plura de hisce hominibus eo-

rumque carminibus habet *Dn. Praeses* in Dissertatione *de Poësi Fennica* part. IV et V. Atque tales nebulones, ut jam innuimus, reperire adhuc licet hic ibi inter rudem plebeculam; ad quos consulendos, saepe longis proficiscuntur itineribus, et ab his misere decipiuntur. Inter Cingaros et errones alios, talium copia invenitur, qui se fingunt vates et fatidicos, hominesque minis suis, nisi bene habentur, terrent. Pudor est Christianismi, in tam clara luce verbi divini, homines eo dementiae procedere ut Deo ejusque verbo et ordine neglecto, ad homines confugiant de quibus nesciunt, utrum atri an albi sint, vel utrum ope Dei an diaboli nitantur. Sed tamen, si quis adminiculis ordinariis et naturalibus fatuos hos juvat, raro gratiam habent. Si vero casu quodam, nam artes eorum nil sunt nisi imposturae, quis a Magis opem expertus fuit, miris in coelum laudibus hi fratres ignorantiae evehuntur, et omnibus artis medicae consultis praeferuntur.

§ XVII.

Jam fines quoque et adminicula quibus superstitiosi ad optata quaevis, Deorum et daemonum opera, consequenda utuntur, considerare nos oportet. Utraque, tam fines nempe quam adminicula horum hominum, naturalem modum supergressa, a norma rectae rationis, nimium quantum aberrant. Communiter autem vel fortunam commodaque sua amicorumve promovere, vel damna inimicis inferre ac ab his illata propulsare, satagunt. *Superstitionis* igitur *practicae* hoc caput in duos abit velut ramos, *magiam* videlicet *beneficam* et *maleficam*. *Beneficam* vocamus illam, qua commoda sua vel Amicorum, praeternaturalibus adjumentis promovere student. *Malefica* autem involvit studium, ad damna aliis his artibus inferenda intentum. Utriusque descriptionem, qualis olim apud Fennos exstitit, dare jam studebimus. Superstitionis, Magiam beneficam respicientis, haec sunt genera.

Primum *Divinatio*, Fennice Teibon teino. Omnes gentes verbo Dei destitutae, salutisque spiritualis et aeternae quaerendae nesciae, ac temporalia tantum bona curantes, in-

sano ferebantur studio fata sua futura resque abstrusas scrutandi, exitumque coeptorum suorum etc. praenoscendi. Ideo in nationibus cunctis reperti sunt *Vates* et *Oracula*, quorum ope talem scientiam obtineri posse autumabant. Quo nomine etiam Deos suos, eorumque sacerdotes, maxime coluerunt; sc. ut beneficio ipsorum talia cognoscere quirent, quae sibi scitu necessaria esse putarent. Atque haec stultitia adeo altas egit radices, ut nec hodie e Christianismo exstirpari plane potuerit. Praecipue vero Fennorum hi scientiae magistri, Tietäjät, duobus utebantur divinandi adminiculis. Unum erat *Scyphus* vel *Phiala*, aqua, et nuperiore aevo, vino combusto repleta. Hujus fundo et operculo extus infigebantur duo cultri, quorum ope, ita tamen ut non verteretur, circa axin quasi rotabatur quam citissime, adjuncta mussitatione certorum carminum, donec aqua, vel spiritus frumenti ebulliret, quo facto in spuma evanescente se videre putabant eventus rerum futuros, aegrorum convalescentiam, vel mortem, faciem furis, si de furto quaestio erat, aliaque similia. Ab hac stultitia non multum abludit *Caffeomantia* quorundam hodierna. Alterum erat pars quaedam *vestimentorum* aegri, de cujus morbo consulebatur, indusium, femoralia, tunica aut tale quid; ex quo considerato, Magus de natura morbi, quo vestimenti laborabat possessor, judicabat.

Pertinent huc etiam *Omina*, *Sortilegia*, atque *Dierum delectus*.

Omina, Fennis Hawet, quasi praesagia rerum futurarum, capiebantur a rebus variis obviis et fortuitis. Aurium tinnitus, novas res auditum iri portendebat; occursus vetulae, offensio pedis contra limen, lapsus ex equo, pro malis ominibus habebantur; Graculorum strepitus, felis clamor, gallorum cantus, titillationes genarum et menti, adventum hospitum significabant. Mortis praesagia varia fuere, crepitus quem in pariete edit *Thermes Pulsatorium*, canum et bubonum ululatus, crux ex straminibus vel frustulis ligneis ante fores jacens. De procis et nuptiis sumebantur praesagia, a glaciei fragmentis vernis, eorumque appulsu ad lit-

tus hujus vel illius pagi, a scopis e fronde nova compositis et in tectum balnei projectis, similibusque frivolis casibus. Imo puellae nupturientes, faciem proci futuri se visuras putabant, in rivo manante, si nocte festum Johannis Baptistae antecedente, omnibus insciis, attente illum inspicerent. Plures tales nugas piget narrare.

Sortilegia exstantiora, Fennis Arpa, duplicis generis in usu fuere. Unum per *Cribrum*, quod quidam hoc modo instituunt. Forficem, qua tondentur oves, infigunt margini cribri, cujus interiori ac inferiori simul parti imponitur annulus copulatorius, et penicillus setaceus (Borſte) erectus; quo facto, unus immittit digitum indicem in manubrium forficis, et manu exporrecta sustinent hanc molem. Consultor deinde, qui vult rescire auctorem damni sibi illati, sive ille sit fur, sive incendiarius, sive homicida, sive alius sceleris auctor, enumerat omnes, quos maleficii hujus habet suspectos. Si inciderit in nocentem, cribrum se sponte scil. convertet, sicque eum indicabit. Alio vero modo alii hoc experimentum instituunt, sic: Sumitur forfex sartorius et infigitur margini exteriori cribri, continentis glomum laneum, forficem ovinam, setam, annulum copulatorium, et librum psalmorum; dein duo ex adverso, immisso in manubrium forficis digito indice, suspensum tenent cribrum perpendiculariter. Dum alteruter, vel tertius quis, nominat aliquem maleficii suspectum ejus de quo quaeritur, alter ei contradicit, negando eum patrasse: cum sic pluribus conjectando numeratis, inciditur in noxium, cribrum conversione sua quaestionem decidet; quo facto, non dubitant quin ille sit maleficii auctor, ad cujus nomen cribrum se vertit. Sed non modo de maleficiis sic sorte inquirunt, verum de aliis quoque rebus occultis, de conjugio aut itinere, an prosperum sit futurum, de equo vel bove deperdito, ubi inveniri queat, an erraverit, vel furto ablatus sit, aliisque rebus scitu necessariis. Cfr. de hacce κοσκινομαντεια Moman l. c. p. 55 sq. et Wirus de Praest. Daemon. L. II, C. XII.

Alterum genus *sortilegii* nostris usitatum, tale fuit. Ex Assulis ligneis cultro elaboratis, conficiebant pinnulas plu-

sano ferebantur studio fata sua fut[illegible] vel charac-
scrutandi, exitumque coeptorum su[illegible] revetum; quo
Ideo in nationibus cunctis reper[illegible] anu, conjecta-
quorum ope talem scientiam [illegible] piscatura, ubi
Quo nomine etiam Deos suos, [illegible] Haud absimile
coluerunt; sc. ut beneficio iv[illegible] *ivinatorium*, quod
quae sibi scitu necessaria e[illegible] quibus judicabant
adeo altas egit radices, [illegible] piscatum, vel aliud
pari plane potuerit. F[illegible] m certitudine hujusmodi
magistri, Tietäjät, d[illegible] *r tessellarius*, vulgo Raſtbeter,
Unum erat *Scyph*[illegible] manibus, aut ludicro aut impio
vino combusto [illegible]
figebantur duo [illegible] *tui* non secus Fenni veteres tam in eth-
retur, circa [illegible] papismo, ac aliae gentes dediti fuerunt. Ha-
mussitatio[illegible] *dies* fastos et nefastos. Hi atro carbone no-
frumenti [illegible] tamquam infausti ad certa negotia peragenda, ip-
putab[illegible] pāiwāt, hoc est *dies invidi* dicti. Tales erant
vel [illegible] *tühjä päiwät*, hoc est *dies vacui*, scilicet cum luna non con-
sir[illegible] *spiceretur*, quales sunt ultimi lunae decrescentis et primi
[illegible] *accrescentis*. His seminare vel agrum stercorare, non erat
auctum. Kuiwat pāiwāt, *dies aridi*, sunt quartus, quintus et
sextus lunae accrescentis, qui agricolis non adeo probati.
Tuulen pāiwā, *dies venti*, est secundus Januarii, quo non li-
cebat ignem accendere, vel focum struere, metu incendii
proxima aestate orituri. *Dies lunae* non putabatur nuptiis
celebrandis idoneus; nec *Dies Jovis*, praecipue sub vespe-
rum, commodus ad nendum; unde scil. periculum ovibus
timendum erat.

§ XVIII.

Secunda species magiae beneficae est *Averruncatio* et *Obfirmatio*, Fennis Lumous. Persvadebant enim sibi magi, sese obdurare semet artibus suis posse, adversus damna et mala ab aliis intentata, eademque valere a se suisque averruncare et avertere. Sic carminibus *Corpus* suum *invulnerabile reddere* conabantur, ac adversus tela quaecunque te



...s exemplum, carmen in suo genere sane
...mus, ni paginarum angustia prohibe-
...t magicas artes aliorum, chalybe,
foetida), nec non induendis in-
...e muniebant. Si turbo ipsis
..., existimantes lamiam vel
... firmabant adversus in-
... variis unctionibus; praeci-
... ungendo, simul hos versus ca-

In lapides convertimini meae propriae
(sc. pecudes),
...ieni; In petram pulchellulae;
...un foſtemaſta, Prohibeo vos lingua adoriendas,
...loin rupeamaſta. h. e. Oreque secure tangendas.

Domos suas, ab igne conservabant lapide fulminali, et cruce, calce parieti extus ex adverso foci, adpicta. *Plaustra* et *Vecturas* tutas a furibus praestare studebant cranio et ossibus humanis in fundo rhedae occultatis. *In foro* feliciter litigare censebantur, qui portabant lapillos rotundos, quos corvinos, serpentinos vel aquilinos vocant, alicubi in vestibus reconditos. Talis legisperitus invincibilis appellari adhuc solet Lain lumoja, h. e. Legis vel judicii *sopitor* l. *hebetator*.

Referri huc etiam debent *Adjurationes* animalium et elementorum noxiorum, *Ablegationes* malorum, *Praemunitiones* et *Retorsiones* pravarum artium in suos auctores, nec non *Restitutiones* laesorum in integrum.

Adjuratione sua adhuc tentant superstitiosi, ut olim, cohibere vim elementorum, ne damnum inferant; ut ignem, ne serpat longius, ventos, ne vehementi flatu perdant navigantes, etc. Visi quoque sunt, qui ignitis carbonibus versus boream projectis, additis diris, ejus vim compescere conarentur. Animalia quoque noxia adjurant ne noceant. Sic *Mures* obsecrant, ne strues sylvestres segetis demessae (Säbesſtadar) nimium rodant; collocato in medio earum lapide, sic eos alloquentes.

Täſ' on paaſi, pitkähändä,	Hic habes lapidem, caudate,
Suuruxexi ſulle ſuotu,	Concessum tibi jentaculo,
Murkinaxi mukamaxi!	Prandio quale vides!
Pure tuota pannahainen,	Morde eum nebulo,
Kalwa tätä kinnahainen;	Rode eum exose;
Täſä pitkäſä iſäſä,	Per hoc aevum longum,
Minun päiwäkunniſani,	Cunctis meis diebus,
Älä kaje Aumahani!	Ne acervum (segetis) meum tangas!

Phalaena Tinea, *Dermestes* etc. insecta sunt oeconomis molesta, quia larvae suae vestes et carnes corrumpunt; adversus has habent Koin Sanat, hoc est *verba Tineae*, quibus noxam inde metuendam tollere se posse, autumant. Talia vero sunt, interpolata recentius, ut cuique facile patet:

Jeſus käwi tietä myöden;	Jesus viam calcavit;
Tuli händä koi waſtan.	Occurrit ipsi tinea.
Jeſus ſanoi koille kowaſti:	Jesus tineae severe dixit:
Mihingäs menet matoinen?	Quorsum tendis vermicule?
Menen tuonne luuta ſyömään,	Vado illuc, ossa rosum,
Lihaa menen mädättämään.	Vado carnem putrefactum,
Mene tuonne kiwen alla,	Ito illuc sub lapidem,
Kidu ſiellä kinnahainen,	Cruciare ibi nequam,
Paru ſiellä pannahainen,	Plora ibi nebulo,
Täſä pitkäſä iſäſä,	Hoc aevo longo,
Minun päiwäkunniſani! h. e,	Cunctis meis diebus!

Ablegatione conantur ursos, morbos, et mala alia longe a se amicisque amovere et exulatum mittere. Et *Ursae* quidem ejusmodi consilium dant:

Metzän kulda, metzän kaunis,	Sylvae deliciae, sylvae decus,
Metzän ehkiä emändä,	Sylvae domina nobilis,
Mene poiſes täältä maalda,	Abi ex hac terra,
Pohjan pienderen perään!	Ad boreae ultimas oras!
Siell' on hieta hieputaxes,	Ibi est arena ubi ludas,
Sanda kaunis kaputaxes;	Sabulum laetum in quo volvaris;
Hawerra tuolla hywiſäs,	Mande ibi laetus,
Hawerra haawan lehtiſtä,	Mande populi folia,
Murtele muuriais peſiä,	Destrue formicarum nidos (acervos),
Kieri kiwen läätikköiſä,	Lapidum cavis te voluta.
Mutta jos tulet tälle maalle.	Sed si ad hanc terram accedis,
Wajot ſuohon ſuoliwyöſtä,	Mergeris in stagnum usque ad cingulum (mediam corporis partem).
Alhoon niſiſtä ſaacka, h. e.	In paludem usque ad mamillas.

Aliud ejusdem tenoris ad *Ursum Marem*, sic audit:

Metzän kullainen Kuningas,	Sylvae eximie rex,
Metzän ehtanen iſändä,	Sylvae domine nobilis,
Mehtoiſeni halliparta!	Sylvicola hirta-barba venerande!
Käyö mun kierten kallioſani,	Ambito meas rupes,
Kaarten karjan laitumita,	Circuito mea pascua,
Siwuze ſiko weräjän!	Praeterito suum vias!
Mene tuonne, kunga käſken,	Abi illuc, quorsum jubeo,
Pohjan penderen perään,	Ad boreae cardines,
Lapin maahan autiohon!	In Lapponiam desertam!
Siell' on kebot juoſtazeſi,	Ibi sunt campi quos percurras,
Sannat helkytelläzeſi,	Arenae in quibus ludas,
Siell' on luutoinda liihaa,	Ibi est caro ossibus vacua,
Siell' on päätöindä kalaa,	Ibi sunt pisces capite carentes, (h. e. toti edules).
Siell' on ämmä [1]) hirtettynä,	Ibi est vetula suspensa (in patibulo),
Siell' on hirwet kytkettynä,	Ibi sunt alces numella ligatae,
Jalopeurat [2]) jatkettuna.	Ibi cervi-nobiles conjugati.

Morbos quoque procul amandare volunt hujusmodi carmine:

Kunneka panen pahoja?	Quorsum removeo mala?
Tuonne tungen poiö turmiot,	Illuc trudo noxas,
Hiki ſyöpähän ſyſään,	Sudoris voratorem (tortorem, qui sudorem anxio exprimit), impello
Rutian koſteen kowahan,	In cataractam Rutiensem magnam [3]),
Haawin ſuuren hartioille,	In lucii magni humeros,
Loben pyrſtöhön punaiſen.	In salmonis rubram caudam.
Menetkö ſinne ſekahan?	Anne vadis illuc, ad caeterorum turbam?

---

[1]) In hoc vocabulo vitium inesse, facile existimare licet; pro quo autem alio irrepserit, prae exemplarium penuria, hoc carmen exhibentium, indicare nondum valemus.

[2]) Hac voce, Jalopeura, quasi *cervus-egregius* (l. *strenuus*), absurde admodum uti olim instituerunt Bibliorum interpretes etc. ad *Leonem* significandum; quem Lejona dicere debuissent, ac animal peregrinum peregrina voce, aliarum gentium Europaearum more, commode designare. Hoc loco Leonem non posse indicari, res ipsa sole clarius meridiano docet.

[3]) In quo fluvio hanc cataractam esse autument, non liquet; sed in Runis saepe ejus fit mentio, ut et quarundam aliarum, nec non *Lacus*, Aloen Järwi: de quibus non vacat disputare.

Täſ' on paaſi, pitkähändä,
Suuruŋeri ſulle ſuotu,
Murkinaŋi mukamaŋi!
Pure tuota pannahainen,
Kalwa tätä kinnahainen;
Täſä pitkäſä ijäſä,
Minun päiwäkunniſani,
Älä kaje Aumahani!

Hic habes [illegible] omicidae:
Concessu[illegible] phagorum,
Prandio [illegible] atiosam,
Mord[illegible] ilonis angulos.
Rod[illegible]
P[illegible]

[illegible], homines, equos et pe-
[illegible]hkä, Fennis dictus. Hunc
[illegible]epetitis mandatis, abire eum
[illegible] mittendo:

Noli tympanites tumultuari,
Noli inflatio murmurare;
Canis nobis duos peperit,
Masculos catulos ambo:
Hauri horum cordis sanguinem,
Repta super eorum hepar,
Noli dilectum meum infestare.

Phalaena Tinea, D
mis molesta, quia larv[illegible]
adversus has habent
bus noxam inde [illegible]
Talia vero sunt, [illegible]

Jeſus käwi tietä m[illegible]
Tuli händä koi m[illegible]
Jeſus ſanoi koi[illegible]
Mihingäs me[illegible]
Menen tuor[illegible]
Lihaa me[illegible]
Mene t[illegible]
Kidu[illegible]
Par[illegible]
Tä[illegible]
ſ[illegible]

Deus pari modo in felem et lupum mittere nituntur. *leve dolorem* partus a puerperis similiter auferre, et vel vi- *ris, vel animalibus* etiam aliis immittere se posse, sibi per- *suadent.*

Praemunitione caveri a se censebant posse insidias et *conamina* malorum hominum, qui artibus magicis ipsos lae- *dere attentarent.* Quod variis modis fiebat: signo crucis, *tibialium* inversione, nodorum quorundam formatione, donis *et sacrificiis*; et sic porro.

Retorsione existimabant se liberari ab illis damnis et *malis*, quae inimicus aliquis ipsis intulit. Hinc iu eorum capita et sinum retorquere nituntur, artis hujus magistri, ab *illis* accepta; unde certamen oritur inter ipsos, uter altero superior evadat. Sic *glomos ferales*, Fennis Tyrät, putant vulgo, ultro citroque mitti posse ab illis, qui scientiae magicae sint consulti. Ursum excitatum, etiam retro missuros se pollicentur in armenta alterius. Etc.

Restitutione laesorum in integrum, Fennis Palatus, nitebantur magi damna data resarcire, laesaque et amissa in pristinum illaesum statum revocare. Credebant unum posse resarcire id, quod alter laesit. Cogebant furem ablata red-

alicujus bombarda, mulctrale, nassa,
avatum, putabant similibus arti-
itiosis minus ac frivolis, quam
vulgus adhuc putat Hy-
mparata (Rior) magicis ar-
per trituram frumenti parum
et messe compleatur. Tale dam-
abietis, torrendos in hujusmodi hy-
ar frugum, et dein, more solito tritu-
ecuperabit domus pristinam integritatem.
us a marito est incantamentis abalienatus,
rursus incipiet, si hic ex calceo ejus aquam
tis bibat, et istum retrorsum super humeros abji-
Atque similes ineptiae plures.

§ XIX.

Tertia species magiae beneficae est *Fortunae Captatio*, Fennis Onnen tuominen. Superstitiosi homines, nunc ut olim, fortunam sibi faventem reddi posse artibus reconditis autumant, quibus multum igitur tribuunt. Sic fortunam aliorum ad se transferre student, ex ovili, bovili, stabulo et omni re pecuaria illorum, ut sibi melius succedat butyri praeparatio, ut lactis copia ac pecoris foecunditate augeantur, et sic porro. Consequi autem haec miris nituntur modis. Quidam tempore quadragesimali aliorum stabula et ovilia clam visitant, caudas equorum et jubas praecidunt, ovium certas partes tondent, boves radunt, vaccas ad sanguinem usque mulgent, cornua et lituos inflant mane Paschatos, qui sonus quam late auditur, ex tam amplo regionis tractu putant ad se omnem fortunam lactis, butyri etc. obtinendi, converti. Serpentes (Colub. natr.) qui in sterquiliniis nidulantur, ut et homunculos subterraneos venerantur, lac et butyrum ipsis apponentes; multaque ejus generis alia, quae ex reliquiis paganismi et papismi hic ibi supersunt adhuc apud plebem. Longa est enarratu fabula, quas artes, et quae carmina, vetulae et mulierculae adhibeant, dum

primo vere pecudes in pascua primum emittunt, ut sc. immunes maneant a feris, ne errent et dissipentur, ut domum vespere redeant, ut vaccae taurum admittant, ut vituli et agni laeto successu crescant ac multiplicentur, ut sagae et lamiae earumque artes averruncentur. Nescio quis etiam *Spiritus familiaris* recentiori aevo nostris innotuit, (quod nomen nec rite enuntiare valent Fenni, sed appellant eum Piritys), qui putatur afferre amicis suis divitias, pecuniam, aliaque bona, quem possidere multos ex ditioribus plebecula existimat. Verbo, nil negotii gravioris nominari potest, quod vacet superstitionibus, successum ejus promovendum spectantibus. Conjugium praecipue, cerevisiae et saponis smegmatisque coctio, pistura, piscatura, aliaque domestica munia, bene cedere haud putantur, nisi observatis observandis, certis videlicet anicularum commentis. Nullus nominari potest artifex vulgaris, qui suis olim careret ineptiis; sartor, sutor, faber, molitor, pistor, certis omnes ritibus domesticis sua peragebant munia. Castratorum praecipue, et eorum qui medicinae alicujus speciem profiterentur, carmina existunt et lectiones bene multae. Quin superstitio et magia priscis temporibus ipsa elementa et leges naturae ad sua obsequia cogere nitebatur, ac velut miracula edere; ad quae ignorantia et hominum credulitas stupebat. Existimabant nempe, magos, lapidi insidentes velut Scaphae, posse flumina et lacus transire, animam ipsorum carminibus et exsultatione, corpore solutam, posse proficisci ad exteras regiones, et intra aliquot horarum spatium inde afferre notitiam rerum, quae ibi agerentur; posse ipsos ex nodis antea adstrictis, solvere ventos secundos vel adversos, mitiores vel vehementiores; pares esse pluviis et tonitribus excitandis, imo lunae coelo auferendae; valere homines convertere in lupos, ac canes; et sic porro. Non secus ac illa de qua VIRGILIUS canit Libr. IV. *Aeneid.* v. 487 sqq.

Haec se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit, ast aliis duras immittere curas;
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro,

Nocturnosque ciet manes; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.

§ XX.

Sed *malefica* quoque superstitio et magia veterum Fennorum, qua nocere conabantur illis, quibus male cupiebant, nobis erit paucis consideranda. Genera ejus constituimus sequentia.

I. Primum est *Fascinatio* vel *Praestigiae*, Fennis Silmäin lääntäminen, hoc est *oculorum conversio* s. *delusio*. Instituunt enim malefici, suis incantamentis aliorum hominum sensus omnes, tam internos, quam externos, facultatesque cunctas corporis ac animi, adeo perturbare, ut non sint sui compotes, sed ut audiant, videant, sentiant ea, quibus prorsus fallantur, vel semet ipsos laedant.

Oculos praesertim variis praestigiis deludere volunt: ut ex. gr. baculum pro serpente, stramen pro trunco, folia pro nummo, stercus pro pane, hominem pro lupo vel cane habeant, et sic porro. Formas assumere se posse, hi olim dictitabant canum, catorum etc.; imo alios etiam transformare in lupos, ursos, et quae non?

Aures ita vel surditate afficere tentant, ut non audiat alter, quae sanas aures latere nequeant, vel adeo corrumpere, ut alia audiat, quam quae contingant, aut ea, quae nemo sanus audire potest, ex. gr. sermones et sonos musicos, ubi nulli sunt etc.

Linguam reddere conantur mutam, ut homo fari non possit, vel eam confundere, ut praeter rem loquatur falsa, absurda, et insana. *Phantasiam* turbare adeo nituntur, ut helluari et choreas ducere se alter stulte putet, cum sociis varii generis, qui non adsint, imo duci ad Pläkulla, (Hiiteen) vel locos et montes alios nefarios, ibique convivari cum patre inferorum ipso, vel his atque illis sagis, cum illis loqui, venerem exercere, et similia.

Imo *Mente* prorsus alienare alium instituunt, et efficere eum maniacum, vel phreneticum. *Facultatem libere sese mo-*

vendi constringere, vel plane auferre student: ut ex. gr. fur non possit abire cum rebus surreptis, vel ut cogatur mox ea restituere, nec a sarcina se expedire queat, nisi a possessore liberetur; ut intrans alterius novale rapis consitum, vel hortum, inde exire nequeat nisi dimittatur; quod opera cranii humani alicubi defossi, peragi ferunt.

Affectus omnes ciere posse pro lubitu, iidem existimantur, odia et inimicitias gignere, terrores incutere, amicitias conciliare, animos iratos lenire etc. In rebus matrimonialibus hujusmodi conatus triti sunt, quos referre piget. At non modo homines sic fascinari creduntur, sed alia quoque animalia: ut *Serpentes*, ne loco cedant, sed capi vel occidi se patiantur; *Mures* ne rodant; *Cimices*, ut super filum rubrum extensum domo exeant. *Feras* et speciatim *Ursos* in aliorum armenta immittere fascinationibus suis se valere, gloriantur. Quorsum sequens cantilena, auditu quidem horrenda, at effectu nugax, spectat:

Nouſe Karhu kangahaſta,	Surge Urse ex campis arenosis,
Hiedaſta hewoiſen ſyöjä,	Ex sabulosis desertis, equi esor,
Wiidaſta wihainen kiſa.	Ex fruteto, iracunde felis,
Korweſta kowera koura,	Ex eremo, curvis unguibus inclyte,
Karwahaßu halmehiſta,	Ex virgultis, hirsute,
Mullikoita murtamahan,	Ad opprimendos juvencos,
Waſikoita wainomahan,	Ad vitulos persequendos,
Hewoiſia haaſtamahan,	Ad equos devorandos,
Karjan lauma kaatamahan. h. e.	Ad armenta prosternenda etc.

II. *Veneficia*, noxae, laesiones et corruptelae variae, Fenn. Noitumus, sensu angustiore. Nam adeo immanes erant homines, suntque adhuc, ut artibus nefariis aliorum vitae, saluti et fortunis insidientur, nullumque adminiculum, finem tam sceleratum attingendi, modo clam et tuto fieri possit, turpe putent. *Vita*, qua nil homini carius, exposita erat venenatis eorum telis et artificiis, vel lentis vel citis. Fennis praecipue ad eum finem inserviebat Tyrä; quod malum describunt ut glomum, tam intenso dolore interiora cruciantem, ut mors certa sequatur. Hunc igitur in inimicos suos immittere conabantur. *Morbis* etiam illos vexare et plagis

aliis insanabilibus afficere se posse, jactabant; ut fieret hostis vel mente motus, vel melancholicus, vel paralyticus, vel caecus, claudus etc. Imo omnes morbos, ex malorum hominum technis oriri plerumque putabant, quos remediis similibus, tamquam antidotis, rectissime curari autumabant. *Conjugium* quoque alterius turbare et infelix reddere animo agitabant, illudque efficere vel sterile, vel liberis stolidis infaustum, vel rixosum, vel alio quocunque modo inauspicatum. Quin *mores* inimici depravare studebant, et ita eum incantare, ut fieret vel fur, vel latro, vel adulter, vel bibax, vel prodigus, vel alio modo vitiosus. Ut taceam innumera tentamina, quibus perdere aliorum bona et possessiones nitebantur, rem praecipue pecuariam aggredientes, ne abundanti prole augeretur, ne vituli essent vivaces, ac multum laborantes ut scabie et pediculis scaterent, ut nullo successu fruerentur, ut errabundi inciderent in pericula et feras, ut stabulum et bovile semper infortunio esset affectum etc. Tentabant etiam corrumpere varia utensilia, ut bombardam ne scopum feriret, neque feras vel aves necaret; vas butyro coagulando confectum, ut butyro materfamilias frustraretur; nassas et retia, ut pisces illa vitarent; horreum siccandis et triturandis segetibus destinatum, ne copiam frumenti ederet. Imo nil erat negotiorum domesticorum, quod a malis hominibus, eorumque sinistris oculis, periculo carere existimabant.

Quare sollicite cavebant, ne quis suspectus aut ignotus homuncio praesens esset, talia peragentibus. Si vero forte interveniebat, exeuntem cineribus ignitis prosequebantur, ne scil. quid nocumenti ab ejus malitia remaneret.

III. *Dirae et Exsecrationes;* Fennice dixeris Puſſut, Kirouzet, quibus hosti vel inimico suo, cui male volebant, plenis faucibus mala imprecabantur, ipsisque et omnibus ejus cognatis et peculiis dira quaevis optabant. Certis caerimoniis et verborum formulis, imo adjunctis adminiculis nefariis, haec peragebantur; ita ut vividissimo, simulque intensissimo, quo unquam possent affectu malum alii velut intrudere et agglutinare velle viderentur. Haec nostris qui-

dem majoribus imputare ex domesticis testimoniis non possumus; sed illis Fennis de quibus monumenta litteraria Islandorum commemorant, familiaria fuisse, horum fide novimus. Plerumque conjunctae erant cum Gothorum sic dicto Seidur, seu *coctione;* quo pacto *STURLONIDES Huldam*, veneficam Fennicam, Vaulando regi Svecorum vitam ademisse narrat; ipsum hominem saga talis, quasi coxit, et carminibus diris devovit, simul calcando simulacrum ejus, nunc super caput, nunc super pedes. Etc.

§ XXI.

Sed satis de his nequissimis moliminibus; quorum ut nonnisi umbra historica remaneret, optamus. Jam ad noctis hujus qualemcunque, oriente luce Christianismi, dispulsionem et commutationem spectandam, nos accingimus. Allata videlicet ad hunc mundi cardinem religione Christiana, spissae tamen adeo tenebrae, cito dispelli non potuere. Idololatriae quidem et superstitionis crassioris magna pars pedetentim abolita fuit, cum ad agnitionem veri Dei et Servatoris nostri, gens nostra sensim perduceretur; sed quia bonum illud semen verbi Dei, quod hic serebant praecones primi, innumeris erat traditionibus humanis mixtum et contaminatum, hinc non poterat, initio praesertim, fructum ferre exoptatum ac satis locupletem. Nam quia religio Christiana, qualis tunc fuit, papisticis ipsa superstitionibus scatebat, facile oriebatur, id quod jam significavimus, in gente rudi, mixtura utriusque mirifica; et veteres Dii una cum Christo et Maria aliisque sanctis invocabantur. Virgini Mariae divinitatem quandam revera fuisse tributam, vel hi versus docent e carmine desumti, quo illam, ut puerperis opitularetur, invocabant:

Neityt Maria emoinen,	Virgo Maria mater,
Sin' olet wanhin waimoxia,	Tu es mulierum (omnium) aetate provectissima,
Elähitä enſimmäinen ꝛc.	Viventium prima.

Quare nec mirum, ejus potentiae beneficae adscripsisse, quod Lunae et Soli laborantibus (eclipsis tempore cfr. supra p.

77) **succurreret.** Ita nempe eam invocant non uno carmine: Sinä kuin kuun kehäſtä pääſtit, Pääſtit päiwän irrallehen, Mixettäs minua pääſtä ꝛc. h. e. *Tu qui lunam liberasti ex halonis potestate, Qui solem in libertatem vindicasti, Cur non me liberas* (a malo)? Ad superiora turpis hujus syncretismi exempla, addere sequens placet carminis, quo utebantur, cum quis in foro culpa se exsolvere necesse haberet, ferri candentis portatione; opem implorari hic videas et Christi Servatoris, et *Louhi*, Deae frigoris, quam uxorem Boreae habitam fuisse, probabile supra p. 71 diximus.

Louhi pohjalan emändä,	*Louhi* borealis sedis domina,
Wedeppä wetinen lumme,	Induc aqueum tegmen,
Kahden puolen kämmenbäni,	Ex utraque parte palmae meae,
Tulen tuicki polttamata,	Ne ignis perurat,
Walkian waraſtamata.	Ne flamma laedat.
En liiku omihin lihoin,	Non incedo in mea carne,
Liikun JEſuxen lihoilla;	Incedo in carne JEsu;
En wärwil omin wäin,	Non potentia propria moveor,
Wärwin JEſuxen wäellä;	Moveor potentia JEsu;
Tulen tuicki polttamata,	Ne ignis perurat,
Walkian waraſtamata.	Ne flamma laedat.

Ac ubi veteres superstitiones abolebantur, novae haud raro iis succedebant, non meliores, praesertim benefici generis; ac ex maligno etiam, fascinationes quaedam et exsecrationes. Dierum vel faustorum vel infaustorum numerus augebatur. Morbi jam curabantur in nomine virginis Mariae et sanctorum. Ejusmodi carmina, quae ad hos dirigebantur, non superstitiosis, sed sacris, annumerabantur; licet cum abusu nominis divini profano, usus eorum semper conjunctus esset. Ceu patet ex sequenti lectione, quam adhibebant castratores animalium:

Puſtuilla puhtailla,	Artibus mundis,
Herran hengellä hywällä!	Cum Domini bono spiritu!

Est exordium. At peracta incisione ait operator:

Juo wettä Jordaniſta,	Bibe aquam ex Jordane,
Neitzen Marian peſinwettä;	Ex aqua quae virgini Mariae lavationi inservit,

Älwös wismoille wirune,	Ne pustulas contrahas,
Älwös wammoille walene,	Ne ulcera excitentur,
Ulkoa tai sisäldä,	Neque extus neque intus,
JEsuxen hengen kaudolda! h. e.	Propter spiritum JEsu!

Reliquiae sanctorum, claves templorum, vestes monachorum, imo ipsa sancta sacramenta, ad superstitiosos usus adhibebantur. Exorcistae novi generis oriebantur, qui diabolum, ut morborum caussam, ex hominibus, animalibus imo rebus inanimatis, utpote aqua, sale, lacte etc. ejicere, magno sc. ausu, nitebantur. Carmina, et superstitiones quae supersunt, maximam partem ejus aevi, earumque opinionum ostentant vestigia. Cruce omnia notabant, benedicebant et maledicebant, diris devovebant, anathemate feriebant, divinabant, lectitabant, sufflabant, pluribusque ejusmodi offuciis homines fallebant; quibus rebus nil aliud suberat, (parva excepta Christianismi scintilla, ex qua tamen benigne nobis lucem Evangelii Deus tandem excitavit), quam vana superstitio.

§ XXII.

Jam ad describenda adminicula, quibus magi aliique superstitiosi homines, ad fines suos pervenire, et effectus ejusmodi mirabiles, atque ex mente eorum naturae viribus superiores, praestare sategebant, progredi, ordinis nos ratio jubet. Arcana autem magiae malesanae pandere studens, fateor artis futilis non minus quam nefariae plenam descriptionem me dare haud posse, (quam, qui mysteriis ejus initiati sunt, studiosissime occultant); ea tamen quae rescire potui exhibebo, quod ad stultitiam et impietatem ejus demonstrandam, nihil aeque efficax esse putem, quam si deliria haec retegantur, quae mysterii specie qua teguntur, in hominibus rudibus infelicem curiositatem, metum, vel confidentiam majorem, excitant. Nihil princeps tenebrarum molestius fert, quam si in lucem producatur, artesque et opera sua in apricum collocentur; in tenebris est magnus, et quamdiu noctem inducere conatibus suis valet, tamdiu hic praestigiator mirabilia monstrat. Sed si vela-

men, quo technas suas celat, auferre licet, mox patet infirmitas ejus, quantus sit ardelio, quamque absurdis strophis homines fallere studeat. Magiae autem hujusce adyta explorare et difficile est, ut significavimus, quia raro aut vix unquam magi et sagae ad sinceram suorum conaminum confessionem perduci queunt, et paucissimi tentarunt, partim prae hujus artis abominatione, partim metu, ne ipsi vel his laqueis irretirentur, vel in suspicionem aliorum, tanquam studio nefariae hujus scientiae dediti, aut peritia ejus valentes inciderent: qualis suspicio, olim imprimis, et facile nascebatur, et periculosissima sane erat. Quare nec ipsi plene omnia ejus mysteria jam noverunt, qui artis hujus se magistros profitentur: quorum tamen alius alio est peritior. Praecipua autem adjumenta, quibus sic dicti magi utuntur, et quorum ad nos pervenit notitia, haec esse feruntur:

I. Characteres Magici; qui sunt litterae, numeri, aut alia signa, quibus virtutem singularem, vel ad mala infligenda, vel ad bona procuranda, inesse putant. Compertum tamen non est, an Fennis nostris ejusmodi characteres usitati olim fuerint? qui videlicet scriptura omni, antiquitus caruerunt. Quod tympanum etiam Lapponum attinet, et characteres in eo signatos, lusorii illi, et sortilegi potius fuisse quam magici videntur.

II. Vocabula et sententiae breviores, quibus morbis imponere, ut abeant, vel serpentes fascinare, vel simile quid se praestare posse putant. Sanat (verba) audiunt tales, et censentur esse maximi valoris. Quales hae sunt Madon ſanat, *verba serpentis,* vel *contra serpentem,* quibus serpentem sisti ajunt ne possit aufugere; Maa pidä matoa, Pyhä Hengi perkelettä, *Terra tene serpentem, Spiritus Sancte diabolum.* Nikan ſanat, h. e. *verba singultus,* hujus formae:

Nicka meni niinehen,	Singultus abiit in tiliam,
Minä niinen kandajari;	Ego (factus sum) tiliae portator;
Nicka meni tuulehen,	Singultus abiit in ventum,
Minä tuulen kandajari.	Ego (factus sum) venti portator.

Löyly̆n ſanat, seu *verba vaporis calidi*, qualis in balneo solet esse, quibus vulneribus saepe nocet, et inflammationem excitat:

Terwe, terwe löyly̆ſeni!	Salve, salve vapor (calide)
Ei löyly̆n löytämiſtä,	Nil est, vapor, quod hic invenias,
Ei wetoiſen welkomiſta;	Nil spasme, quod tibi debeatur;
Oma löyly, wieraš ſipu	Proprius est mihi vapor, dolor peregrinus.

III. Carmina, nostratibus, sicut plerisque aliis populis, in arte magica maxime usitata. Hinc *Circe* apud Ovidium de se canit:

Et ego cum Dea sim, nitidi cum filia solis,

Carmine, quae tantum, tantum quae gramine possim.

Carmina ejusmodi magica, Svecis audierunt Galdrar, ac olim Galdur, qualia Odinus ille Asiaticus calluisse dicitur, et bacillis vel assulis insculpebantur, atque in personam incantandam projiciebantur. Cfr. Illustr. Suhm de *Odino* Lib. 4 C. 2 § 12 p. 353. Fennis appellantur Lugut, seu *lectiones*, quae non canendo, nec alta voce enunciant, sed mussitando, magna devotione, et nudato capite efferunt, praesertim Christianismum redolentes, in quibus mentio fit vel Christi, vel virginis Mariae, aliorumve sanctorum. Contenta horum carminum, praecipue medicorum, sunt vel *expostulatio* cum re nociva e. gr. ferro, cur laeserit, cur talia ausus sit facere. Ex. gr.

A miŋiš weriſtit welješ?	Cur fratrem tuum cruentasti?
A miŋiš paȟoja teit?	Cur male fecisti?

Vel *comminatio* non impune laturam facinus, vel *exprobratio* foedae et notae originis, seu natalium; vel *jactantia de medela*, quae sit in promtu et bene cognita. Ex. gr. dum morsum serpentis curare volunt, hos versus legunt:

Mato muſta maan alainen,	Coluber nigre subterranee,
Kiperä kiwen alainen;	Flexuose sub lapide jacens,
Läpi puitten puettele,	Per arbores serpe,
Läpi mättäſten menettele!	Per tuberosa reptita!
Luulit puuta purreȟenſa,	Putasti te momordisse arborem,

Pajun juurta pannehenſa. — Et punxisse radicem salicis.
Että itze pahoin teit, — Ut ipse male fecisti,
Wielä poikas pahemmin teke. — Filius tuus adhuc pejora committit.
Paremmin tiettyä parannat. — Rectius sanas quod nosti.
Kyllä minä ſukus tiedän: — Satis ego natales tuos scio:
Hollakon kooſta koottu, — Ex sterquilinio es lectus,
Saatu ſammakon kuwuſa; — Conceptus in ventre ranae,
Hiitolaiſen hiuskarwa, — Capillus Daemonis ex familia Hiisi,
Pannehesa partakarwa. — In nocendo barbae pilus (acuto mucrone instructus).
Imbi wirran wierteheſtä, — Virgo (Maria?) ex littore fluminis (Jordani?)
Kanna mättäſt mättähäſtä, — Apporta caespitem ex sylva,
Tuki reikä tarpeheri. — Vulnus occlude quantum satis est.
JEſuxen weri punainen, — Sanguis JEsu ruber,
Marian makia maito, — Lac Mariae dulce,
Kipehelle woiteheri, — Sit ulceri ungventum,
Haawalle parannuxeri, — Vulneri medela,
Siſäldä kiwuttomari, — Intus (vulneri) doloris cessationi,
Alda aiwan terweheri h. e. — Subtus plenae sanitati.

Vel describitur in illis medicina, et optatur bonus successus; quocirca abusus nominis Divini, et mentio divorum, non raro irrepit. Sic sanaturi vulnera ferro inflicta, et ablaturi Raudan wihat, ut ajunt, seu *iracundiam* (h. noxam) *ferri*, haec recitant:

Koſka rauta pahan teke, — Quando ferrum nocet (male facit),
Terä hietra tembaiſepi, — Chalybis acies laedit [1]),
Tuo turwet tuwan takaa, — Apporta caespitem sumtam pone domum tuam,
Sammal ſäinän ſalwoxiſta; — Muscum e parietis rima;
Tuki reikä turpahari, — Opple (eo) vulnus,
Mädän' mulda mättähäri, — Resolve humum in obturamentum ejus validum,
Ellet wiſmoille wirunne, — Ne (vulnus) infestetur pustulis,
Ellet wammoille walene, — Ne in ulcus abeat,
Kummaldakan puolelda, — A parte alterutra,
JEſuxen kengän kannolda. — Propter calceum JEsu.

[1]) Hiatus hic manifestus est, et deest nomen divi, cujus auxilium imploratur etc.

Mehiläinen ilman lindu,	Apis avis aetherea [2]),
Imbi pilwäſtä pyrähdä,	Virgo (Maria) ex nubibus subito appare,
Wahto niſiſtäs walota,	Spumentem liquorem (lac) ex uberibus tuis funde
Kipehellä woitehexi,	Ut sit aegro ungventum,
Haawalle parannuxexi. h. e.	Vulneri sanatio.

Aliter sonant *verba ferri* quae leguntur in Dissert. Domini Praesidis *de Poësi Fennica* (Part. III p. 380 seqq.) ubi archaeologia ferri adducitur, cum exclamationibus et expostulationibus. Facile quisque videt, quid virtutis hujusmodi carminibus sit tribuendum; licet GABR. MAXENIUS, (ex cujus collectaneis, quaedam in usum nostrum carmina transscripsimus), in Dissertatione sua *De effectibus fascino naturalibus*, hic Aboae Anno 1733 edita, p. 24 absurde autumet: *Effectum rhytmos recitatos consequi, in aprico est.* Quin neque ipsi magi nostratium, sola recitatione hujusmodi carminum contenti sunt; sed unguenta praeterea adhibent, ex resina et pice confecta, quibus tamen raro ipsum vulnus, sed plerumque securim vel cultrum, quo quis se laesit, perungunt, laciniisque et fomentis cinctum seponunt, donec vulnus ad sanationem spectare putent. *Carmina malefica*, diras continent et exsecrandas imprecationes, quae ob atrocitatem vix referre queamus. Unum tantum exemplum adponemus, quod contra *invidum*, sive cujus oculos fatales (supra p. 100 et 101), metuunt, recitatur:

Ken katehen kahtonowi,	Qui invide adspicit,
Silmin kieron käxinöwi,	Limis oculis speculatur,
Töiſä näiſä olleſani,	Dum in hoc opere versor,
Silmät werta wuotuwohon,	Oculi (ejus) sanguinem stillent,
Raſwana rapattuwohon,	Unguenti instar defluant,
Tuonne helwetin tulehen,	Illuc in inferni ignem,
Pahan wallan walkiahan. ꝛc.	In mali daemonis flammam etc.

IV. Caerimoniae et ritus. Varii hi sunt, et pro diversitate rerum atque gentium, diversissimi, superstitionis-

[2]) Etiam hic est hiatus; cfr. versus, supra (p. 58 sq.) allatos.

que ipsam constituunt medullam, taediosi non minus quam longi recitatu. Coemeteria nempe ante ortum solis pluries circumiri debent; Ossa humana hic et ibi sepeliri; hoc vel illud a tergo, oculis irretortis, projici; Amuletum aliquod in collo vel pectore est suspendendum; Absque nictu oculi, et uno anhelitu, certum iter cursu conficiendum; Vespere diei Jovis colum non movendum; Oratio Dominica ordine retrogrado recitanda; et sexcenta ejusdem furfuris alia: ita ut nil boni vel mali effici putent, nisi quibusdam observatis hujus generis putidis caerimoniis. Hoc more pecus in pascua primo vere agi, agrum seri, insidias malorum geniorum caveri, etc. oportere, credunt.

V. Affectus et gestus miri, fanaticisque similes. Si inferendum vel ablegandum est malum, horridis et velut furiosis hoc opus suscipitur gestibus, murmure et corporis agitatione. Virum nobilem in Paroecia Töfsala pedibus aegrum, ante paucos annos audacter adiit circulator, qui sese sanaturum eum promisit, modo suis sese manibus ille committere vellet. Annuit aeger; Circulator balneum calefacit, et scopas sibi plures comparat, ex plurium arborum frondibus compositas. Dum intrant balneum, circulator primum horrendis gestibus et voce abigit omnes daemones et malos hostes, scopis tectum, parietes, pavimentum verrendo; dein scopis frondosis paullum calefactis, aegri corpus, more Fennis usitato diligenter verberat, sua carmina mussitans; postea cultro scopas in minutissima, summa cum iracundia, secat frustula, quae sub pavimento balnei defodit; quod vir ille, cum risu amicis saepe narravit. Paucis diebus a balneo isto, melius quidem se habuit; sed malum tamen non recessit.

VI. Fraudes et ludibria. Nam e potiori sua parte superstitio magica nil est nisi impostura, ex fraudibus et ludibriis composita. Unde recte CURTIUS *Hist.* L. VIII. C. 4 de *Cobare* Medo quodam mago loquens, ait: *ipsum magis professione quam scientia celebrem;* et de tota arte addit: *Si modo ars est, non vanissimi cujusque ludibrium.* Qui enim se magos simulant, vaferrimi plerumque sunt nebulo-

nes. Nunc cimices et mures expulsuros domo, nunc omnis generis morbos curaturos, nunc pecudes a bestiarum insultu protecturos, nunc prosperaturos butyri confectionem, vitulorum valetudinem, conjugii fortunam, etc. sese promittunt; sed vano eventu. Unde saepe dignam professione sua mercedem reportant. Est enim plebecula nostra in ea opinione, ut putet magorum conatus inimicos irritos fore, si sanguinem suum ipsi conspexerint. Unde, cum suspectos se reddunt de mala voluntate, atque viribus sunt inferiores, tam probe non raro ex improviso caeduntur, ut nasus et os sanguinem spument.

VII. Consilia oppido inania et absurda. Interdum nimirum adminiculis uti videmus superstitiosos homines, ad fines suos attingendos, quae vel primo intuitu valde inepta, ridicula et absurda esse, in oculos cuique incurrit. Sic v. gr. carbones ex incendio ablatos in Tympanite, argentum haereditate acceptum in Apostemate, aqua fluvii et rivi boream versus defluentis in Febribus, lignum e parietibus domus ter loco motae in Spasmo, et sic porro, magna vanissimaque spe adhibent. Remediis ejusmodi absurdis, vulgo sympathiam vel antipathiam naturalem praetendunt; sacram omnium hebetium et stupidarum mentium anchoram. Lepidam adferre liceat medelam luxati pedis equi, quam auspicantur carmine sequenti:

Jeſus kirckohon menepi,	Ad templum JEsus pergit.
Maria meßuhun matapi,	Ad missam Maria vadit,
Hewoiſella hirwiſellä,	Equo utebantur alces colore conspicuo
Kala hauwin karwaiſella,	Lucium (colore) referente,
Lohen muſtan muotoiſella.	Salmonis nigri (colore) simili.
Ajoit ſildoa kiwiſtä [3]);	Vehuntur super ponte saxeo;
Nouſit wuorta korkiata:	Ascendunt montem excelsum:
Hiweldyi hewoiſen jalka [4]).	Luxatus est pes equi.

[3]) Alia exempla habent ſiniſtä *(caeruleo)*, et addunt: Maata maran karwalliſta, *super terra hepatis colorem referente.*

[4]) Addunt huic versui alia exempla:

Kiwiſellä kirko tiellä,	Lapidosa via ad templum ducente,
Wahaiſella wainiolla,	Saxoso in agro.

Maria [5]) maahan rattahilda,	Maria de curru se projicit,
Suonia ſowittamahan,	Ad tendines coaptandos,
Pahoja parantamahan.	Ad mala corrigenda.
Joſt' on liha liipahtunut,	(Dicens:) Unde caro secessit,
Sihen liha liittyköhön.	Illuc caro iterum adponatur.
Joſt' on ſuonet ſortunehet,	Unde nervi sunt remoti,
Sihen ſuonet ſolmikohon.	Ibi nectantur rursus.
Chommari ennelliſtä,	Ut fiant praestantiores quam antea,
Paremmari muinaſiſta.	Meliores quam olim [6]).

Praemissa hac lectione, ligatur pes equi luxatus, ligamento composito scopis, quibus verritur furnus; quae autem tales esse debent, quarum fabricator ignoretur. Atque sic in multis aliis.

---

[5]) Servatori ipsi alia exempla haec omnia adscribunt; quae omnino Virginis Mariae nullam faciunt mentionem. Caeteras lectionis varietates afferre piget.

[6]) Apertam cum hoc carmine cognationem habet Svethicum illud, licet Poëticae artis laude longe inferius, quod in Diss. de *Superstitionibus hodiernis ex gentilismo residuis*, (Ups. 1750, 4:o Praes. Jo. Ihre) adfert Jon. Moman, P. I, p. 63 unde patet, ex eodem fonte, papisticis videlicet nugis, utrumque emanasse. Tale autem est: JEſus reb på ſin ſåla; Hans ſåla wreb ſig; Satte leb mot leb, Sena mot ſena, Blob mot blob, Lade la i la, Bot ſom åt är gjordt. Similiter carmen contra Tineam, quod supra p. 94, attulimus, non obscuram prodit cognationem cum hocce Svecico, quod l. c. p. 62 habet Moman, contra Paronychiam usurpato: Wär Herre Chriſt och Sante Pehr Gingo wägen fram; Så mötte de qweſan. Så frågar wår Herre: Hwart ſkal du gå? Jag ſkal gå i en man (qwin) hand. Nej, ſwarar wår Herre: du ſkal gå i den ſkog där ingen bor, I den ſiö där ingen ror, Och under en jordfaſt ſten, Och icke göra denna mannen (qwinnan) men. Unde caussa oritur suspicandi, Fennicum etiam illud carmen potius contra paronychiam esse compositum, quam contra Tineam; quamvis aliter visum ei fuerit, cujus opera illud ad nostras pervenit manus: nempe ambiguitate vocis Koi potuit falli, quae quidem Tineam significat, sed qua etiam incolae superiorum provinciarum utuntur ad paronychiam significandam, quam ex vermis cujusdam rosione oriri putant: Koi ſyö, *vermis exedit*, de hujusmodi ulcere dicunt. In genere notandum, illa carmina, quae natales papismo debent, atque a Svecis forte partim mutuata sunt, poëticae laudis nomine semper inferiora esse antiquioribus illis et paganismum sapientibus: nisi ubi quidam versus hinc illinc, ex hisce illis intexti reperiantur.

VIII. Adminicula vera et naturalia. Interdum nempe superstitiosi homines, etiam qui pro magis haberi gestiunt, incidunt in adminicula vera et naturalia, quibus vel bona vel mala efficere valeant; (quae tamen lectionibus suis et ritibus putidis consecrant); unde igitur effectus nasci potest naturalis. Quare in ejusmodi casibus prudentiores id quod superstitiosum est, a naturali discernunt; vulgus autem omnia stolide miratur, et tam caussam, quam effectum pro supernaturali habet, tamquam immediate a Deo vel diabolo profectum; magis attendens ad superstitiosas circumstantias adjunctas, quam adhibitas caussas naturales. Sic, cum Ursum carminibus supra allatis, ex nemoribus suis exulatum mittere student magosophi nostri, simul arbores hic ibi adipe phocae inungunt; cujus odorem non ferre ursus dicitur, sed ista loca vitare. Hoc modo rustici nostrates, etiam segetem in sylvis a voracitate Ursorum illaesam conservant, qui eam alias depascunt; videlicet sepimenta quaedam agelli, vel culmos avenae extimos quosdam, adipe phocae hic ibi, circum totum agellum, obliniunt, quem hinc postea ajunt manere ab Urso intactum. Sic, cum vitae sanitatique alicujus inimici nocere cupiunt scelerati quidam, res venenatas adhibent. Cum pecoribus cladem inferre satagunt, vel ovibus in ovili aliquam partem corporis excoriant, quo spectaculo reliquae terrentur et vehementer affliguntur, vel cadavera sub pavimento, aut in sterquilinio defodiunt, ut lues et noxa oriatur, etc. In usum medicum herbas et radices sibi comparant, ex quibus unguenta conficiunt; quas quidem superstitiose certo numero certisque noctibus colligunt, sed hoc virtuti illarum naturali nil derogat. Et sic in plurimis.

IX. Societate diabolica se valere, multi et alios credere volunt, et ipsi credunt. Dubium enim non est, quin fuerint, qui eo impietatis et stultitiae processerint, ut hosti Dei et generis humani infenso, se devoverint; hoc pacto, ut ejus opem in coeptis suis infandis perpetuam acquirerent [7]).

---

[7]) Cfr. Carmen supra, p. 75 allatum: Ei minuſa michi lienet ꝛc. Quin tales reperiuntur nebulones, qui ex. g. pro felici

Cujus impietatis in paganismo jam semina exstitisse, a veritate non abhorret; nam malos quosdam esse genios et daemones, majores credidisse, eorumque auxilium a quibusdam imploratum fuisse, supra docuimus. Sed hic furor, post Christianismum cognitum, si non crevit, certe non extinctus fuit: illaque de mali daemonis natura et moribus clarior cognitio, quae ab ejus societate expetenda deterrere vehementius debuisset, homines malesanos et semipaganos ad eam discupiendam etiam incendit. Detestati quidem sunt et detestantur inter ipsos quoque superstitiosos, tale scelus, saniores, ac abominantur eos qui malis geniis se committere audent, eorumque ope uti; sed dubium tamen non est, quin persvasio infelix de abominabili ope diaboli, hoc modo revera obtinenda, ac de potentia mirisque facinoribus, quibus peragendis pares magi hoc pacto evaderent, homines stultos atque impios ad detestabile hoc consilium ineundum impulerit. Tantum nempe sapientiae seculis illis ignorantiae homines non habuisse, mirum videri non debet, ut sine praejudiciis primum explorarent, an magi, tali potentia qualem crepabant, revera instructi essent? an prodigia iis tributa unquam patrare valerent? ut in rem facti, et mere historicam, prius ad leges fidei historicae rite inquirerent, antequam ejus explicandae caussa tam portentosam hypothesin, tam periculosam, tam perniciosam, amplecterentur. Quodnam enim tale factum apud nos unquam debito modo evictum fuit? Quis unquam vel verisimili ra-

avium captura caput suum diabolo offerunt. Nam dum laqueos et tendiculas avibus struunt, ut felix sit laqueus, caput ei immittunt et mox extrahunt, dicentes: Linbu, minun päänі Perkeleelle, h. e. *Avis* (audi) *caput meum* (devoveo) *diabolo:* ad quae tota mente exhorrescas. Qui miseri, aut prae stupore non satis intelligunt quid faciant, aut nescio quam tacitam spem sibi indulgent, fore tamen, ut a pacti conditione sese extricare, ac diabolum olim deludere queant. Quibus autem ritibus vel diabolum advocent, vel qua cum eo agere ratione, pactumque pangere dicantur, neque referre operae pretium ducimus, neque curatius explorare studuimus: cum tamen in meras fallacias et stulta ludibria omnia abeant.

tione demonstravit, malum genium, a malesanis illis advocatum, accessisse, ac pactum revera cum iis fecisse? Nempe ne licere quidem sibi homines putabant, rationes expetere opinionis, quam inter veritates indubias, imo sacras, referebant: quaecunque igitur fabula, quodcunque hujus generis assertum, imo suspicio quaevis injecta, mox homines, etiam caeterum cordatos, turbavit et occaecavit. Somnia aniculorum, deliria, mendacia, metum, rumores, errores mentium praejudiciis et perturbationibus aegrarum ac delusarum, pro testimoniis et argumentis certissimis avide arripiebant; ac, quia S. Scriptura vel magos nominat, vel facta eorum, suo more, qualia apparebant, nulla eorum explicatione adjecta vel caussis expositis, simpliciter describit, suam illa explicandi hypothesin persvasionemque ei primum intrudentes, mox tanquam S. Scripturae doctrinam suspici ab aliis etiam omnibus voluerunt, in quam neque inquirendi, (multo minus de illa dubitandi) potestas ulla superesset. Quod malum hodieque nimis multos inter nos invenit fautores; cum nulla tamen certior sit ratio detestabilem superstitionem eradicandi, quam ut ipsa quibus nititur fulcra subducantur, totiusque artis vanitas, inanitas et stulta fraus, perspicue ac sincere demonstretur [s]).

§ XXIII.

Talis jam tantaque fuit superstitio priscorum nostrorum majorum, tam theoretica, quam practica; cujus rudera multa adhuc, proh dolor! exstant, in quibus debellandis saniores omnes, maximeque Verbi Divini ministri, desudant. Heu quanta vanitas et dementia tamdiu mentes hominum

[s]) Cfr. Diss. Dn. Praesidis de *Poèsi Fennica*, p. 376 sqq. Opinionis autem de Magia et Historiam et indolem accurate atque plene explicatam qui discere avet, adeat CONST. FRANC. DE CAUZ, de *cultibus Magicis eorumque perpetuo ad Ecclesiam et Remp. habitu Libros II*, (Vindeb. 1767. 4:o) a summo Theologo Ven. Jo. AUG. ERNESTI magnopere laudatos et diligenter recensitos, in ejus Neue Theologiſche Bibliothek, IX Bandes VI Stück, p. 529—546.

cepit! Nam quid superstitio omnis est nisi vanitas vanitatum? Vana sunt idola, nec nisi nuda nomina et inanes umbrae; vanus itaque eorum cultus et veneratio. Ac licet existentiam et operationem maligni spiritus minime negemus; pater tamen mendacii ille est, fallax spiritus. Pascit suos crepundiis, et ad extremum male mulctat. Nec tamen omnes superstitiosos homines pro ejus familiaribus et amicis venditamus. Sunt enim plerumque simplices, rudes, et fatui. Scientia eorum tantopere jactata, in eo potissimum consistit quod nil boni sciant; commiseratione, correctione et institutione digniores sunt quam flammis et suppliciis, quibus in eos promiscue animadvertit perversus majorum zelus. Si vero malitiam produnt, et vitae, sanitati, bonisque aliorum nocent, cur non hoc nomine plectantur, ut alii malefici, caussam nullam videmus. A superstitiosis autem omnibus ausis et coeptis, caveat sibi quisque, maxime qui Christo nomen dedit. Verbo Dei et naturae ordini, ab iisque suppeditatis adminiculis et remediis, firmiter adhaerescamus. Deo soli confidamus, ejusque providentiae nos nostraque committamus. Quando enim ab ejus viis et praeceptis recedimus, in casses ignoti hostis et tentatoris imprudentes incidimus. Frivolas merito putamus divinationum varias species, carmina magica, incantationes, consilia sympathetica, et similes ineptias. Sed ut illicitas tamen damnat eas Deus in verbo suo, *Deut.* 18: 10, 11, 12. Deum enim sic antevertere praesumimus, et fata nostra ipsi dirigere, quod arrogans nimis est et impium. Cfr. Ill. MICHAELIS Moſaiſches recht, V Th. § 253—255.

S. D. G.

DE BIRCARLIS.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICE VENTILANDAS STETIT

FRANCISCUS MICHAEL FRANZÉN.

Aboae 1786, 1789.

---

§ I.

Illam quidem rem dijudicandam nobis haud sumimus, quam late olim *Lapponum* gens per septentrionem diffusa, ac quo aevo, quo jure, quibus conditionibus, quo ordine, imperio vel Norvegorum vel Svecorum vel denique Russorum fuerit subjecta? quod non uno tempore sed sensim factum fuisse, facile evincitur. Nostram vero quod attinet Finlandiam, ab hac gente ante majorum nostrorum adventum habitatam vel potius pererratam fuisse, sensimque Lappones a Fennis propulsos, dubio caret. Comprobatur haec res cum traditione majorum [1]), tum plurimis nominibus locorum per totam passim Finlandiam adhuc usitatis, a Lapponibus tractis [2]), tum aliis rerum monu-

[1]) Ejectos a majoribus nostris Lappones, sedesque horum ab illis occupatas, passim traditiones incolarum commemorant, superiores Finlandiae provincias habitantium. Cfr. Chr. Limnell Disp. *de Tavastia* (Aboae 1748 ed.) Cap. I p. 18 C. II p. 36 sq. et Tidningar utgifne af et Sällskap i Åbo, a. 1776 p. 70, 72; a. 1777 p. 19 sq. 67 sq. a. 1778 p. 149. Adde, si placet, traditiones Lapponum idem confirmantes, quarum mentionem facit Celeb. Schefferus, *Lapponiae* C. VI.

[2]) Horum magna superest copia: Paroecia *Lappo* Satacundiae, et alia Ostrobotniae; pagus et insula ejusdem nominis inter Alandicas, unde portio etiam maris illam et insulam *Kumlinge* interluens *Lappvesi* (aqua Lapponum) appellatur; *Lappajärvi* (lacus Lapponum) lacus et pars Paroeciae Pedersöre in Ostrobotnia; *Lappfjärd* (aequor Lapponum) Paroecia ejusdem provinciae; *Lappträsk* (lacus Lapponum) paroecia Nylandiae; *Lappeenranda* (Suecis *Lappstrand*, ripa Lapponum, vel *Vilmanstrand*, ripa hominum ferorum) paroecia et urbs Savolaxiae, Russis jam parens; *Lapinlaxi* (sinus Lapponum) sinus lacus Keuruensis, *Lapinsalmi* (fretum Lapponum) et *Lapinkangas* (cam-

mentis non spernendis [3]). Nec timendum est, ne fides hujus asserti, aut TACITI de Fennis testimonio [4]), aut Fa-

---

pus Lapponum) loca itidem paroeciae Keuru in Satacundia; *Lapinlinna* (castrum Lapponum) mons in quadam insula lacus Näsijärvi, intra paroeciam Satacundiae Messuby; et alia plurima. Quin, vestigia nominis generisque Lapponici in Estonia quoque olim obvenisse, regio *Lappegunda* (Lappakunda, tractus s. ditio Lapponum) documento est, cujus meminit *auctor veteris Chronici Livonici (Henricum Lettum* solent prodere) a GRUBERO editi, apud quem *(Orig. Livon.* p. 148) legitur: *Post hoc in* Gervam *abierunt, et provinciam extremam versus* Wironiam, *quae* Lappegunda *vocatur, nondum baptizatam adeuntes*, caet. Illius autem nominis hodie usum penitus evanuisse testatur HUPEL Topogr. Nachrichten von Lief- und Ehstland I B. I C. I Abſchn. p. 78.

[3]) Ex. gr. Acervis lapidum, manu arteque humana, (ut eos spectanti cuique facile apparet) congestis ac per Finlandiam nostram passim obviis; quos *Lapin-rauniot, Lapin haudat* vel *Lapin-kodat* (acervos, sepulchra vel tuguria Lapponum) incolae dicunt. Cujusmodi acervi occurrunt non modo in Ostrobotnia (Paroeciis *Siikajoki, Lillkyro, Laihela* etc.), Tavastia (maxime superioribus paroeciis *Viitasaari* et *Saarijärvi* etc.), Satacundia superiore (Paroeciis *Keuru, Ruovesi, Längelmäki, Messuby, Birkala, Mouhijärvi* etc.) sed etiam propius ad Aboam in paroeciis *Eura, Lappo* et *Laetala*, nec non in Nylandia(ex. g. paroecia *Siundo*, in alto monte non procul e templo) etc. Cfr. LIMNELL Disp. *de Tavastia* C. II p. 36; et Tidningar utg. af et Sällſk. i Åbo a. 1775 p. 190; a. 1777, p. 19 et 66; a. 1778 p. 142, 149; a. 1782 p. 221; a. 1783 p. 186.

[4]) *De Moribus Germanorum* C. 46. Praeterquam vero quod ubi vulgo *Fennorum, Fennos, Fennis* legitur, alia exempla habent *Femiorum, Femios, Femiis*, adeo ut lectio ipsa non certissima videri queat; auctoritas etiam TACITI, ex rumore incerto de gente remota parumque sibi cognita scribentis, maximi non est facienda, qui imaginem ultimae feritatis humanae conditionisque ad brutorum vitam proxime accedentis, in hac natione depingenda ingeniose adumbrare simul voluisse videtur: qualem fere imaginem veram generis hominum miserrimi, quod oram *terrae ignis* dictae pererrat *(Pecherais)*, nobis exhibent Itinerum maritimorum ad illas regiones institutorum descriptores. Nostrorum autem Fennorum fuisse majores quos ille depinxit, neque demonstrari potest, neque probabile omnino est. Ut de situ terrae ipsius nihil dicam, quam supra *Sveones Sitonesque* in ultima septentrionis ora collocasse videtur; plures produnt ratio-

bularum Islandicarum auctoritate [5]) aut quae apud SCHEFFERUM de Lapponum ex Fennis origine leguntur com-

nes *Lappones* eum in animo habuisse, (ad quos solos *Finnorum* nomen olim pertinuisse mox docebimus), eorumque mores, feriores etiam tum quam posterioribus temporibus, informasse, non sine admixtis tamen erroribus.

[5]) *Finnorum* in his mentionem fieri, ut antiquissimorum septentrionis incolarum, notum est. Partim vero manifesto falsa esse, quae de illis commemorantur, partim ad nostros pertinere Finlandos nullo modo posse, levi negotio intelligitur. De Regibus loquuntur Fennorum, cum tamen certum sit inter nostros populares neque usum hujus dignitatis neque nomen ullum exstitisse: nam *Kuningas* quo vocabulo nunc utimur, Svecis deberi, nemo non videt; *Ruhtinas* (Principem solent interpretari), similiter a Germanico *Druhtin*, *Drottin* vel Drott (vid. IHRE *Glossar.* hoc vocab.) oppido est formatum, abjecta litera D, (more nostris solenni qui verbum a duabus incipiens consonantibus enuntiare nescii priorem abjiciunt, dicentes ex. g. *Rotninki* pro Drotning, et addita syllaba *as*, pro consuetudine itidem gentis nostrae familiari, quae vocabula peregrina in consonam exeuntia, vocali aut tota adeo syllaba auget (ex. g. *Carle* pro Carl, *Tuckulmi* pro Stockholm, *Kuningas* pro Konung etc.) Si cum Sveci, ducibus *Erico* Rege ac *Birgero* Jarlo, Fennos aggrederentur, his Reges fuissent aut insignes dignitate Principes; talium aliqua sine dubio mentio in scriptis Svecorum fieret, de quibus altum tamen est silentium. Statum igitur majorum nostrorum talem fuisse qualem Estonum (iis cognatorum) describit auctor veteris *Chronici Livonici* (apud GRUBERUM, l. c.), qualemque et olim fuisse et hodie esse plurimarum gentium barbararum scimus, valde probabile est; ut nullum scilicet agnoscerent superiorem perpetuum, sed patresfamilias, necessitate aliqua ingruente coëuntes, illis uterentur ducibus qui inter caeteros fortitudine prudentiaque praecellere crederentur. Cum vero carmina narrationesque Islandorum (vid. ex. g. STURLESON, Ynglinga Saga C. 16 et 22), nomina Regibus foeminisque Finnicis tribuant plane Germanica vel Islandica, quae nec ullo pacto efferri a Fenno possunt (cui et F litera plane ignota), qualia sunt: *Sniö* (nix) cum filia sua *Drifva* (acervo nivis), *Froste* (gelu) cum filia sua *Skialf* (horrore s. tremore ex frigore); quis fabulae manifesta in his non deprehendat vestigia? Praeterea *Finnos* illos qui Norvegis Islandisque hoc nomine noti olim erant, non majores nostros, *Suomalaiset*, qui Fenni dici hodie solent, sed *Lappones* fuisse, res est certissima: et olim et

mentis [6]), aut adoptata praecipitantius a Clarissimis Viris

hodie Norwegi Lappones *Finnos* (Finner) appellarunt appellantque, ac terram eorum *Finniam* (Finnmarden), eaque appellatio per totum septentrionem solennis fuit; unde ad Germanos et per eos forte ad TACITUM quoque pervenerat. *Lapponum* contra nomen ad hanc gentem significandam serius esse adhibitum omnes fatentur, atque apud SAXONEM *Grammaticum* primo occurrere; cujus si auctoritas ac γνησιοτης admittatur, seculo tamen XII antiquius nomen non erit, ut igitur quae STURLONIDES aliique scriptores Islandorum antiquiores de *Finnis* commemorent, de Lapponibus intelligi debeant. Vel hinc liquet, auctorem Fabulae insulsae quae *Fundin Norregs* l. *Noregur* (Origines Norvegiae) dicitur, cujus fidem et auctoritatem, magni quondam factam, egregie elevavit Nobil. IHRE, Bref rörande den Isländska *Edda* etc. p. 26 sq.), aetate recentiorem esse, (ut de linguae ipsius habitu, manifeste recentiore, nihil moneam); apud quem *Lapponum* nomen antiquissimis rebus inseritur. Dubium adhuc est a qua gente *Lapponum* appellatio illis qui *Finni* olim dicebantur tributa primum sit; (cfr. tamen IHRE *Gloss.* hoc. voc.) quam contra ad nostros majores deinde, ob linguae cum Lapponica observatam vel creditam aliquam similitudinem, fuisse applicatam, (unde omnis ista provenit confusio), verisimile videtur.

[6]) L. c. Lappones ex Finnonibus oriundos, adeoque hos illis multo antiquiores esse septentrionis incolas, contendit. Quae igitur apud Islandenses de Finnis commemorantur non modo in dubium non vocat, sed de nostris etiam majoribus secure interpretatur; Lapponum gentem, quia nomen hoc recentius sit (apud SAXONEM demum, seculi XII scriptorem occurrens), recentiorem existimans; quem sibi errorem excutere, Finnicumque nomen de iisdem qui nunc Lappones dicuntur hominibus fuisse olim usurpatum docere, nec mos Danorum Norwegorumque a se commemoratus, *Lappones* hodieque *Finnorum* appellatione designantium, nec allatus a se SAXONIS locus valuit, ubi quae de Finnis (quos *Finmarchiae* dicit incolas Biarmiaeque vicinos) pronuntiat ille, ad Lappones manifeste spectant: *(Sunt Finni ultimi Septentrionis populi, qui quidem habitabilem orbis terrarum partem cultura ac mansione complexi. - - - Incantationum studiis incumbunt, venationibus callent, incerta illis habitatio est vagaque domus, ubicunque feram occupaverint locantibus sedes, pandis trabibus vecti conferta nivibus juga percurrunt.* Hist. Dan. C. V. p. 93 ed. Stephan). Temere traditiones de Lapponibus ex Finlandia a majoribus nostris ejectis, ad illorum ex his originem probandam adhibet: quae gentis utriusque diversitatem potius

hypothesi de arctissima gentis utriusque cognatione [7]), labefactetur. Gravia sane confirmant argumenta, serius quam

---

produnt. Linguae utriusque quam urget cognatio, si ei detur, illa tamen (aeque ac appellationis *Sabme* vel *Same* et *Sabmelats* vel *Samelats* cum nostrorum *Suomi* et *Suomalainen* similitudo) non alterius mox gentis ab altera ortum, sed stirpem modo utriusque communem demonstrare valet; nec ultra extendit, quem adstipulantem sibi laudat, CONRINGIUS. Habitus gentis utriusque, quem pro sua adducit sententia, si quid probare putetur, contrariam oppido confirmat. (Cfr. LINDHEIM *Observ. de diversa origine Finlandor. et Lapponum*, in *Novis Actis Reg. Societ. Scientiar. Upsaliensis*, Vol. II, p. 23, 24, 25). Traditio de *Jumi*, *Jumy* vel *Jumo*, pro communi conditore a gente utraque habito, nostris quidem popularibus prorsus est ignota; utrum Lapponibus placuerit, nescimus. TORNAEUS, quem ejus testem SCHEFFERUS adfert, in typis edito per D:n LOENBOM exemplo (quo tamen pleniore usus fuisse SCHEFFERUS videtur), hoc tantum habet: At en gammal tradition, den enn ålbern efter den andra, här (in confinio urbis Torneå?) hafwer kallat Lapparnas Stor-fader eller deras Patriarch *Jumy*, som war Magogs broder, then I Paralip. I kallas Javan, hwaruti det Finska folcket har kunnat felat, som war olärdt, och Bibliska Historier woro dem icke kunnige (Joh. Tornaei **Beskr. öfwer Torneå och Kemi Lappar**, Stockh. 1772, 8:o, p. 2): quae cujus furfuris sint, facile patet; a sciolo aliquo, qui Numinis apud nostrates appellationem *(Jumala)* ad primum gentis conditorem referre, ac cum *Javane* in S. Bibliis commemorato, fratre *Magogis* (Svecorum sc. progenitoris!) comparare instituit, conficta. WEXIONIUS, qui sententiam de Lapponum ex Fennis origine ante SCHEFFERUM, conjecturae tamen loco, attulerat, idoneis etiam ille pro ea adstruenda argumentis destituitur. Cfr. EJ. *Descr. Sveciae* L. II c. 15, L. III c. 27.

[7]) Confirmari illa solet partim arcta, quam inter linguam utriusque gentis intercedere docent, cognatione; partim appellationis (nuper a nobis commemoratae) quam sibi Fenni nostri et Lappones tribuunt, similitudine. Quod ad hanc primum attinet, nihil eam aliud significare existimare quis possit quam *terram* et *conterraneum* (ut hodie Estones regionem suam nullo alio appellant nomine quam meie maa, *nostram terram*, et *Estonem* significaturi dicunt temma on meie maalb, *ille est ex nostra terra;* cf. SCHLÖZER **Nordische Gesch.** C. VI, § 7, p. 493) atque *Slavicae* aut forte *Letticae* linguae primos debere natales, a quibus vicinis suis et nostrates et Lappones eam mutuati sint? *Sem* certe, *Semme* aut *Zeme* Lettis et Litthauis, *Semla* vel *Sem-*

vulgo creditur Fennos nostros ex subjectis hodie Russorum dominationi provinciis, inter Caspium mare et sinum Fen-

lia Russis, *terra* appellatur; unde *Novaja Semla* (nova terra), *Vid-Semme* (h. e. Letthia), *Slowenska Zeme* (Croatiae pars inter fluvios Dravum et Savum), *Kreewa-Semme* (Russiam sic Letti nominant), *Samland* seu *Semland (Sembia* vel *Sambia)*, Pars Prussiae, *Semgallen (Semgallia)* regio Curlandiae, etc. non minus quam Lapponum *Same* et nostrum *Suomi*, nomen acceperunt. Quo loco errorem simul eorum notamus, qui prae ignorantia linguae Fennicae nostram Finlandiae appellationem ex vocabulis Fennicis *Suo* (palus) et *Maa* (terra, quod illi *Seme* cognatum videri queat?) compositam esse autumant, *terram*que *paludosam* significare; cum tamen nomen simplex sit, nec *Suomaa*, sed *Suomi* (syllaba ultima etiam correpta) audiat, ac in forma composita *Suomen-maa* terra Fenniae): quod autem hinc nostri sese *Suomalaiset* appellant, eodem fit more quo Svecus a *Ruotzi* (Svecia) nobis *Ruotzalainen*, Lappo autem promiscue vel *Lappi* vel *Lappalainen* nominatur.

Ad cognationem linguarum Fennicae et Lapponicae quod attinet, non quidem nullam esse, contendere volumus, sed neque tamen adeo esse insignem et propinquam dare possumus, ac vulgo defenditur. Attendi omnino merentur rationes quas pro contraria tuenda opinione attulit Nobil. LINDHEIM l. c. p. 4 sqq. Ante quem eandem tulit sententiam TORNAEUS, (l. c. p. 5—8) cujus testimonium eo censeri gravius debet, quo fuit linguae utriusque peritior. Nec eum solum ita olim judicasse, ipse indicat SCHEFFERUS (l. c. p. 52 sq.), ubi docet *supra a se nominatos viros doctos* (nominaverat autem praeter TORNAEUM, etiam NIURENIUM et PLANTINUM, saepius laudatos sibi auctores) contendere *gentis utriusque* (Fennicae puta et Lapponicae) *linguas ita inter sese esse diversas, ut appareat cuivis, unam ab altera non posse esse derivatam, eoque magis sibi* hac in re *tribuendam fidem, quod essent linguae utriusque periti.* Nobis certe linguam utramque diligenter conferentibus, quoad Grammaticas quidem leges notabilem in multis habere convenientiam deprehensae sunt, (licet in multis etiam vehementer differant); vocabula autem primae quae videntur necessitatis, quibus solis comparandis tutum de linguarum affinitate judicium instituere licet, contendentes, spe pauciora invenimus quae communem stirpem proderent, nec exiguam etiam verborum hujus generis Svecicorum Lapponicis cognatorum colligi posse copiam reperimus: pleraque autem Lapponibus propria et domestica visa sunt. Quod ne temere nos dixisse quis putet, indicem, fidem asserto facien-

nicum interjectis, ad has quas hodie incolunt sedes commigrasse [8]), ac alii prorsus quam Lappones vitae generi jam

---

tem, Appendicis loco adjiciemus; cui Svecicam simul atque Germanicam interpretationem adjunximus, ut pateat quanto hae linguae propriori manifestiorique quam Fennica et Lapponica inter se cognatione conjungantur: similique consilio Estonica cum Fennicis comparandi, harum rerum curiosis opportunitatem exhibuimus. Caeterum observari debet, mirum videri non oportere, si linguae gentium vicinarum, inter quas per plura secula commercium intercessit, quarum altera alteram tributariam fecit, insigni idearum copia auxit, religionisque et literarum beneficio beare studuit, non levem ostentent similitudinem. Dubium nullum est, quin Lappones, imprimis Fennis viciniores, multa sua vocabula Fennicis jam similia, recentioribus seculis a Fennis, etiam praeter necessitatem, (aeqve ac a Svecis, ex. g. *Smakot* gustare, *Svarot* respondere) mutuati sint. Nec Fennos etiam, Lapponibus viciniores, nulla ab his accepisse vocabula, probabile est: quorum apud rusticos nostros septentrioni propiores reperire utique licet exempla. Haec itaque satis ostendunt, valde doceri incommode, vel Lapponum idioma (incolarum hujus terrae antiquiorum) natales a Fennico ducere, vel hujus esse dialectum habendum; minus etiam idoneo judicio quam si Latinam linguam nil nisi dialectum esse Graecae, pronuntiare quis non dubitaverit.

[8]) Praeter adducta jam pro demonstrandis antiquioribus Lapponum quam nostrorum majorum in septentrione atque adeo in his terris sedibus, argumenta; nec alia desunt eandem confirmantia sententiam. Fennos nostros huc migrantes agriculturae artem (imprimis illam quae silvarum exustarum cineri semina mandere docet, Svecis Swedjebruk), nec non domestici pecoris usum, secum adduxisse, vel copia docet nominum et verborum ad has res significandas pertinentium, nobis vernaculorum, neque a vicinis vel Russis vel Svecis, (ut multarum aliarum rerum vocabula) acceptorum. (THUNMANNI tamen vix audemus judicium probare, qui Svecos omnia fere nomina instrumentorum ad piscaturam pertinentium, vocabulaque multa rem nauticam, agrariam etc. spectantia, a Fennicis mutuasse gentibus, contendit: Unterſuch. über die alte Geſch. einiger Nordiſchen Völker, p. 76). Gens autem agricola imperio diu carere civili vix potest: quare libertas nostrorum naturalis tempore irruptionis Svecicae udhuc illaesa, recentiorem gentis ad has sedes adventum prodere videtur; qui vastitate quoque superiorum provinciarum, (ubi Lappones diu post oram maritimam Svecis jam subjectam commoratos adhuc fuisse, paucosque Fennos, illorum

tum adsvetos, maritimam primum Sinus Fennici ac postea etjam Botnici oram occupasse, Lapponesque hic commorantes exturbasse [9]). Quos ex interioribus etiam deinde terrae partibus sensim ejicientes, ante tamen quam in firmam satis va-

exemplo non nisi piscatui atque venatui deditos, consedisse constat) confirmatur. Cfr. Tidn. utg. af et Sällsk. i Åbo a. 1785, Bih. p. 57 et p. 118—125. Si fide nobis certa constaret, *Cvenas* illos quorum mentio fit in *Periplo* OTHERI, (vid. LANGEBEK *Scriptores rer. Danicar. medii aevi*, T. II p. 112 sq.) nostrae gentis fuisse propaginem; majores nostros IX jam seculo terras has septentrioni vicinas habitasse, indubio confirmaretur testimonio. At vero verba OTHERI, (quorum textum, qualis editus legitur, nec omnino sanum esse, suspicamur?) potius *Norrlandiam* hodiernam quam *Ostrobotniam Cvenis* sedem assignare videntur: quamvis non parum blandiatur nobis insignis inter *Cvenas* et *Cainu, Cainulainen*, (unde arcis ditionisque *Cajaneburgensis* appellatio), quo nomine Savones et Careli *Ostrobotniam* atque *Ostrobotniensem* appellant, similitudo; fortasse autem per errorem, orientalis ripae incolis nomen quod ad occidentalis habitatores olim pertinuit, tributum postea fuit? Nescire nosmet etiam fatemur, qua fide tradat GANANDER (Praef. *Grammaticae Lapponicae)*, cujus auctoritate nititur Nobiliss. LINDHEIM (l. c. p. 8), nostram gentem adhuc a Norwegis (qui Lappones *Finner* dicunt) *Quaener* vocari? fortassis per similem hoc ab illis fit errorem? Quid de testimonio *Thorgnyi* apud STURLONIDEM *(Heims Kr.* T. I. p. 485 sq. ed. Peringsk.) sit censendum, qui dicit (initio seculi XI) *avum suum paternum memoria complexum fuisse Ericum Emundi Regem Upsaliensem, narrasseque eum suae potestati Finlandiam, Kyrialandiam, Estoniam Curlandiamque subjecisse?* aliis dijudicandum relinquimus: nec tamen improbabile videtur, seculo IX majores nostros has jam oras tenuisse.

[9]) Finlandiam nostram, olim incultam sylvisque obsitam horridis, commodas Lapponibus sedes ac Rangiferis illorum pastum praebuisse, dubium non videtur. Nec tamen omnes olim Lappones (ut nec hodie) Rangiferis pascendis vitam sustentarunt. Sic OTHERUS *Finnos* (id vero est *Lappones*) extremam Norwegiae oram habitantes, *hyeme venari, aestate piscari in vicino mari* (quod etiamnum factitant) *fuisse solitos* dicit, (apud LANGEBEKIUM l. c. p. 108); quod TACITI verbis fidem addit, atque improbabile non esse docet, eodem consilio lacus Finlandiae nostrae olim piscosissimos silvasque ferarum plenas eosdem frequentasse.

lidamque civitatis compagem coalescendi sibi potestas contingeret, a vicinis ipsi fuerunt subacti imperioque adjuncti. Instrumenti hos eosdem postea vice functos, quo pars magna Lapponum propius etiam ad septentrionem habitantium, Svecico subjecta sit sceptro, non ineptis doceri posse rationibus, putamus. Famosos nempe olim *Bircarlos* (Birkarlar), quorum imprimis opera hoc factum fuisse omnes consentiunt, Fennici initio fuisse generis [10]), a vero haud abhorret; qui vicinis nostrae orae Lapponibus primum subactis, latius paullatim extenso imperio remotiores quoque postea sint complexi, atque huic persequendo consilio, lucroque inde atque ex factis cum Lapponibus commerciis percipiendo, totos se dantes, occidentalem etiam sinus Botnici oram adierint, sedesque tandem illuc praecipuas transtulerint, quod scilicet majori etiam fructu cum accolentibus illas terras Lapponibus negotiari liceret, novis praeterea interim popularium suorum coloniis orientalem oram sensim occupantibus, finesque ita Lapponum coarctantibus, atque ipsi adeo summae eorum arctoae arci jam imminentibus. Quam sententiam quae confirment argumenta, paucaque praeterea quae clarorum olim horum Mercatorum rebus illustrandis idonea ad nostram pervenerunt notitiam, monumenta, Dissertatione hac Academica colligere atque complecti studuimus: sperantes fore, ut innocui conatus, symbolaque ad Patriae Historiae particulam pro virium modulo explicandam collata, mitiorem L. B. experiantur censuram.

§ II.

Bircarlorum in Lappones potestatem tempore demum Regis MAGNI *Ladulås* (circa A. C. 1277) ortam fuisse, ex

[10]) Quod non modo laudati jam SCHEFFERO BUREAUS, PLANTINUS ac NIURENIUS tradiderunt, ipso non improbante (l. c. p. 47, 48, 54, 55), quorum etiam sententiae adstipulatur Nobil. IHRE *(Glossar. Sviogoth.* voc. *Birkarlar);* sed ex instituto asseruit Maxime Rev. Dn. Doctor et Praepos. LENCQVIST, in dissert. quae legitur in Novellis Aboëns. (Tidn. utg. af et Sällff. i Åbo) a. 1778, p. 140—143, 148—150, 155—158.

scheda docet JOHANNIS BURAEI, Regni quondam Antiquarii, SCHEFFERUS [1]); nec ullam aut eorum aut juris sui factam antiquiorem mentionem reperimus. Narrat ita rem ille: *I Konung Magnus Ladulås tiidh voro Lapparne sit egitt folk. Och efter han icke kunne vinna them under kronan, böd han them som ville våga och komma them under Sverikes Krona, så ville han gifva them hina i händer til egendom. Ty gingo Birkarlarna til, som boodde i Birkala sochn, och gåfvo sigh in til them, dagtingadhe med them, på så många daghar eller tiidh, och thes emillan förraskade the them, och slogo många ihiäl och vunno them under sigh alt intil norra och västra siön, och fingo bref af Konungen, att the skulle hafva Lapparna, som än tå boodde uth med Botnen, med allan skatten och Laxfisken, allenast att the goffvo Kronan några timber gråskin till een vederkännelse. Theraff blefve thesse Birkarlarna svåra mächtige och riike*, etc. Quae ejus narratio multis memorabilis est nominibus. Verisimile primum videtur BURAEUM, virum Svecicarum minime imperitum, caussamque habentem nullam cur de his rebus falsa pro veris, vel incomperta pro compertis confidenter adeo venditaret, idoneis fideque dignis nixum monumentis ista tradidisse. Deinde, et Lappones de quibus subjugandis agitavit Rex, utramque sinus Botnici oram adhuc tum inhabitasse docet [2]), et qui expellendorum illorum exsecuti sunt

[1]) L. c. p. 54, et p. 151, 152, 158. Reperiri Schedam istam in Collectaneis Ejusdem MStis ad Antiquitates Sviogothicas pertinentibus, quibus nomen dedit *Sumla*, ibid. p. 151, significat, (de quibus collectaneis vid. SCHEFFERI *Svec. Litterat.* p. 52 sq. ubi in Collegio Antiquitatum asservari dicit); verba dedimus qualia apud SCHEFFERUM (utroque loco collato) leguntur, male illa quidem habita et Typographicis foedata erroribus, quorum turpissimos correximus.

[2]) Quare immerito vapulat NIURENIO et STECKSENIO DAMIANUS A GOES, quod scribat (SCHEFFERO testante) *Lappiam mari Bothnico interjecto in Orientalem et Occidentalem dividi, cujus aequoris extremum Tornia sit* etc. Quae verba, si antiquiora spectemus tempora, *absurda* dici non debent. Cfr. SCHEFFERUS l. c. p. 14 et 15; atque ISR. STECKSENII *Disp. de Vestrobotnia* (ed. Ups.

consilium Bircarlos, Fenniae fuisse incolas, paroeciam Tavastiae *Birckala* inhabitantes; quorum perfidae quas in Lapponibus opprimendis exercuisse dicuntur artes, a moribus temporis, quibus nihil non in paganos licere existimabatur, haud abhorrent. Nec alio putamus niti fundamento quas vel NIURENIUS [3]) vel PLANTINUS [4]) habent narrationes, a SCHEFFERO allatas, de Lapponibus e Tavastia oriundis atque a Tavastis deinde Bircarlisque hostiliter vexatis, nisi partim hanc (a BURAEO explicatius expositam) de Bircarlorum moliminibus memoriam, partim traditionem, cujus supra meminimus, antiquam de Lapponum gente a Fennis olim, ut ex reliquis Fenniae regionibus ita e Tavastia, expulsa; cujus utriusque vestigia famae, varie tamen corruptae, in duumvirorum illorum verbis haud obscure agnoscas. Ita enim NIURENIUS: *Praefato tempore nativitatis Christi evenit, aliquot familias Finlandiae ex Birkala et Rengo Paroeciis, exiliisse nemus Tavastiae, et ad littora Ostrobothniae, ubi jam Nerpis et Mustasari, tum temporis a nullo mortalium habitata, stativa et sedes suas fixisse, ibidemque sine ulla, qua Finni vexabantur in patria, tributorum molestia, summa*

1731, 4:o) § XII et XIII p. 18—21. De libro DAMIANI A GOES vid. WARMHOLTZ *Biblioth. Hist. Sveo-Goth.* P. I, p. 253 sq.

[3]) M. OLAUS PETRI NIURENIUS, Pastor et Praepositus Umoënsis, quem *de Lapplandia tempore Gustavi Adolphi scripsisse* testatur SCHEFFERUS *Lapp.* p. 3 sq. et cujus *Descriptionem Lapponiae* MSC. in Bibliotheca Upsaliensi asservari docet IONAS EL. ASK Disp. *de urbe Uma* p. 23 § III not *d*) Cfr. p. 30 § VI not. *b*).

[4]) ZACHAR. PLANTINUS, filius laudati mox. OL. NIURENII, cujus *Praefationem Lexici Lapponici ad se missam* saepius citat SCHEFFERUS. Cfr. l. c. p. 5, 46, 47. Apud Lappones, et in Vestrobotnia ubi hi duumviri habitarunt, antiquam hanc famam vix aliter propagatam conservatamque credas, quam Bircarlorum opera, quorum ultimas in illa regione sedes fuisse, constat. Nec improbabile est, eo ordine quo haec traditio refert, rem evenisse, Bircarlosque suam in Lappones potestatem extendisse; sc. ut vicinam primum Ostrobotniam inhabitantes vel subegerint, vel durae metu dominationis fugaverint, ac deinde in ultimum usque persecuti sint septentrionem.

in tranquillitate multas acquisivisse merces, easque quotannis reportasse et venales proposuisse patriotis. Inde coeperant excellere mirum in modum splendido amictu, delicato victu, opibus et ornamentis, ut exinde eos summa frui felicitate verissime concluderent. Peraegre id videntes et ferentes Tavasthi, quorum provincia fuere egressi, Mathiam quendam sua gente clarum in directorem et ducem elegerunt, qui magna Tavasthorum multitudine stipatus, in eorum domicilia irrupit, omniaque rapinis involvens, non prius destitit quam eos ex suis sedibus ad fluvios Chimi et Torne pepulisset. Nec diuturna interjecta mora, cum aliquot elapsis duntaxat annis facti sunt certiores, ejectos et dissipatos non incommode apud praefatos fluvios vivere, iterum eos summo adoriuntur nixu, et tum eos tam inhumaniter tractarunt, ut sine jumento quopiam, vel quibusdam pecoribus in ea, ubi jam vivunt, deserta, solis retibus retentis, cogerentur se recipere [5]). Ac postea: *Mentionem feci cujusdam Matthiae, debellandis Lappis et depellendis in Septentrionis ultimam solitudinem ducis Finnonum. Hunc perhibent nonnulli fuisse ex nobilissima Kurkorum stirpe in Finlandia, et in impressione et irruptione illa non desiisse eos vexare, priusquam ei annua polliciti sunt tributa. Pertaesus tandem molestissimi et longissimi itineris, fertur cum quibusdam in Birkarla Tavastiae parochia permutationem inchoasse, et pro subjectis Lappis ceu pacto vectigali pagos quosdam in Finlandia recepisse. Unde subsequutum est, quod etiam verissimum, Lappos quotannis Birkarlis usque ad annum 1554 pendisse pactum vectigal, et praeter Birkarlos nemini licuisse cum eis mercaturam exercere. Senes aliquot in vivis sunt, qui se vidisse narrarunt literas et pacta Kurkorum a Johanne Nilson in Ersnäs parochia Lulensi reservata* [6]). Recte observat SCHEFFE-

[5]) Apud SCHEFFERUM l. c. p. 48.

[6]) Ibid. p. 55. Addit PLANTINUS, referente SCHEFFERO, *Andream Andressonium* (*Andreae* f.) civem Pithensem, qui postea factus fuit Oeconomus Scholae Lapponicae, *testatum esse, se vidisse literas veteres, in quibus unus ex praefectis Lapponum* (Bircarlis) *Kurk nominetur*. L. c. p. 48.

RUS [7]), absurde has migrationes irruptionesque ad aetatem a nato Christo proximam referri, potiusque temporibus convenire Regis MAGNI *Ladulâs* (ac partim paullo superioribus). Nec dubitamus, quin ad Lapponum majores per errorem pleraque traducta sint, quae ad Fennos, illorum hostes, atque ad *Bircarlos* pertinent; e quibus *Matthiam* illum *Kurkium* unum fuisse, Regioque diplomate indultum sibi jus in Lappones exercuisse, valde est probabile. Nihil etiam impedit, quo minus is (suive haeredes) illud aliis porro concesserit, aut cum his permutationem, praediis quibusdam in Finlandia (pro isto suo in priores possessores jure transferendo) receptis, fecerit, talesque literae et pacta Kurkorum, seculo adhuc XVI superfuerint. Neque quod PLANTINUS ex Lapponum commemoratione narrat, alio spectare videtur. Ita enim ille: *Confessi sunt* inquit *illi ex nostris intelligentiores, interrogati, eductos se ex Finlandia, ductore quodam Thins Kogreh;* ac porro adjicit: *Traditur, primum suscepisse migrationem sui ingratiis magistratus. Nimirum oneribus pressos, quam essent ferendis gravioribus, relictis avitis suis in Tavastia circa Brokarla* (Birckala) *et Rengo arvis, vastam, quae Tavastiae dicitur, penetrasse primum sylvam, nec ante, quam ad incultum australe, quod in Ostrobothnia tenet, sinus Bodici substitisse littus. Ubi primas post primos errores cepisse sedes - - - - Ipsi ipsorum antea conterranei, sive justa impulsi ob desertas improbe pristinas sedes ira, sive perdito aliquo perditarum sororum avaritiae atque invidiae perciti aestro, sive etiam utroque, ipsos, duce quodam, ut fertur, Matthia Kurk, bello adoriuntur internecino, caedunt, spoliant, totoque demum latissimo illo laetissimoque tractu pellunt: primum quidem misere ad inclytos Salmonum piscatura fluvios, Torna et Kimi, mox vero miserrime in ipsa usque, quae jam tenent, Alpes utrinque contingentia deserta* [8]). Ac facile quis crediderit, ipsum illum celebratum Lapponibus *Kogreh*, eundem esse *Kurkium*, nomine ut fit, a Lappo-

[7]) Ibid. p. 48 sq. 54 sqq.
[8]) Ibid. p. 47 sq.

nibus corrupto; qui sua cum Bircarlorum consiliis (horum sc. sibi commemoratione familiaribus) fata confundendis, ex hoste ductorem tandem suum praefectumque effinxerint?

§ III.

Pronissima ad fidem haec testimonia, de orto sc. in Tavastiae confinio per Bircarlos Lapponum *subjugandorum* consilio, (quos *propulisse*, Fenni hactenus contenti fuerant), primisque ejus exsequendi factis in Ostrobotnia experimentis, atque extensis deinde sensim ad fluvios septentrioni propiores, ac porro per Vestrobotniam et quam hodie dicimus Lapponiam, eorundem expeditionibus; temporum quoque illorum diligenter considerata ratio, monumentaque rerum haud dubia, egregie confirmant. Ut laudatas supra traditiones nostrorum, de expulsa, non longissimo abhinc tempore, ex superioribus Fenniae provinciis gente Lapponum, non repetamus; assignatum Bircarlorum conatibus tempus (circa A. C. 1277) ab expeditione Ducis *Birgeri*, Tavastos primum subjugantis (circa A. C. 1249), non longius distat, quam ut hanc illis dedisse ortum, valde queat probabile videri. Non jam dicam, haud abhorrere a vero, Svecos victores subactis Tavastis in vicinos quoque Lappones extendere imperium voluisse, zelo religionis Christianae propagandae vel incitamentum sibi vel praetextum facile suggerente; pellium etiam mercatus et frequens illis temporibus et proficuus, Tavastis jam antea vix incognitus, cui materiam venatus Lapponum opportunam uberemque praebebat, idem hoc sponte parere consilium potuit. Ac diu postea incolas paroeciarum Tavastiae (a qua Satacundia accurate nondum fuit distincta), sylvas, piscatus, remotioresque tractus (nostris *Erä-maat* dictos) in regione limitanea, Ostrobotniae vicina possedisse, nota res est [1]); quorum quidem hoc dominium non modo ad ulteriores etiam Ostro-

[1]) Cfr. Tidningar utg. af et Sällſk. i Åbo a. 1776 p. 67—72; a. 1777 p. 20 sq. 67 sqq.

botniae sylvas et piscatus olim se extendisse, sed *Lappones* quoque ipsos ea loca pererrantes, nominatim comprehendisse, literae sequentes planissime docent, e *Registro Ecclesiae Aboënsis* [2]) exscriptae:

De Kandala littera Magni Kaasa pro anima Bo Joansson 1390.

Teth see allom mannom vitherlikith, ath iak Magnus Kazi, fogothe i Tavastelandh, kennis mik met thesso mino opno breffue, mik haffva vnth ok giffuit Candalla gooz for hederlix manz siael, Boo Joanssons, vnder sancte Henrics Kirkio j Abo, ok sva met skelom: aer thet sva, ath aervingiaena vilia thet for:da gooz ather lösa aff Domkirkione for C mark svenska peninga, tha skal thom thet staa j vidherbydhi; Tha Domkirkion haffuer the for:da C mark, som forre sakth aer. Fframledis affhaender jak Magnus Kazi thet for:da goozeth vndan Boo Joanssons arffvm, gud hans siael haffvi, ok undir sancte Hinrix Kirkio i Abo, som forre sakth aer, med aker ok aengh, skoogh ok faegang ok fiskevatn, ok vthan ok innan, met allom tillagom, som thy gooz tilhörir ther thet ligger. Framledis aer vndan skilth thera jkornaskoga ok thera fiskewatn, som ligger noor j Botnen, ok swa the Lappa, som vnder then gardhen varit haffuer. *Til thaess mera visso, tha hafver iak, Magnus Kazi, skooth thet for:da goodz vndher Domkirkion j Abo, a sattho tinghe j Saris, met enom forskelomanne, som aer Claus Diaegn, Domare i Tavastelandhe, ok met XII fastom, som haer epter naempnas, som aer först Lauris aff Thartila, Andris ther sama statz, Nicles j Sillathaka, Thïidheman aff Kalalax, Andris aff Kyas, Mikkel aff Saris, Olli Kennoynen, Heycki aff Lauchiala, Jvnne aff Vrdhiala, Paual af Woolth, Heyki aff Kylmakoski ok Heyki aff Konholtha. Til thaess mera visso ok vitnissbyrdh, tha haenger iak Magnus Kazi mitth incigle for thetta breff, med Claus Diaegns incigle, Domare ther-*

[2]) Vulgo *Åbo* **Domkyrkas Swart-Bok** dicto, (de quo Cfr. Tidn. utg. af et Sällsk. i Åbo a. 1782 p. 849 sq. et a. 1785 Bih. p. 83 sq. Not. *); ubi exstant hae litterae fol. 150.

sama statz. Scriptum Saris Anno D:ni M°CCC°XC° in vigilia epiphanie D:ni.

Apertius nihil esse potest, quod ex his literis liquet, (centum fere annis post ortam Bircarlorum societatem scriptis), Tavastos per Ostrobotniam quoque, parum adhuc cultam, late dominium exercuisse, nec silvas modo venatui aptas et piscatus, etiam a suis domiciliis remotiores (norr i Botnen), sibi vindicasse, sed *Lappones* quoque ea loca antea tenentes, servorum instar glebae adscriptorum, subjectos tributariosve factos, fundis suis annexuisse; quod vim adhibitam et consilia talia, qualia Bircarlis tribui supra vidimus, non obscure prodit.

§ IV.

Negatum tamen nullo modo volumus, Tavastos, (id quod etiam allatae supra traditiones produnt) jam ante haec tempora quibus Bircarli Lapponibus subjugandis animum adjecerunt, terminos suae regionis egressos silvam magnam quae Tavastiae dicitur pervasisse, jugoque quod Ostrobotniam quasi munit (Landtrygge) superato, in meridionalem hujus provinciae partem sese diffudisse, ac Lapponibus submotis, ad littora usque sinus Botnici esse progressos. Confirmatur haec res Historia belli a Duce Birgero contra Tavastos suscepti, qualis a scriptoribus Svecis traditur; qui exercitui ejus navibus egresso hostes mox obviam venisse narrant [1]). Addit ad breves antiquiorum narrationes Messenius, pro more suo multa, pleniorem nobis exhibens expe-

[1]) Vid. *Chronicum majus Rhytmicum*, ed. Hadorphii. p. 22; quamvis dubitare lector intelligens nequeat, quin mendaciunculis inspergendis apparatuque bellico et victoriae (a miseris barbaris reportatae!) splendore magnifice pro sui modulo ingenii praedicando, poëtam se auctor praestare studuerit. Sequitur eum Ericus Olai, addens etiam *Svecorum navalem exercitum applicuisse portui Tavastorum.* Qui tamen ubi locorum situs fuerit, non significat. *Hist. Svecor. Gothorumque* p. 108 sq. ed. Messen. a. 1615 4:o. Cfr. Nobiliss. Lagerbring Swea Rikes Hist. T. II C. 12 § 40.

ditionis hujus descriptionem [2]); sed quibus nixus monumentis eam adornaverit ignorantes, tam novo auctori de rebus his antiquis fidere non audemus [3]). Post Bircarlorum vero societatem confirmatam, consiliumque ab his captum Lapponicae gentis non tam exterminandae quam sibi subjiciendae, multo latius illi fines dominationis suae celeriter ex-

---

[2]) Dicit ille: *(A. 1249) Ericus Sveciae Rex, Finnorum provocatus borealium piratica, transmisso illuc exercitu, per affinem directo Birgerum Jerl, plerosque Ostrobotniensium, ad arma convolantium prosternit; his novos ex Svecia colonos sufficit; Ethnicos ad Christum superstites convertit, in binas cum Svecis divisos parochias, Pederborensem* (Pedersörensem) *scilicet et Muserensem* (Mustasarensem); *occasionemque rebellandi erepturus illis, praesidium erigit, Korsholmense, sub quo et civitas deinde consurgit.* Scond. Illustr. T. X p. 9. Cfr. EJUSD. *Chron Rhythm. Finland.* (ed. Aboae 1774, 8:o) p. 18 et 19.

[3]) Si piraticam exercuisse, quod idem ait, hujus orae incolas sive Tavastos sive Ostrobotnienses, certum sit; credibilior videri queat narratio *Chronici Rhythmici*, cui adstipulatur ERICUS OLAI (vid. l. l. c. c.) barbaros de adventu Svecorum tempestive fuisse edoctos, iisque resistendi consilia instruxisse ac vires haud spernendas comparasse. Russis autem Tavastos illo tempore subjectos fuisse, quod Chronici ejusdem auctor suspicatur, canens

Thet ſamma land wart alt Chriſtit,
Jak **trodr** thet Ryßa Konunger miſtit,

non videtur probabile; quamvis amicitia fortassis societateque cum iis, ac imprimis Careliis eorum foederatis, fuisse conjunctos, a vero non abhorreat: metu armorum Svecicorum, religioni suae non minus quam libertati inimicorum, Fennicas nationes habente sollicitas. In Bulla certe Papae *Gregorii* IX, ubi de immanitate Tavastorum et crudelitate in Christianos queritur, dicitur eos „*procurantibus inimicis crucis prope positis* ad antiqui erroris reversos perfidiam, *cum quibusdam Barbaris* novellam Ecclesiae Dei plantationem — subvertere.“ (Vid. VASTOVII *Vitis Aquilon.* p. 176, ed. Colon. GRUBERI l. c. p. 261, vel RAINALDI *Annal. Eccles.* T. 13 p. 457). Circa haec etiam tempora Russos (sc. Novogrodenses) imperium in Carelios affectasse, atque partim acquisivisse, constat. Vid. TORFAEUS *Hist. Norveg.* P. III p. 266; cfr. MÜLLER Saml. Rußiſcher Geſch. V B. p. 419.

tendisse reperiuntur [4]). Initio enim seculi XIV controversias jam inter illos et Helsingos de limitibus juribusque aliis fuisse, ex literis patet, quas illarum consopiendarum caussa a *Canuto Joannis*, Dapifero Regis Magni (adhuc pupilli) datas, in lucem edidit PERINGSKÖLDIUS [5]). Docent hae lit-

---

[4]) Cum qui dux eorum editur *Kurkius*, praenomen *Matthiae* habuisse dicatur; dubium non est, quin post tempora Christianae religionis in Tavastiam introductae ille vixerit. Non facit autem nihil ad veterem confirmandam traditionem, qua *Bircarli* Fennicae fuisse propaginis perhibentur, vocabulorum Lapponicorum quae mercaturam spectant, nec domestica Lapponibus fuisse videntur, fere omnium origo manifeste Fennica: non tam cum Svecis, quam cum Fennis prima eos olim commercia exercuisse, prodens. Sic *Astet*, emere (Fennice *Ostaa*), *Arvo* pretium (F. *Arvio*), *Raha* pellis ferina carior, it. pecunia cujus nempe loco adhibita fuit (F. *Raha* pecunia), *makset* debitum persolvere (F. *maxaa*), *Welke* aes alienum (F. *Welka*), *Tawer* thesaurus (F. *Tavara*), *Lokket* numerare (F. *Lukea*) etc pure Fennica sunt.

[5]) *Monum. Upland.* L. I, C. I, p. 5; quas quia breviores sunt, exscriptas dabimus. Ita vero habent: *Nos Kanutus Joansson, illustris Regis Sweciae ac Norwegiae Dapifer, tenore praesentium ad publicam deducimus notionem, quod anno Domini MCCC vicesimo octavo, die Lunae, ante nativitatem beatae Mariae Virginis proxima, in Parlamento Telgis habito, inter Helsingos ex parte una, et* Birkarlaboa *ex parte altera, in praesentia nostra taliter extitit placitatum: videlicet quod extrema pars Helsingiae versus aquilonem, quae ad amnem dictum* Ulo *et stagnum* Ulothräfft *usque protenditur, inhabitari et utique coli debeat absque impeditione et inquietatione cujusquam, secundum tenorem literarum Domini nostri Regis super hoc antea collatarum, quas semper in suo vigore convenit inviolabiliter observari, et quibus per praesentem placitationem in nullo penitus derogetur; ab hiis tamen qui per Officialem Domini nostri Regis in Helsingia constitutum illic ad habitandum loca susceperint, sive* Birkarla *fuerint, sive alii quicunque, tributum antequam Dominus noster praedictus legitime annos aetatis attigerit, nemo levare debebit. Qui etiam Officialis inter illos qui illic caeperint habitare, de negotiis emergentibus jurisdictionem habebit, et justitiae faciet complementum. Item extitit placitatum quod homines silvestres et vagos, vulgariter dictos* Lappa, *in suis venationibus nullus debeat impedire, nec etiam praefatos* Birkarlaboa *ad*

terae *Bircarlos*, qui *Birkarla* et *Birkarlaboa* promiscue dicuntur [6]), non modo commercia cum Lapponibus, Helsingiae (ad quam tota quoque tum pertinuit Vestrobotnia) vicinis factitasse, sed eorum etiam jus liberum venandi asseruisse; quos, etiam qui occidentale sinus Botnici latus accolebant, late jam subegisse videntur [7]).

---

eosdem Lappa *accedentes, apud ipsos commorantes, vel ab eis cum suis rebus denuo revertentes; Articulo isto sicut et primo usque ad praefati Domini nostri Regis annos legitimos tantummodo perdurante. In cujus placitationis testimonium, praesentes literas nostri Sigilli munimine duximus roborandas. Datum anno, die et loco supradictis.*

[6]) Quod observavit jam SCHEFFERUS, qui literis his usus est; et hinc confirmari traditionem de oriundis ex *Birckala* paroecia Tavastiae *Birkarlis*, collegit, l. c. p. 156.

[7]) Vestrobotniam nuper coepisse colonis frequentari, ex his iisdem patet literis, quos partim Helsingos fuisse, partim Bircarlos, docent: qui novi habitatores, Lappones propius versus montes Norvegicos a sinus Botnici vicinia rejecerunt; unde Bircarlis, liberum sibi ad Lappones (quibuscum sibi solis negotiandi jus fuit) per Helsingorum ditionem transitum stipulare necesse fuit. Cfr. LAGERBRING l. c. T. III C. 3, § 13. Eodem tempore orientalem quoque oram Lapponibus ereptam novis incolis jam fuisse cultam, ex edictis patet Regis *Magni* atque Episc. *Hemmingi*, ad sacerdotes plebemque in *Salu* et *Kim* habitantes de pendendis decimis a. 1329 et 1335 datis, (vid. MATHESII disp. de *Ostrobotnia* p. 29 et *Novell. Aboëns.* a. 1785 p. 89). Hos tamen incolas, non *Tavastos* sed *Carelios* fuisse, ex testimonio patet edito a *Joanne* quodam *Langer*, occasione litis de limitibus inter Dioeceses Upsaliensem et Aboënsem olim agitatae, ubi inter alia legitur: *Dixit quod idem Dn Hämingus Archi-Episcopus* (inter a. 1342 et 1351) *protunc baptizavit in* Torni *circa viginti personas, tam de Lapponibus quam etiam de Karelis, habitantibus in Uloaa, Kim et Sim.* etc. Vid. PERINGSKIÖLD l. c. p. 4 et 5. Ostendunt haec omnia, Bircarlos Lapponibus semper imminentes, eosque migrantes acriter persecutos, non tam de terra eorum occupanda, quam hominibus ipsis subjugandis (quod solum jus illis tributum erat) fuisse sollicitos, studioque deditos lucri ex tributis ab his pendendis commerciisque cum iis factitatis reportandi, agros qui Lapponum olim fuerant, aliis colonis exercendos non difficulter permisisse.

Appendix.

Lapp.	*Fenn.*	*Eston.*	*Svec.*	*German.*
Åive	Pää	Pea, pä	Hufvud	Haupt.
Kallo	Otza [1])	Otsus	Panna, ånne	Stirn.
Tjalme	Silmä	Silm	Öga	Auge.
Njuone	Nenä	Ninna, nenna	Näsa	Nase.
Njalme	Suu	Su	Munn	Mund.
Padne, pane	Hammas	Hammas	Tand	Zahn.
Njuoktiem	Kieli	Keel	Tunga	Zunge.
Njår	Poski	Palg, põsk	Kind	Wange, Backen.
Pelje	Korva	Kõrv	Öra	Ohr.
Wuopt	Hiuxi	Juuksed	Hår	Haar.
Tjäpot	Kaula	Kael	Hals	Hals.
Tjådd, karas	Kurkku	Kurk	Strupe	Gurgel, Kehle.
Tjuros (niska, nekke)	Niska	Kuckal, kukker	Nacke	Nacke.
Ålke, hardo	Olka	Olla, piht	Axel, hårdar, skuldra	Achsel, Schulter.
Mjälga [2]) radde	Rinda	Rind	Bröst	Brust.
Nidtje	Nisä	Nissa	Spena	Spene.
Påktio, tjavelk	Selkä	Selg	Rygg	Rücken.
Tjåive	Vaza, maha	Maggo, kõht [3])	Mage, buk	Magen, Bauch.
Ertek [4])	Kylki, sivu	Kylg	Sida	Seite.
Kåt	Käsi	Kässi	Hand	Hand.
Suorm, tiute [5])	Sormi	Sõrm	Finger	Finger.
Pelge	Peukalo	Pãk, peial	Tumme	Daume.
Qwepper (kads)	Kynsi	Kyys	Nagel (klo)	Nagel (Klau).
Ruoit [6])	Reisi	Reis	Lår	Schenkel.
Puolw	Polvi	Põlw	Knä	Knie.
Njäts	Sääri	Seer	Ben, skenben, lägg	Bein. Schein-bein.
Juolke	Jalka	Jalg	Fot	Fuss.

---

[1]) *Kallo* Fennis est *Cranium.*
[2]) *Mieli* Fennis est *mens.*
[3]) *Kohtu* Fennis *uterus.*
[4]) *Ääri* Fennis *limes, margo, latus.*
[5]) Digitus manus l. pedis. Digitus pedis Fennis *Warvas.*
[6]) *Ruoju* Fennis *femur.*

Lapp.	*Fenn.*	*Eston.*	*Svec.*	*Germ.*
Påske	Kanda (kinttu)	Kand	Hål	Ferse.
Keppa	Keuhkul.kouhkot, täky pl. tädyt	Tău, kops	Lunga	Lunge.
Waimo, tsåkke	Sydän	Sydda	Hjerta	Hertz.
Warr, male, leipe [7])	Weri	Werri	Blod	Blut.
Tjårwe	Sarvi	Sarv	Horn	Horn.
Piårgo, ådtje	Liha	Lihha	Kött (fläsk)	Fleisch.
Tjåle	Suoli	Solik	Tarm	Darm.
Suona, suodn	Suoni	Soon	Sena	Sehne.
Wuoidnei, kåtjet	Katzoa, nähdä	Kaema, näggema	Se	Sehen.
Kullet	Kuulla	Kuulma	Höra	Hören.
Hapset	Haista	Haistama	Lukta	Riechen.
Smakot	Maista	Maistma	Smaka	Schmecken.
Tåbdet	Tuta	Tundma	Känna	Kennen, fühlen.
Avohet l. avoset [8]), kerjotet, sjabmahet	Iloittaa, (riemuita)	Rõmustama	Glädja, fröjda	Erfreuen, freuen.
Surgot	Sureta	Kurbastama (dolorem afferre)	Sörja	Trauern.
Valot	Valittaa	Hallastama	Klaga	Klagen.
Tjerot	Itkiä	Ikma	Gråta	Weinen.
Måratet	Vihastua	Vihhastama	Vredgas	Zürnen.
Kåtset	Valvoa	Valvama	Vaka	Wachen.
Ådet [9])	Nukkua [9])	Maggama	Sofva	Schlafen.
Pallet, starbet, åurot	Peljätä	Peljama	Rådas, frukta	Fürchten.
Katjat	Kysyä	Küssima	Fråga	Fragen.
Vastatet, svarot, tavestet	Vastata	Vastama	Svara	Antworten.
Tjodjot	Seisoa	Seisma	Stå	Stehen.
Vadset	Mennä, vaeldaa	Minnema, käüma	Gå, vandra	Gehen.

[7]) *Leppä* Fennis *cruor.*

[8]) *Avu* Fennis *virtus, dos mentis.*

[9]) *Uni* Fennis *somnus*, Lapponibus *ådem* et *nakkar*, Estonibus *unni;* pro eo autem quod est *dormire*, hi dicunt *cubare*, ob arctam ideae utriusque cognationem.

Lapp.	*Fenn.*	*Eston.*	*Suec.*	*Germ.*
Viäket, værret	Juosta	Jooksma	Löpa	Lauffen.
Mannet, reiset, matkostallet	Mennä, vaeldaa, matkustaa	Reisma, teed käüma	Resa	Reisen.
Tjåkkahet	Istua	Istma	Sitta	Sitzen.
Vållahet, jalkahet	Makaa	Maas, maggama	Ligga	Liegen.
Piäbmo	Ruoka, syömä	Roog, sõõk	Mat, spis	Essen, Speise.
Piäbmotallet, pårret [10])	Syödä	Sõmä	Äta	Essen.
Kasket, pårret, suosket, stållet	Purra	Purrema	Bita	Beissen.
Jukket	Juoda	Joma	Dricka	Trinken.
Nelget	Nelkä	Nälg	Hunger	Hunger.
Kåikelvas	Jano	Janno	Törst	Durst.
Njålet	Niellä	Neelma	Svälja	Schlucken.
Njålot	Nuolla	Lackuma	Sleka	Schlecken, lecken.
Piägget, pusset	Puhua, puhaldaa	Puhhuma	Blåsa	Blasen.
Vuoignestet, lagket, addanet	Hengittää	Hõngama	Andas	Athmen.
Pjåvastet	Hikoilla	Higgistama	Svettas	Schwitzen.
Påkostet, tjaimetet	Nauraa	Naerama	Skratta, le	Lachen.
Kålot [11])	Palella	Külmama	Frysa (algere)	Frieren.
Kalmet	Kylmettyä, kylmendyä, kahoittaa	Kahhotama	Frysa (congelascere)	Frieren.
Pateret	Paeta, karata	Pakkema	Fly	Fliehen.
Viesot, tsakket, jelet	Elää	Ellämä	Lefva	Leben.
Jabmet, luitot, tsauketet, mutset	Kuolla	Koolma	Dö	Sterben, (Tod. *mors*).
Wuotjet	Ambua, joutella	Laskma	Skjuta	Schiessen.

---

[10]) *Purra* Fennis *mordere.*
[11]) *Kolko* Fennis *frigidus.*

Lapp.	*Fenn.*	*Eston.*	*Svec.*	*Germ.*
Påttjet	Lypsää	Lüpsma	Mjölcka	Melcken.
Kåddet, latket, iabmetet	Tappaa, kuolettaa	Tapma, surmama, kuoletama	Döda	Tödten.
Niuovet, skiddet, niasket, slaktet	Nylkeä, (teurastaa)	Nylgma	Flå, skinna, (slagta)	Schinden (Schlachten)
Quopastallet, näitot	Noitua, Loitzia	Noidma	Trolla, häxa	Zaubern, hexen.
Qwopes	Noita, velho, loizia (communis generis)	Võlho	Häxa, trollpacka	Hexe.
Wuossiet, tuoltehet, malestet	Keittää (kypsetä, kiehuttaa)	Keetma	Koka	Kochen.
Atije	Isä	Issa	Fader	Vater.
Edne	Äiti (emä)	Emma	Moder	Mutter.
Välja	Veli	Velli	Broder	Bruder.
Åbba, årben	Sisar	Sõssar	Syster	Schwester.
Ålma, kalles	Mies	Mees	Mann	Mann.
Qwujn	Waimo, naimen	Naine	Quinna	Weib.
Nisun,[12]) akka	Waimo, akka		Hustru, gumma	Frau, Weib.
Mana, jugio	Lapsi	Laps	Barn	Kind.
Pardne,[13]) alge	Poika	Poig	Son	Sohn.
Neita,[14]) daktar	Tytär	Tüttar	Dotter	Tochter.
Pådnie, kalles	Ukko, Äijä[15])		Gubbe	Greis.
Wuoras, rakke, åbme[16]) åmastum, tollots	Wanha	Vanna	Gammal	Alt.
Nuor	Nuori	Noor	Ung	Jung.
Åddå	Uusi	Uus	Ny	Neu.

[12]) Cognatum Fennico *Nisä*, Mamma?
[13]) Cogn. Svecico *Barn?*
[14]) *Neito, Neitzy*, Fennis *virgo.*
[15]) *Aija* Lapponibus *avus*; it. *tonitru.*
[16]) Cognatum Fennico *home* situs? Vetulam dicunt contemtim *homeh-korva, cui aures situ horrent.*

Lapp.	*Fenn.*	*Eston.*	*Svec.*	*Germ.*
Alme [17])	Taivas, ilma	Taivas, tuul	Himmel, luft	Himmel, Luft, Wetter.
Peive	Päivä, auringo	Päiv	Sol (dag)	Sonne (Tag).
Ask, mano	Kuu	Ku	Måne	Mond.
Naste, taste	Tähti	Täht	Stjerna	Stern.
Ija	Yö	Ö	Natt	Nacht.
Iddiet, aret	Aamu, huomen	Huome, ommuk	Morgon	Morgen.
Ekked	Ehto, ilta	Õht	Afton, quäll	Abend.
Qwolmo	Hämärä	Hämmärik	Skymning	Dämmerung.
Palw	Pilvi	Pilv	Moln	Wolcke.
Abre, rasio	Sade	Sado, vihm	Regn	Regen.
Muot, lobme	Lumi	Lummi	Snö	Schnee.
Jägna	Jää	Iä	Is	Eis.
Wiro, pjägg	Tuuli, myrsky, puuskaus	Tuul, tuisk	Blåst, wind, storm	Blast, Wind, Sturm.
Murko, rusn, kasad	Sumu, utu, kaasu	Uddsu, kaste	Dimba, töcken	Nebel.
Tjåstem, paiko, pruösse	Wilu, kylmä, pakkanen, kolko	Külm, villo	Köld	Kälte.
Niatso, slibdse	Suoja	Sulla	Blida	Thau-Wetter.
Filpetak	Kino, nietos	Ang	Snödrifva	Schneehaufen.
Tåll	Tuli, valkia	Tulli	Eld	Feuer.
Tjatse	Wesi	Wessi	Watten	Wasser.
Såv, mår	Meri	Merri	Haf	Meer.
Iaure, plueve	Järvi	Iärv	Sjö	See.
Kadde, tjärv, terbme	Parras, randa, ääri	ÄÄr, rand, Weer	Strand	Strand, Ufer.
Lukt	Laaxi, lahti	Merre-nurk	Vik	Meer-busen, See-b.
Snjiptjo	Hohku, liekki	Lek	Låga	Flamme, Lohe.
Pradde [18]) tjadd	Hiili, sysi	Süssi	Kol	Kohle.
Noffel	Kekälä	Tungel, põlletus	Brand	Brand.
Suowa	Sauwu	Sau	Rök	Rauch.
Kuna	Tuhka	Tuhk	Aska	Asche.

---

[17]) Significat *coelum*, etiam *aëris intemperiem*. Fennis *ilma* est *aër*, coeli aërisque conditio, Svec. Wäderlek.

[18]) Cognatum Svecico *Brand?*

Lapp.	*Fenn.*	*Eston.*	*Svec.*	*Germ.*
Iokk, ädno, kolkats	Joki	Iõggi	Elf, å, flod, ström	Fluss, Strohm.
Aja [19])	Lähde	Lätte	Källa	Qwille.
Suolo	Salo, saari, luoto	Saar	Ö, holme	Insel, Eiland.
Paro	Aaldo, Laine	Laene	Våg	Welle, Woge.
Ware	Wuori	Mäggi	Berg	Berg.
Kaisse, tuoddar	Tunduri		Fjäll	Gebirge, Alpen.
Tåwa. puold, meto [20]), vuosto, wera, nålt.	Ahde, mäki	Mää, kiink	Backe	Hügel.
Ådnam, elme, land.	Maa	Ma	Land	Land.
Pahte, klaipo, [21]) qworgo	Kallio, kari, Riutta, paasi	Kaljo, paas	Klippa	Fels, Klippe.
Kedke'	Kivi	Kivvi	Sten	Stein.
Ruomse, Måsan	Sammala	Sammal	Måsse	Mooss.
Suis, kiäwa	Suo, Newa	So	Kärr	Sumpf, Morast.
Launie, tarfe	Turwe	Mettas, turwas	Torf	Rasen, Torff.
Akke, grase	Ruoho	Roht, rohhi	Grås	Gras.
Åkse, suorge	Oxa, (haara)	Ox	Gren, quist	Zweig, ast.
Last	Lehti	Lehhet, leht	Löf, blad	Laub, Blatt.
Muorje	Marja	Marri	Bär	Beere.
Ruottes	Juuri	Iuur	Rot	Wurtzel.
Muor	Puu	Pu	Träd	Baum.
Wuobme, Wuowde	Metzä	Metz	Skog	Wald.
Sjaddet	Kasvaa	Kasvama	Växa	Wachsen.
Taggnas	Kanerwa	Kannarik	Ljung	Heide.
Leipe	Leppä	Lepp	Al	Erle, Eller.
Fåke	Koivu	Kõiv	Björk	Bircke.
Suppe	Haapa	Haav	Asp	Espe, Aspe.
Kuosa	Kuusi, Mändy	Tõrvamän	Gran	Fichte.
Kaskes	Katava	Kaddakas	En	Wachholder.
Petse	Honga, Petäjä	Män, Päddäjas	Furu	Tanne.

[19]) An a Fennico *ajan* pello, urgeo? unde *ajo* tumor.
[20]) Fennis *mättäs* altior cespes, tuber.
[21]) Svec. *Klippa.*

Lapp.	*Fenn.*	*Eston.*	*Svec.*	*Germ.*
Waissje, juttus	Eläin	Lojus, ellajas	Djur	Thier.
Stalpe, stakke, varg, Seipeg, qwotsanje	Susi	Sussi, hunt	Warg, ulf	Wolff.
Repe	Kettu, repo	Räbbane	Räf	Fuchs.
Niommel	Jänes	Jänes	Hare	Hase.
Bire, quoptia, puoldakas	Karhu, ohto, koudio, nalli	Karro	Björn	Bär.
Wadnem	Maja, majava	Majaja	Bäfver	Biber.
Tjäura	Sarva l. Saarva, Sauko	Saarva, saarm	Utter	Otter.
Nete, Mart	Nätä	Nuggis	Mård	Marder.
Årre	Orava	Orrav	Eckorn	Eichhorn.
Tjaske, Puoitek	Kärppä	Narrits, nirk, kärp	Hermelin, lekati	Hermelin, Wiesel.
Lafa	Kirppu	Kirp	Loppa	Floh.
Tikke, hårse	Täi	Täi	Lus	Laus.
Matok, suoksta	Mato	Us, maokenne	Matk	Wurm.
Kåtka, Kåtakes[22])	Muurainen, viholainen, Kusilainen	Sipplik, kus, sekuklenne	Myra	Ameise.
Kärbma	Kärme, mato	Maddo	Orm	Schlange.
Tjuoik	Hyttyinen, itikka, sääski	Sääsk, kihhud	Mygga	Mücke.
Snjära, tsäpanje	Hiiri	Hiir	Rätta, mus	Maus, Ratze.
Tjuroch	Kärväinen	Kärbne	Fluga	Fliege.
Ládde	Lindu	Lind	Fogel	Vogel.
Quele	Kala	Kalla	Fisk	Fisch.
Karres, puosiak	Kova,	Kovva, kange, karre	Hård	Hart.
Tibmok, lenok toikes, njuotses	Pehmiä	Pehme	Miuk, len, vek	Weich.
Kukkes	Pitkä	Pitk	Lång	Lang.
Ådne, ånekes	Lyhykäinen	Lyhhikä	Kårt	Kurtz.
Njuolgok, tseggot	Oikia	Õige	Rak, rätt	Gerad, recht.
Kawac, målkek, kråutjok	Wäärä, käurä	Kõvver, kokus	Krokig	Krumm.

[22]) A *Kådtiet* mingere.

Lapp.	*Fenn.*	*Eston.*	*Svec.*	*Germ.*
Stuor, jänjok	Iso, suuri	Suur	Stor	Gross.
Uitses, utije	Wähä, pieni	Lyhhike, vähhä	Liten	Klein.
Velkas, jeuje	Walkia	Valge	Hvit	Weiss.
Tiappes, Suortak	Musta	Must	Svart	Schwarz.
Nuopses	Punainen	Punnane	Röd	Roth.
Gruonas, gruodnes	Vihäriäinen	Rohhilinne	Grön	Grün.
Viskes	Keltainen	Kellane, kollane	Gul	Gelb.
Puotses, stäbtia	Sairas, kipiä	Tõbbine, haige	Sjuk, krank	Siech, krank.
Warres	Terwe	Terwe	Frisk, sund	Gesund, frisch.
Losses, leulok	Raskas, kangia	Kange, raske	Tung, svår	Schwer.
Keppes, keives	Keviä, köykäinen, huokia, helpo	Kerge, hõlpus kebia	Lätt	Leicht.
Käike, assnes, jagnas	Kuiva	Kuiv	Torr	Trocken, dürr.
Luvas, naives, nietses, njuoskes, suoldnos, täbbos	Märkä	Märg	Våt, fuktig	Nass, feucht.
Tjabbe, fauro	Kaunis	Kaunis	Vacker, skön, fager	Schön, hübsch.
Wastes, råbmes	Ruma	Illota, kurri, ropp	Ful	Hässlich, faul.

§ V.

Praeter allatas jam rationes: nempe *Lappones* olim in Finlandia passim fuisse vagatos [1]), eosdem tempore adhuc Regis MAGNI, quo prima Bircarlorum molimina incepisse, traditur, Tavastis contiguos fuisse, atque hos aliquos saltem illorum per Ostrobotniam dispersos, revera sub jugo tenuisse; praeterquam quod Litterae Drotzeti *Kanuti Joansson*, supra (in not. [5]) ad § IV) exscriptae, Bircarlos insignite nominent *Birkarlaboa*, et ab *Helsingis* [2]) expresse distin-

[1]) Etjam non procul a mari in vicinia novae Ecclesiae Fennicae, Lappones degisse ac in Christianos odium exercuisse, Bulla docet Papae *Gregorii* IX (data Lugduni a. 1230), Archiepiscopo Upsaliensi et Episcopo Lincopensi missa, jubens ut inhibeant, ne quis Christianorum, paganis in Karelia, Ingria, *Lappia* et Watlandia ferrum, arma vel ligna deferat aut apportet; quo eorum crudelitas in Svecos, avertatur. Vid. A. CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I p. 63; cfr. Diss. D:ni Praesidis in *Pauli Juusten Chronicon Episcoporum Finl.* p. 60 sq.

[2]) Difficile igitur fuerit credere, quod plurimis tamen nostris Historicis, SCHEFFERI auctoritate contemta, arridet, illos nil nisi *Rusticos Helsingos*, mercaturae deditos, fuisse. Nam ipsam provinciam Vestrobotniae ad *Helsingiam* pertinuisse, (quae ad fluvium Uleå se olim extendit), adeoque incolas illius indigenas Helsingis fuisse adnumerandos, dubio caret; cur igitur, si omnes novi coloni Helsingi erant, non modo indefinite adeo nominantur, *qui per Officialem — Regis in Helsingia constitutum illic ad habitandum loca susceperunt*, sed etjam additur: *sive Birkarla fuerint* (inter quos, *Birkarlaboa* eodem loco nominatos, et *Helsingos* pactionem factam fuisse, paullo ante significatur, mira locutione si generis *Helsingici* utrique habiti fuissent), *sive alii quicunque?* Ex quibus etjam Litteris non modo non liquet, Bircarlos antea et ab initio in Vestrobotnia habitasse, sed etjam contra, illos tum demum, loca fluvio Uloensi vicina occupare coepisse, effici posse videtur? — Caeterum vel hae Litterae, a. jam 1328 datae, probant minus accurate pronunciasse *D:num* SCHÖNINGIUM (Forſög til de Nordiſke Landes, ſärdeles Norges gamle Geographie p. 127 sqq.), Bircarlos tempore demum Unionis Calmariensis invenisse occasionem limites suos (fluvium Uloensem) transgrediendi et Lappones occidentalem sinus Botnici ripam tenentes adeundi: de jure enim commercii cum Lapponibus faciendi, ut antiquo et minime dubio, loquuntur.

guant: alia etjam argumenta eandem a veteri Lapponum ipsorum traditione profectam stabilire videntur opinionem, famosos sc. illos mercatores e Fenniae potius quam e Sveciae confiniis ortos primum fuisse.

Nempe memorabile primum est, Episcopum Aboënsem in controversia cum Archiepiscopo Upsaliensi de finibus utriusque Dioeceseos septentrionalibus olim (circa a. 1374) agitata [3]), testimonium de majori suo jure *Communitatis Satacundiae* (h. e. Ordinum regionis, Satakunda Ständernes) produxisse: ad quorum praecipue auctoritatem cur ille confugisset, nisi eos specialem de his rebus cognitionem per sua in parum cultis istis regionibus (ubi revera jura quaedam exercuisse, supra [4]) demonstravimus) acta negotia, acquisivisse, putasset? Exstant de hac re *Litterae Communitatis Satacundiae* [5]) in *Registro Aboënsi* fol. 12 et fol. 45 (atque et-

[3]) Vid. PERINGSKÖLD *Monum. Upl.* L. I, C. I, p. 3 sqq.

[4]) Vid. § III, p. 132 sq.

[5]) Quas quia breviores, exscriptas hic dabimus. Duo autem earum habentur exempla, uno tamen eodemque loco et tempore datarum. Unum in veteri Libro inscribitur: *Littera communitatis Satagundie de limitibus inter Upsalensem et Aboënsem Episcopatus*; quod ita habet: *Universis presentes litteras inspecturis tota communitas terre Satagundie salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod nos anno Domini MCCCLXX quarto, XVI die mensis Julii, apud ecclesiam Kumo generaliter congregati et ibidem per venerabilem patrem in Christo Dominum Johannem divina miseracione Episcopum Aboënsem, requisiti super limitibus inter archiepiscopatum Upsalensem et episcopatum Aboënsem in Norrabuthn ab antiquo servatis et in futurum observandis, notum fecimus et probare volumus juramentis nostris, cum et quociens requisiti super hoc fuerimus, quod limites in Norrabotn in modum qui sequitur sunt servati: videlicet quod Kakama attinet archiepiscopatui Upsalensi et Kiemattuz* (an *Kemitrâsk?) episcopatui Aboënsi, et subsequenter Yioki, Ulaioki, Sikaioki et Patsioki, et predicti limites inter archiepiscopatum Upsalensem predictum et episcopatum Aboënsem tanto tempore usque in hunc diem sunt servati, quod de contrario hominum memoria non existit*, „prout non solum habemus per experien„ciam, verum etiam de hiis fidem recepimus per legittima pa„rentum nostrorum documenta". *In quorum omnium evidenciam*

jam in Diss. MATHESII, Praes. GRÖNVALL, de Ostrobotnia, a. 1734 Upsaliae edit. § 2 not. *l*) leguntur typis vulgatae); quibus merito adjungimus, quod ibidem fol. 45 occurrit, de eadem re ab Episcopo Finlandensi prolatum testimonium Senatus urbici Aboënsis [6]): quem non nisi ex aliorum nar-

---

sigillum communitatis nostre presentibus est appensum. Datum et actum die anno et loco supradictis, presentibus clericis et laicis fide dignis.

Alterum, quod inscribitur: *Littera Communitatis Satagundie super Kim et Joky*, quodque l. c. exhibet MATHESIUS, hoc modo legitur: *Universis presentes litteras inspecturis omnes et singuli terram Satagundie inhabitantes, salutem in Domino. Noveritis quod nos anno Domini MCCCLXX quarto, XVI die mensis Julii, apud ecclesiam Kumo in publico placito congregati, requisiti fuimus, per reverendum in Christo patrem Dominum Johannem divina miseracione episcopum Aboensem, super Capellis Kem et Joki, videlicet an dicte Capelle infra limites archiepiscopatus Upsalensis vel pocius infra limites Aboensis dyocesis in Norrabothn sese contingentes site existerent et fundate. Nos vero hujusmodi inquisicioni juxta consciencias nostras satisfacere cupientes ostendimus, sicut et juramentis nostris probare volumus requisiti, quod dicte Capelle Kem et Joky cum villis et annexis infra limites certos Aboensis dyocesis sunt constructe et tanto tempore subjecte erant regimini ecclesie Aboensis, quod de contrario hominum memoria non existit, sic quod ipsa ecclesia Aboensis in prefatis capellis libera et pacifica possessione fungebatur usque modo. De et super quibus omnibus premissis* „non solum „nos per experienciam verum eciam per legittima propatrum no„strorum documenta recepimus plenam fidem.“ *Datum sub sigillo communitatis nostre supradicte, anno, die et loco suprascriptis, presentibus clericis et laycis fide dignis.*

[6]) Ita audiens: *Allom mannom thetta breff see eller höra, helsom vij borgmestara oc radzmaen j Abo aeverdelika met vorom herre. Fore then skuld at millan hederlika herra Ärchebiskopen aff Upsalom oc Biscopenom j Abo är kommen en osämja om tw kapella Kem och Joki, hwilko biscopsdöme the skulu heldre tilhöra, oc nu medhan oss är athspordt hwadh vi ther aff vithum; Thy viljom vi ey thet löna som oss är therum kunnoct. Fore hvan skuldh kännomps vy met vare öpne breffue, at the for:de Kapella, Kem oc Joki, haffua vnder Abo Domkirkie aff aldher lighad, sva at engen finz then met oss som annat minnis; oc thetta troom vy santh at vara, forthy at vi haffuom al-*

ratione (forte ipsorum *Bircarlorum*, suas olim Aboam merces advehentium, atque hic exteris vendentium?) suam de hac re notitiam hausisse, ipsa illius verba *(oc thetta troom vy santh at vara, for thy at vi haffuom aldrigh annat sporth)* satis indicant; cum contra Satacundiae Communitas suam suorumque patrum *experientiam* alleget.

Confirmat deinde hanc rem etjam traditio *Isaaci Olai* Filii, Norvegi, apud Dn. HAMMOND (den Nordiſke Miſſions-Hiſtorie p. 908 sq.) exhibita; quae subjugationem Lapponum Borealium, seculo, ut is narrabat, demum XV factam, *Quaenis* tribuit *orientalibus* (Oſt-Qwäner). Ita autem Norvegis audire *Fennos* Ostrobotniensos, notum est: quod sc. nomen ab illa gentis *Qvaenorum* parte, quae in septentrionali hujus provinciae regione, ad fluvium usque Uloënsem, olim habitavit, nostris adhaesisse videtur; eadem, ut solet, appellatione novis etjam postea ejusdem regionis incolis, quamvis genere omnino diversis, a vicinis (Lapponibus et Norvegis) tributa atque continuata?

§ VI.

Sed minus probabile videri debet, a parte potius Svecica, cum tamen Norrlandia non minus quam Finlandia Lappis fuerit contigua, lucrosa ista cum his commercia non fuisse ab hominibus suscepta? De hac re qvaenam nobis sententia sedeat, ingenue aperiemus. Minime nos quidem Cel. SCHÖNINGIO concedendum esse putamus, totam non modo Lappiam, sed etjam Norrlandiam, olim Norvegis fuisse subjectam [1]); multa obstant quo minus huic asserto nostrum addere calculum queamus: inprimis, ut vel ex OTHERI ab AELFREDO Anglorum Rege servata nobis narratione patet [2]),

drigh annat sporth. Scriptum Abo anno Domini MCCCLXX quinto, XI die May, sub sigillo civitatis nostre in testimonium premissorum.

[1]) L. c. § 44 sqq.

[2]) Cfr. Diss. Cl. Henr. WEGELII hic Aboae ed. a. 1788 (Praes. H. G. PORTHAN) *de antiqua gente Quenorum.*

quod Norrlandiae regionem borealiorem (etjam Borealem Ostrobotniae partem ad fluvium usque Uloënsem?) non a Lappis, sed a Quaenis olim habitatam fuisse, constet, qui et a *Lappis*, (OTHERI *Finnis*) distincti essent, et *Norvegorum* hostes se praeberent perpetuos, quibus igitur minime fuisse subjectos, oppido hinc patet. Quos, quia e terra quomodo prorsus quasi evanuerint, non reperimus, recentioribus monumentis ignotos, alio nomine recepto eandem esse nationem quae *Helsingorum* deinde nomine inclaruit, probabile putamus [3]), ejusdemque igitur ac Sveci et Norvegi stirpis (e Germania olim ad ea loca advenam), sed antiquiorem ejus coloniam; quae hinc ad Sveciae Regni systema, prout notissimum est, (ut nec *Jamtia*), antiquitus haud pertinuit [4]). Nomadicam hos Quenos egisse vitam, inde concludere licet, quod terra eorum a. adhuc 1335 valde inculta fuisse docetur [5]); cum tamen *Kim*, *Sim* et *Salo* (hodiernae paroeciae

---

[3]) Cfr. Diss. cit. § IV seq. — Si fidere *Adamo Bremensi* licet, nomen *Helsingiae* suo jam aevo notum erat; forte Svecis usurpatum? Norvegis autem tam mature haud fuisse familiare, qui a vicinis et familiaritate sibi junctis Lappis alterum illud gentis nomen *(Qveni)* didicerant, patet primo ex OTHERO, deinde etjam STURLONIDIS confirmari videtur narratione de ortu nominis, quod a *Thore Helsing* ille derivat (K. *Håkan Adalstens Fostres* Saga C. 14 et K. *Olof Helges* Saga C. 147). Testatur praeterea, adveniente *Thorone* non plane desertam totam repertam fuisse Helsingiam, sed partem ejus orientalem ad mare proximam, fuisse jam antea a Svecis habitatam. Ac probabilius videri potest, nomen illud *Helsing*, *Thoroni* ex nova patria, quam huic ab illo adhaesisse: vocabulum Hals *collem* significare docet IHRE (Gloss. Svio-Goth.), quod pluribus locis saepiusque occurrit, quam ut ab hujus hominis nomine ubique deduci commode queat. Postquam Queni, veteres terrae hujusce incolae, varie, ut videtur, fracti et diminuti (nec antea, puto, admodum frequentes) cum novis advenis Norvegis et Svecis coaluissent, eorum paullatim adoptantes mores et vitae rationem; aliud fortasse invaluit nomen, a Sveçis maxime datum, quibus vetus *Quenorum* appellatio nunquam videtur fuisse usurpata?

[4]) Cfr. SCHÖNING l. c. § 45 p. 108 sqq.

[5]) Vid. PERINGSKÖLD l. c. L. I. c. 1 p. 2. Med Helſinge-land har jämpäl hela Weſterbotns Landſkap, forbom marit inrätnadt,

Ostrobotniae septentrionalis *Kemi*, cui capella annexa Simo subest, et *Salo*) jam a. 1329 habitatae essent [6]), ita ut cultus quidam terrae a nostra Botniae parte maturior fuisse, quam ab occidentali illa videatur, cujus forte campos angustiores nec ob imminentes propius Alpes ad colendum aptissimos visos, incolas serius allexisse credas? Quae omnia ad qvaestionem explicandam non sane nihil faciunt: cur a Fennica potius parte quam a Svecica, cum Lapponibus exerceri coeperint commercia?

Licet itaque, prout monuimus, per omnia SCHÖNINGIO assentiri haud queamus; dandum ei tamen hoc omnino existimamus, quod Norvegi cum Lappis borealibus, immo forte etjam aliis, Alpibus Norvegicis vicinis, maturius quam Sveci (qui ob interjectas cum sylvas ingentes, tum populum Qvenorum, ab iis olim essent remotiores) mercaturam fecerint; ac proxime ab Norvegis Fenniae incolae, quorum sedibus Lappi australiores vicini erant, ad haec commercia exercenda adjecerint animum. Qvenos autem, (quos et ipsos fuisse nomadas credas), mercaturae vel cum Svecis vel cum Lappis faciendae, minus studuisse verisimile est: ad quam posteriorem Norvegos et situs locorum et necessitas impulit. Varii autem deinde casus, ab hac cum Lapponibus Sveciae propioribus excercenda Norvegos sensim removebant, partim Bircarlis, suis paullatim extensis quasi finibus, locum eorum occupantibus, partim fortassis etjam Helsingis lucri societatem expetentibus atque his sese sensim immiscentibus: ex quo utroque hominum genere hodierni coloni Vestrobotniae (Angermanniae etc.) originem habere videntur.

§ VII.

Qui vulgarem defendunt sententiam, Bircarlos non fuisse nisi Rusticos Norrlandos, mercaturae deditos Lappo-

som belś ſees af Konung MAGNI confirmations och Faſtebref för Kongl. Drotzen Nils Abiörnson 1335 på Piteå, och den öbesmark i Helſingelaud, ſom han = = habe uptaga och bebyggja låtit. Cfr. SCHÖNING l. c. § 46 p. 112.

[6]) Vid. supra § IV, not. [7]).

nicae, porro objiciunt: ex monumentis rerum patere atque in confesso esse, illos in Vestrobotnia olim habitasse. Quod tempore Regis GUSTAVI I et proxime antecedentibus sequentibusque ita factum esse, haud inficiamur; ab initio autem Bircarlos ibidem sedes habuisse suas, nullis sane ostendi monumentis potest. Contra ex litteris Canuti Joannis, Dapiferi, saepius laudatis (§ V. not. [2]), colligere licet, Bircarlos ea demum aetate ad Helsingiae fines septentrionales fluvio Uloënsi vicinos accessisse, ibique considere coepisse. Multos autem eorum, qui cum Lappis ibidem mercaturam exercerent, non nisi itinera illuc ad merces mutandas ex australiori Fennia certis fecisse anni temporibus, allatum supra Communitatis Satacundiae testimonium, suspicandi materiam praebet? Originem praeterea atque indolem manifesto Svecicam nominis *Birkarl* suo valde favere asserto urgent, ab antiquo vocabulo *Bjark* (quod *mercaturam* interpretantur) illud deducentes, ac *mercatorem* denotare contendentes. His HADORPHIUS (in praef. ad Jus Bircense a se editum) ducem se praestitit [1]); ut illos praetereamus qui similitudine nominis (appellativi!) in errorem abrepti [2]), ab urbe illa quondam celeberrima *Björkö* Bircarlorum et nomen et originem ducunt [3]). At vero vocabulum *Bjark* vel *Birke*, nec in Svecica antiqua, nec in aliis ei adfinibus linguis, hoc sensu adhibitum, ut sc. mercaturam significet, ullibi reperiri, ac potius nil aliud esse, quam consuetum illud *Burg*, urbemque valere, praeclare monet Nobil. IHRE (l. c.), auctor harum rerum peritissimus: ut igitur *Birkarl*,

---

[1]) Cfr. HÖGSTRÖM Beſkr. öfwer Lappmark. C. 13, § 2.

[2]) Vid. IHRE Gloss. Sv. voc. *Birke*.

[3]) Nec in refellenda OLAI MAGNI sententia, qui Bircarlos in Bergchara (Bergfarlar), *viros montis*, commutat, opus est ut immoremur (vid. SCHEFFERI *Lapp.* p. 155 sq.); neque BURAEI attendi commentum meretur, cui Bircarlos ex illustri BURAEORUM familia in Helsingia ortos, in Finlandiam deinde, ob tyrannidem INGIALDI Regis, confugisse, placet. Vid. Diss. ISR. STECKSENII *de Vestrobotnia* (Ups. Praes. *Fab. Törner* a. 1731 ed.), C. II. § XVI.

urbis incolam (*civitatensem* medii aevi monumenta dicere solent) jure interpretemur. Quod adeo non opinionem illorum confirmat, qui mox ab initio vagos fuisse mercantes rusticos asserunt, ut potius ad suspicandum nos ducat: urbem aliquam in Lapponum confiniis olim fuisse conditam, cujus incolis potestas mercaturam cum illis faciendi imprimis fuerit concessa; qualem eo fere loco ubi nunc est paroecia Satacundiae Birckala [4]) sitam fuisse, adeoque non longe admodum ab arce Tavastburgensi remotam, non spernendae indicare rationes videntur. Primum sc. vicinia Lapponiae, cujus fines ad haec usque loca sese olim extendisse, supra docuimus; deinde negotia Satacundensibus atque Tavastensibus cum Lappis olim gesta, argumentis itidem indubiis demonstrata; traditiones denique et Fennorum et Lapponum idem significantes. Nulla quidem urbis hujusmodi (cujus ex temporum ratione metiendam esse conditionem, meminisse oportet) exstant hodie vestigia: sed mirum id, fata patriae cogitanti videri debet nemini. Oppiduli condendi consilium colonorum Svecicorum adventu maturatum fuisse, probabile est, quorum aliquos mercaturae exercendae Lapponicae cupidos hic consedisse, Fennis locorum et negotiorum peritis sibi adjunctis, credas; eosque hinc utrosque, nomine Svecico, *Bircarlos* (Burgfarfar, Birkfarfar h. e. Stabsboer) fuisse dictos. Quanquam enim initia hujus mercaturae vetustiora putamus; vix tamen ante Tavastiam Svecis subjectam, in ordinem redactam illam fuisse existimes: quos primum partes egisse primarias, ac impetrato etjam Regio privilegio ardorem mercatorum Fennorum auxisse, a veri specie non est alienum. Rem quidem prae inopia monumentorum, multis esse jam tenebris circumfu-

---

[4]) Quae olim multo ampliores habuit limites, ac praeter paroeciam *Messuby*, quae a. demum 1636 hinc separata fuit, paroecias quoque *Ruovesi*, *Keuru* etc. complectebatur. Cfr. Cel. P. A. Gadds Beſkr. öfwer Satacunda Häraders Norra Del p. 10, not; et Ampl. Dan. Hall Beſkr. öfwer Birckala Socken (quae legitur in Samling af Rön och Afhandlingar, til Kongl. Wet. *Academien* ingifne T. IV) p. 312.

sam fatemur; sed praeterquam quod *Chronicon Rhytmicum* Majus coloniam Svecicam ad Tavastos adductam fuisse aperte testetur [5]): ipsum nomen Paroeciae Birckala, a Fennicae linguae ingenio alienum, Sveticamque originem haud obscure prodens [6]), Svecos aliquos olim in his locis sedes fixisse, satis indicare videtur; traditione etiam majorum confirmante, praecipuam Christianae religionis in hanc regionem introductae sedem in Ecclesia Birckala primis temporibus fuisse, ad quam incolae terrae circumjacentis confluxisse, ibique et sacra obiisse et mortuos sepeliisse, feruntur [7]).

Locum quidem ipsius oppidi certis definire argumentis haud valemus; ibi tamen fuisse suspicamur, ubi nunc pagus et templum Birckala habentur: cui conjecturae loci etjam commoditas favet. Nec enim ab arce Tavastburgensi longe aberat (unde exspectare auxilia ac tutamen oppidanis licuit), nec a Lapponum sedibus procul, quorum fines imminens jugum montis (Landtryggen) fere constituisse, probabile videtur. Lacus autem *Pyhäjärvi*, in quem per amnem *Tammerfors* lacus superior atque major *Näsijärvi* aquam suam exonerat, commodam praebuit rationem, Lappos aestate etjam, longo satis itinere adeundi, collectasque merces ad urbem transferendi [8]). Nullis nempe adhuc per syl-

---

[5]) The ſatte thet land (Tavastiam) meb Chriſtna män,
Swa ſom iak wäntar thet ſtaar än.

Ed. Hadorphii p. 23. Incolas quidem littoris Ostrobotniae australioris intelligere potuit? sed arcis Tavastburgensis praesidio et terrae interioris recens occupatae defensioni, copias etjam Svecicas relictas his locis fuisse, dubitari vix potest.

[6]) Suspicandi etjam ratio est ipsum nomen *Satakunda*, quod haec provincia gerit, Svecicae esse originis, et a vocabulo Svecico **Hundari** translatum, Svecica instituta moresque, his locis praecipue adoptatos, indicare?

[7]) Vid. GADD l. c. et HALL p. 285.

[8]) Videatur Mappa quaedam Geographica. Lacus vero superior *Näsijärvi*, septentrionem versus longe se extendit, aliisque lacubus et fluviis connectitur.

vas vastissimas viis apertis, iter et hyeme et aestate per lacus fere et amnes faciendum fuit, ad quos Lappi etjam, maxime piscandi opportunitate ducti, libenter tentoria vel tuguria sua fixisse reperiuntur.

§ VIII.

Monumenta praeterea in hac paroecia quaedam occurrunt, quae Svecanos magis quam Fennicos prodere credas mores? Sic, inter alia, intra limites annexae ei Capellae *Harju* collis quidam ostenditur, *Käräjän-törmä (Collis judicii* vel *comitii)* adhuc appellatus, ubi sub dio jus sibi quondam dictum fuisse, incolae tradunt [1]); quae quidem solemnis Svecis quondam consuetudo, an Fennis ante illorum adventum usu fuerit recepta, eo magis videri dubium debet, quod nulla reperiantur apud hos Magistratuum aut talium judiciorum olim habitorum vestigia? Coloni autem Sveci, expugnata per Ducem Birgerum Tavastia, ad haec loca adducti, si, (quod a vero non abludit) ut illi quos Rex Ericus Sanctus in ora Finlandiae maritima collocaverat, Helsingici erant generis, fortasse commercii lucrosi cum Lapponibus patriae suae vicinioribus, Norvegorum exemplo faciendi, nec illi antea prorsus ignari [2]); ex alia jam parte factos iisdem proximos ad ineundam societatem hujus mer-

[1]) Vid. GADD l. c. p. 11 not. et HALL l. c. p. 286. — Etjam in acervo Lapidum (in quadam insula lacus Näsijärvi, *Rauhärin Saari* dicta), quem cum Lapponum monumentis *(Lapinrauniot)* male, credo, incolae confundunt, a 1762 urnam repertam fuisse sepulcralem legimus (HALL l. c. p. 285): quae res suspicionem alicui movere possit, Svecos adhuc Gentiles haec loca adiisse? Certe cinerem defunctorum in urnam collectum condere, Fennis antiquis usitatum fuisse, nusquam deprehendimus.

[2]) Hactenus igitur Jo. THO. BURAEI illam conjecturam quam ex MSS. Palmsköldianis affert STECKSENIUS l. c. non aspernamur, quatenus colonos ad haec loca deductos, ex Helsingia ille arcessit: quae opinio cum nostra sententia conciliari facile potest.

caturae continuandae cum Fennis, (novae coloniae mox admixtis, et Lappis antea familiaribus), proniores etiam fuisse, a veritate haud abhorret. Primariam autem mercatus Lapponici materiam *pelles ferinas* constituisse, jam antea monuimus (p. 132); quarum hoc uberiori copia patriam nostram iis temporibus abundasse, quo incultior esset, asperis obsita profundisque silvis, nemini dubium videri debet. Quod antiquissimis inde a temporibus, maximi aestimatum hoc vestimenti genus fuerit, tota loquitur Historia [3]); ac nostro etjam aevo gravissimum momentum ad Anglorum in America, Russorum in Sibiria, aliorumque populorum commercia adaugenda et amplificanda afferre, notissimum est. Apud Nostrates olim hoc genus vestium magni fuisse pretii, antiquitatis monumenta satis docent [4]): ut adeoque non

[3]) Hinc totam de *Aureo Vellere* fabulam, ad quod rapiendum Argonautarum spectabat expeditio, ex divite in Colchide olim facta pellium pretiosarum mercatura, ortam fuisse, existimabat ISAACUS VOSSIUS (in CATULLI *Epithalamium Pelei* v. 5, p. 120). Plura addere non vacat.

[4]) Quanti olim pelles fuerint aestimatae, plurima docent exempla. Sic duo praedia in Alandia *(unum Fjärdingxbol et unum Atansbol terre in villa dicta Jumalaby)* a. 1333 oppignorata fuisse *pro quarta pelle tributi Episcopalis de Tavastia*, legitur in Registro Aboënsi fol. 5, quorum valor *Octoginta marchis Denariorum* ibidem aestimatur. De qua re cfr. D:ni Praesidis Diss. in P. JUUSTEN *Chronicon Episcopor. Finl.* p. 79 sqq.; et Tidn. utg. af et Sällskap i Åbo a. 1785, Bih. p. 125—129. In confirmatione Regis MAGNI (data a. 1331) super inita inter Episcopum Aboënsem et incolas Praefecturae Viburgensis pactione, de solutione decimae Episcopalis, hi jubentur: *in Jure Carelico de quolibet fumo exhibere duas bonas pelles sive palke, in jure vero Helsingonico habitantes unam marcam butiri de quolibet capite virilis vel muliebris sexus, septimum etatis sue annum complente, singulis annis exhibere* (Registr. Ab. fol. 7): quod pretium talium pellium ingens fuisse, prodit. Regem adhuc GUSTAVUM I pelles tanti aestimasse, ut Lynceas e. g. Martias ac Vulpinas (rariores imprimis illas nigras) plane prohiberet exteris vendi, usumque earum sibi suaeque familiae reservaret, ex duabus suis litteris patet, ad *Gustavum Olai F.* et ad *Haraldum Lake* a. 1551 datis, a. Nob. VON STJERNMAN, (Samling af *Commerce, Politie och Oeconomie* Stadgar, Del. I. p. 121 sq.)

mirum, si et Sveci et Fenni, facilem simul ac idoneam vicinorum Lapponum venatu sibi offerente occasionem, uberrimis hujus mercaturae fructibus percipiendis mox fuerint intenti.

Cum ob bella variosque casus, tum quod circumjecta regio non aliis quam Fennicis habitaretur incolis, probabile est Svecorum progeniem ac linguam sensim in his locis defecisse, cum Fennica coalescentem atque tandem confusam; quo modo multa etjam loca maritima Sveticis olim habitata coloniis, nunc a Fennis incoli notum est [6]).

§ IX.

Bircarlorum vestigia in Fennia sensim plane obscurata, in Vestrobotnia deinde reperta fuisse (ubi tempore maxime R. GUSTAVI I ac proxime sequentibus celebres fuerunt), nemo ignorat, qui res nostras antiquiores vel obiter cognoverit. Lappos nempe, Bircarlorum pressos avaritia sensim recedentes (donec omnes ad eas quas hodie pererrant Alpes pervenirent), hi avide sequebantur, lucrum ex illorum tributis, et commerciis cum iis exercitis, faciendum haud negligentes: jure sibi permisso (ut BURAEO credere licet) Lappos usque ad mare Glaciale (h. e. omnes quos possent) subjugandi. Patria igitur sua terra relicta, sensim, longius septentrionem versus sedes suas migrabant (de regione inter Tavastos et Lappones media, hodierna Ostrobotnia, quam hi paullatim deseruerant, asserenda parum solliciti), donec in Vestrobotnia tandem consilio suo oppor-

editis. Cfr. ibid. p. 241, Tax och werdering på allehanda Wildwarer, Dat. år 1574. Item proportionem definitam inter pretia pellium ac caeterarum mercium in edictis de Decimis, ib. p. 369, 513, 533, 559, 570, 577, 625, etc.

[6]) Sic paroecias *Lundo* et *Reso*, ubi incolae omnes Fennice nunc loquuntur, olim in partem Svecicam et Fennicam (Swenska och Finska Rätten) fuisse distinctas, ex vetustis monumentis discimus. Multaque praedia rustica in Finlandiae maritimae paroeciis sita, nomina habent Svecica, ubi incolae non nisi Fenni nunc esse reperiuntur.

tunissima, considerent. Carelii et Savones, qui Ostrobotniae partem borealiorem occupaverant [1]) et in Biarlorum relicta haec domicilia sensim successerant, etjam morem illorum adoptasse invenimus commercia cum Lappis faciendi maxime vicinis sibi Kemiensibus; nempe quod solis Biarlis, jam in Vestrobotniam progressis, jus cum caeteris Lappis mercaturam exercendi competiisse videtur. Hoc ex litteris apparet de crudelitate Russorum in paroeciis *Kim*, *Ja* et *Lyminghe* (*Kemi*, *Ijo* et *Limingo* in Boreali Ostrobotnia) exercita, ab harum incolis a. 1490 datis, quas exhibet in Appendice ad *Chronica Rhytmica* HADORPHIUS [2]); quae inter alia habent: Nw någre aar thär äpther ware wij fatighe män opfarna i Lapmarken, tha kommo Ryßer thär til os etc. — Thär waro opa Lappamarkene LXXX beſthe Böndher i Kimi ſokn war, ok theres rener ok alth theres godz thogo the (Russi) borth, etc. Mercaturae cum Lappis exercendae caussa Rusticos illos Kemienses (cujus paroeciae ut et vicinarum incolas jam circa a. 1342 partim Carelios fuisse antea observavimus) in Lappmarkiam itinera suscepisse, ex his satis intelligitur.

§ X.

Ad jura denique Biarlorum quod attinet, vectigaliaque ab iis Regi aerarioque patriae pendi solita; *illa* admodum ampla fuisse, haec vero valde exigua, ex vetustis monumentis constat. Accepto primum privilegio Regis MAGNI *Ladulås*, quo sibi Lappos subjectos ac vectigales reddendi potestas concessa fuit, ad certum numerum pellium Sciurinarum (quem non definit) in signum subjectionis Regi pendendum obligatos fuisse, Scheda BURAEI supra (p. 128) allata, docet [1]). Aucto deinde eorum lucro, an et in quantum tributum eorum auctum postea fuerit, ignotum nobis est. Usque ad tempus certe R. GUSTAVI I Biarlos, qui

---

[1]) Cfr. supra § IV not. [7]).
[2]) L. c. p. 348 sqq.
[1]) Cfr. SCHEFFERI Lapponia p. 154.

paroecias Vestrobotniae *Luhla*, *Pÿjta* et *Törnö* (Torneå) habitabant, non nisi XVI Timber (quae vox numerum 40 vel 50 significat) Klocdewärk (fortassis pelles Sciurorum?) et IV pelles Martium Regi pependisse, ac tum demum duplo plures exhibere jussos fuisse, ex pacto inter regem et Bircarlos Upsaliae die 1 Aprilis a. 1528 inito [2]), discimus. Quum vero Lappones praeter venatum, etjam piscatum exercerent; hujus non minus ac illius fructus partem percipiendi jus ad Bircarlos pertinuisse, saepius laudata BURAEI Scheda affirmat, Salmonum piscaturae imprimis mentionem faciens. Tributum vero, de hoc pendendum ab ipsis deinde Bircarlis exercito piscatu, quem usque ad mare Occidentale vel Glaciale eos extendisse, monumenta commemorant [3]), tempore demum R. GUSTAVI I, lite de communibus piscandi juribus inter ipsos Bircarlos exorta, illis impositum fuisse, ita sc. ut postea tertia pars Salmonum aliorumque ab illis captorum piscium exhiberi regi deberet, ex litteris patet R. GUSTAVI I a. 1541 datis [4]). Probabile est, ad institutum, ex privato primum consilio enatum, Magistratum minus attendisse, nec ab initio vel lucrum fuisse maximum, vel publice satis cognitum. Deinde vero his hominibus merito ac laudi tri-

[2]) Vid. VON STJERNMAN Samling utaf Kongl. Bref etc. ang. Sweriges Rikes Commerce, Politie och Oeconomie, Vol. I, p. 16. Etjam in hoc Diplomate eos promiscue **Birkala** et **Birkarleby** appellari, notandum est. Cfr. supra § IV p. 186 sq.

[3]) Öpett breff för the Birkaler och Landzköpmen i Norrebotn att bruke fiskerijt i Westrehaffuet. Dat. Stockholm den 20 Septemb. år 1551: vid. VON STJERNMAN l. c. p. 120. Docent hae litterae: Bircarlos antiquitus piscatum in mari occidentali sive septentrionali exercuisse; a parte autem Norvegica, et in illo exercendo et in commerciis cum Lapponibus faciendis impedimenta ac injurias passos fuisse; a quibus inferendis ut abstineant, veterique jure suo Bircarlos frui sinant, et Norvegos et Germanos et Russos et proprios subditos Rex monet, liberum Bircarlis et mercandi et piscandi potestatem tribuens atque asserens.

[4]) Resolution för Birkarlarne i Luleå sochn, angående Laxefiskett och några andre Fiskerijn der sammastädes, hwarom emellan dem twist har warit. Datum Stockholm den 6 Novemb. 1541. Vid. VON STJERNMAN l. c. p. 1010 sq.

butum credas, quod sine publica ulla impensa, Reipublicae limites atque auctoritatem extendentes, agrestes ac feros homines patriae legibus subjicere pergerent: eaque re deberi illis a Reipublicae parte favorem, atque immunitates quibus hactenus usi essent, concedi, unde tamen opes atque divitiae civitatis non omnino nihil augmenti acciperent.

Quale Birkarli in Lappones imperium exercuerint, ex SCHEFFERO (l. c. C. XII p. 153 sqq.) et HÖGSTRÖMIO (l. c. C. XIII, § 3) discere licet. Scilicet non tantum jus cum Lapponibus commercia faciendi sibi soli vindicabant, verum etjam tributa iis quaedam imponebant, *(pelles pretiosas pisciumque multa genera,* ut habet OLAUS MAGNUS [5]), atque jus inter illos dicebant, caeterasque res eorum, in quantum vagae et rudis vel posceret vel permitteret gentis conditio, publica potestate administrabant. Quae omnia comprehendit R. GUSTAVUS I verbis in laudata pactione (v. STJERNman l. c. p. 16) positis, quibus iis pristina jura confirmat: Och haſwe wij them loffuat, och tilſagt, och med thette wårt

---

[5]) *Hist. de Gentibus Septentrional.* L. IV, C. 10. *Bircarlos* enim spectare, quae habet ibidem *(Praesides communi plebis consensu Bergchara, id est, viros montium appellatos habent et venerantur)* apparet; licet miseris quidem Lappis eligendi hos praefectos, nullum jus concessum esse, facile videas, nec consensum eorum aliquem fuisse requisitum. Fortassis alicui inter se Bircarli talem potestatem commiserunt, qui Lappos sibi subjectos, ad imitationem Praefecti Regii, cui Norvegi in suos Lappos hujusmodi imperium tradere solebant, auctoritate summa praeesset. Cfr. SCHÖNING l. c. § 48. not. *y*) p. 125. Unde ZIEGLERUS occasionem sumsit scribendi: *Praesidem eligunt* (Lappones) *propriis arbitriis, quem Regem vocant; verum Rex Sueciae jus administrationis donat. Is veste rubra induitur* (qualis Norvegis fuit solemnis?), *hoc est ipsi insigne Regium,* (De Regionibus Septentrion. p. ?): in quibus quid veri insit, facile liquet. Forte tamen is tempora spectavit recentiora, postquam Regis praefectis Lappones subjecti fuerunt? Hos eosdem Bircarlos fuisse quos *Nobiles* appellavit DAMIANUS A GOES *(Deplorat. Lappianae Gentis)*, ac de quorum immodico impioque lucri studio Lapponibus pernicioso queritur: recte observat HÖGSTRÖM l. c. C. XII § 2 p. 215 sq. C. XIII § 3 pag. 237 sq.

öpne breff loffwom och fullkomliga tilſeyom, at the måga njutha och behålla the welcker öfwer fören:de Lappar efter thenne bagh, ſom the och förældre för them i förtijdhen nutit och behållit hafwa etc. Ac idem Rex Literis Upsaliae d. 12 Mart. 1544 scriptis [6]), eosdem Bircarlos hoc modo alloquitur: Wy gifwe eder tilkänna, menige Birkarlar, ſom hafwe mackt och befallning uthöfwer Lapparne ther i Weſterbotnen, etc. Quae satis docent, non jus tantum mercaturae faciendae exclusivum, sed imperii etjam auctoritatem, (Regis loco) ad eos pertinuisse.

Quum vero Bircarli ex his Privilegiis, tantum facerent quaestum, tantaque iis, haereditatis jure propagatis, insolentia uterentur, Lappones inique tractando et vexando, ut et invidiam et justas querelas excitarent; non potuit aliter evenire, quam ut finis superbiae suae ac injustitiae tandem statueretur. Minime nempe passus est tam severus, justus atque diligens Rex, qualem in Gustavo Patria nacta fuerat, ut paucorum libido toti genti infelici illuderet. Itaque omnem Bircarlorum in Lappos hactenus exercitam potestatem tollendam, hosque ut reliquos subditos legum tutelae subjiciendos, judicavit. Quod his verbis docet Scheda Buraeana [7]): Ther aff (ex lucroso in Lappos imperio) bleſwe theſſe Birkarlar ſwåre mäckтige och rijke, gåfwo them fatighom allenaſt en ſmutt, och togo ſå bäſta håfworna. Thetta förtröt them fattigom, och gingo ſå till och klagade för Konung Gustaf. Han lät inſättja Hinric Larsson i Tornö, och taga myckit af honom. Och togh ſå Konungen ſjelf ſkatt af Lapparna, och lät them (i) frid köpſlaga meb Lapparna. Misit postea Rex, testante Scheffero [8]), in Lapponiam *Praefectos Lapponicos, qui tributa debita exigerent, et caetera Regio nomine ibi expedirent. Hi Praefecti Svecis* Lappfougder, *Lapponibus Konunga Olmai, hoc est, Regis viri, sunt vocati:* quorum in Litteris R. *Gustavi*

[6]) Vid. Stecksenius l. c. § XIV, p. 13.

[7]) Apud Schefferum l. c. p. 158. Auctor fuisse videtur *Andreas* (Nicolai?) Pastor et Praepositus Pithensis. Cfr. Ibid. p. 151 et 157: nec non *Pet. Stecksenii Graan* Disp. *de Pitovia* (Ups. 1731, Praes. Fab. *Törner* ed.) p. 15.

[8]) L. c. p. 159.

I a. 1559 jam fieri mentionem, porro observat, officiique eorum rationem exponit. Cessante vero sic celebrato Bircarlorum in Lappones imperio, omne tamen eorum cum Lappis commercium non cessasse, sed continuatum porro, more licet aliquantum mutato, fuisse, ex dictis novimus. Describit rem, qualis suo adhuc tempore erat, BURAEUS [9]), dicens: *Bottniae coloni, ii praesertim quos Byrkarlos vocant, quae Lapponibus aliisque sunt necessaria, a mercatoribus* (exteris? an Stockholmensibus etc.?) *illuc navigantibus aestivo tempore coëmunt, hyberno autem cum lacus et flumina congelata sunt, ea in Lapponiam exportant.* Sicque non jam soli, aut jure exclusivo, his negotiis operam dabant? Ac manifestum est, inter *Mercatores* illos *Rusticos* (Landzfiöpmän) in Helsingia et Vestrobotnia, de quibus frequentes in Literis Regiis querelae iis temporibus occurrunt, *Bircarlos* quoque illos, nec tamen solos fuisse [10]), cumque reliquis deinde in urbes novas Westrobotnicas compulsos, quibus Lapponicae mercaturae faciendae concessa fuit facultas, commigrasse. Nempe quamdiu nullae in his regionibus conditae essent urbes, ad ostia fluminum majorum emporia celebrata quaedam sunt, ubi naves mercatoriae appellebant, mercesque

---

[9]) Apud SCHEFFERUM l. c. p. 156.

[10]) Vid. Litteras Regias: Bref til Helſingelanb att hwar ſochn ſkall njuta allenaſt en köpman, dat. Weſterås den 15 Febr. år 1539. Item Öpet bref för menige man i Weſterbottnen, att the motte ſå niuthe nogre Landzköpmän uthi then landzänden; doch att ide gjöre emot Kongl. May:tz Mandat. Dat. Stockh. d. 5 Dec. 1546. Apud V. STJERNMAN l. c. p. 54 sq. p. 105 sq. Cfr. Item Litteras Regis *Johannis* III et *Caroli* IX, Ib. p. 206 et 232.

[11]) Vid. Edictum R. Caroli IX: Placat och Förordn. om Tullfrihet etc. och Städers i Mustasar, Uleå, Torneå och Umeå funderande. Dat. Stockh. den 5 Junii 1605. Ad nostram rem haec imprimis verba faciunt: Och efter uthi Norrbotn, ſkickes mycket godz uth, ther aff Cronan ingen rättighet bekommer, och ther ibland en hoop förbudne warur, igenom the menige Landzköpmän, ſom ther ähre, bärföre ſå haſwe wij ſå förordnet, at Städer ſkole funderes uti Muſtar, Ulea, Torne, Kinn och Uma, och ther ſkole the ſättje ſig neder, ſom handell och wandell drifwe wele. VON STJERNMAN l. c. p. 497 sq.

advectas vendebant, venumque oblatas inde apportabant. Cum quibus Rustici opibus valentiores, tali mercaturae dediti (quorum multi Lapponicam quoque illam exemplo Bircarlorum exercebant), negotia conficere solebant [11]). Dubium vero jam haud est, quin inter reliquos eminerent atque exemplum quasi iis praeirent illi, haeredesque sui, qui Bircarlorum olim appellatione celebrati, ex professo huic mercaturae animum dederant, atque in tali studio aetatem egerant. Nomen autem suum, cum privilegiis suis, tandem evanuit penitus: nec multo post, Regum Augustissimorum, maximeque Gustavi Adolphi sapientia et cura, commerciorum exercendorum, adeoque etjam Lapponicorum illorum, omne studium ad urbes, locis aptis a se conditas traduxit [12]); in quibus sine dubio Bircarlorum etjam posteri praecipui, cum opum reliquiis peritiaeque et industriae suae fructibus postea habitarunt.

---

[12]) Cfr. Dispp. JONAE ASK de Urbe *Uma* p. 3 sq.; PET. STECKSENII GRAAN de Urbe Pitovia p. 2 sq. NIC. HACKZELL *de Urbe Lula* p. 1 sq.; ER. BRUNNII *de Urbe Torna* p. 4 sq. (Ups. 1731 edd.)

DE ANTIQUA GENTE QVENORUM.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN.

PUBLICO EXAMINI SUBJECIT

HENRICUS WEGELIUS.

Aboae 1788.

§ I.

Inter gentes, quarum in Historia Septentrionis nostri vetere, memoria occurrit, vix alia est de cujus et sedibus, et cognatione, et rebus gestis, obscurior et incertior fama superest, quam priscorum illa Quenorum. Quem igitur populum, cum haud contemnendi olim nominis fuisse, constaret, Historicorum alii et locis collocarunt aliis, et alii generi adjunxerunt, temere plerumque, atque commentis novis veterum fidem corrumpentes. Quamobrem laudatissimam praestitit operam Illustris noster Polyhistor Dn. IHRE, qui vagantes hujusmodi opiniones coërcuit, atque more suo, id est doctissime, de rebus antiquae hujus gentis disputans, fabularum conjecturarumque turba rejecta, sedes illi suas veras stabilesque in hodierna nostra Norrlandia asseruit [1]). Cui suae sententiae probandae, eo minus officere debet narratio Fabulae Mythicae, *Originum Norvegicarum* nomine notae *(Fundinn Noregur)*, quae ab orientali parte sinus Botnici Quenlandiam collocat [2]), quo luculentius ejus auctoritatem, quam verbis favorabilius interpretandis in Dissertatione laudata, sive eludere, sive in consensum secum pertrahere Vir acutissimus annisus fuit [3]), in rebus Historicis definiendis, nullam esse oportere, alio loco postea ipse demonstravit [4]).

---

[1]) Diss. *de Quenlandia Antiqua*, quam illo praeside publicae commisit luci Cl. *Ol. Eneroth*, Ups. 1767, 4:o, quamque maximam partem, (Germanice versam), suo inseruit operi, Allgemeine Nordiſche Geſchichte, Cel. SCHLÖZER, p. 483—490.

[2]) Mox ab initio. Vid. BIÖRNERS Kämpa-dater.

[3]) § VIII. Sed ipsum textum hanc respuere medelam, oppido patet.

[4]) Vid. EJUSD. *Bref, rörande then Isländska Edda*, pag. 26 sqq. Recentiorem esse hanc fabulam, quam ut testimonii de

Elegantissime etiam fontem erroris, qui ADAMO *Bremensi* imposuit, *Amazonas* sive *terram Feminarum* in Septentrione nostro quaerenti, simul aperuit: quem errorem, (ex confusione vocabulorum similis soni natum, quorum alterum ex altero male interpretabantur homines linguae non satis periti), si multo antiquiorem esse existimemus, etjam inde famam pervenire potuisse observat, cujus jam TACITUS meminit, (de moribus Germanorum C. 45), de *Sitonum gentibus, quibus feminam dominari*, miro sane in feris ac bellicosis antiqui Septentrionis incolis, more ferebatur: quem locum, si *Adamo* quidem notus fuit, ad hujus conjecturam magis etiam sibi aliisque commendandam contulisse, haud absurde credas? Gente porro Sveonica, quam coloniam esse, ab Odino in septentrionem adductam vulgo existimant, antiquiores Quenos fuisse, docte ostendit, (in quibus annon veterum quoque Jotae, tot fabulis noti, quaerendi sint? aliis dispiciendum relinquimus), ac Norrlandiam, praecipuam illorum, post adventum certe Sveonum, sedem, ad systema regni Sveonici olim non pertinuisse, egregie notat [5]). Cujus autem generis fuisse putet, non satis liquide vir illustris explicuit; nisi quod ad illam rationem inclinare videtur, qua stirpis fuisse Fennicae creduntur, atque nostros Finlandos propiore etiam quam Lappos cognatione contin-

---

tam vetustis rebus dicendi jure polleat, vel ex iis patet, quae de *Lappis* a Finmarkiae incolis diversis, p. 3 commemorat: quae faciunt, ut nisi interpolatum hoc loco putes, difficulter mihi persvadere queam, auctorem ad *Sturlonidis* aetatem pertingere. Auctoritatem vero ejus maxime elevat, quod auctori longe certiori, OTHERO, (de quo mox), palam adversetur.

[5]) Unde tamen nimis cupide Cel. SCHÖNING plurimam ejus partem ad Norvegos olim pertinuisse, concludere videtur. Cfr. EJUSD. Forſög til de Nordiſke Landes, ſærdeles Norges, Gamle Geographie, § 11, 12, 43—46. Quae de perpetuis Quenorum, (hanc regionem habitantium, quos male Vir Doctissimus in Finlandiam ablegat, et vehementer affligit), cum Norvegis bellis narrat OTHERUS, (loco mox adducendo), satis ostendunt, Norvegorum imperio has provincias olim non fuisse subjectas.

[6]) *Diss. laudatae* § IX, XVI.

gere putantur [6]). Quod cum minus probabile nobis videretur, qui tanti Viri auctoritatem maximi caeterum facimus, nonnullaque alia haberemus, quae spicilegii instar praeclaram ejus de priscorum Quenorum rebus disquisitionem afferri posse existimaremus; hanc eligere materiam placuit, in qua explicanda, specimen aliquod industriae edituri, vires juveniles experiremur: quem nostrum conatum ut L. B. benigne interpretetur, et ingenii doctrinaeque inopiam studio patriam colendi illustrandique Historiam condonet, qua par est observantia rogamus.

§ II.

Praecipuum de Quenis antiquis scriptorem, quo si careremus, nulla supereresset spes lucis rebus illorum adfundendae, AELFREDUM esse, magnum olim Anglorum Regem, apud omnes constat, nisi in hac materia plane hospites. Qui laudatissimus Princeps, exceptam ex ore OTHERI, viri Norvegi praecipui, de situ patriae suae vicinarumque regionum narrationem quantivis pretii, (*Periplum* OTHERI appellare moris est) praefationi *Historiae Orosii*, in linguam Anglo-Saxonicam a se conversae, inseruit. Egregium hoc antiquitatis monumentum, typis expressum ubi legi possit, l. c. § VI, p. 9, Generos. IHRE significat; supplendus ex praeclara quam exhibet hujus rei notitia Ampl. LANGEBEK in laudatissimo opere *Scriptor. Rerum Danicarum medii aevi*, T. II, p. 106 sq. [1]): ubi ipse deinde *Periplus*, accurate (quantum sine membranis fieri potuit) editus notisque doctissimis illustratus, habetur. Accuratiorem adhuc textum exhiberi, in editione versionis *Orosii* Anglo-Saxonicae a R. *Ælfredo* confectae, quam Dn. DAINES BARRINGTON Londini emisit a. 1773, 8:o, docet Cel. JOH. REINH. FORSTER, (Geſchichte der Entdeckungen und Schiffarten im Norden, II Abſchn. p. 73, not.), annotationibus etiam ac mappa adjecta Geo-

[1]) Cfr. etjam Göttingiſche Anzeigen von gelehrten Sachen, 1765, 78 Stück, ubi Cel. MURRAYI de *Periplo* hoc *Otheri etc.* Dissertatio recensetur.

graphica, (ejusdem *Forsteri* diligentia elaboratis), ad calcem subjunctis; quas tamen typis non diligentissime esse exscriptas, idem queritur. Eandem porro textum Peripli *Barringtonum* in scripto suo *Miscellanies* dicto, a 1781 (in 4:o) edito, *Forsteri* tamen annotationibus omissis repetiisse, non sine acerba reprehensione addit: quem utrumque Angli librum consulendi, dolemus nobis hactenus defuisse opportunitatem. *Ælfredi* itaque locum, in quantum Quenos attingit, qualis apud *Langebekium* legitur, adjuncta etjam interpretatione, apponimus:

„Donne is to gemnes thaem lande sudveardum, on odre healfe thaes mores, *Sveoland*, [oth thät land nordveard]. And to emnes[2]) thaem land nordeveardum, *Cvena land*. Da *Cvenas* hergiad hvilum on tha *Nordmen* ofer done mor, hvilum tha Nordmen on hy. And thaer sint svide micle meras fersce geond tha moras. And berad tha *Cvenas* hyra scypu ofer land on tha meras, and thanon hergiad on tha *Northmen*. Hy habbad svide lytle scypa and svide leohte.

Ex adverso illi regioni (Norvegiae) ad austrum, ex altera parte montium, sita est Svecia [ad illam usque regionem septentrionem versus]. Et ex adverso illi regioni ad septentrionem, Qvenlandia. Qveni interdum depraedantur Normannos trans illos montes, interdum Normanni vicissim eos. Multi autem sunt lacus salsedinis expertes inter montes. Quamobrem Qveni portant navigia sua in hos lacus, et ita despoliant Normannos. Habent valde parva navigia et valde levia.

Cujus de gente illa testimonii ut sensus verus percipiatur, primum vocabula nonnulla interpretanda sunt. *More*, Oxonienses qui OTHERI hunc *Periplum*, JOH. SPELMANNI *vitae Regis AElfredi* a se editae[3]) adjunxerunt, verterunt *montes*, jugum sc. intelligentes quod Norvegiam a Svecia separat. FORSTERUS autem (l. c. p. 90) Moor, (Germ. et

[2]) An *gemnes?*
[3]) Oxonii 1678. Fol.

Angl.) interpretatur ein ſchwarzes torfichtes Brüchland, *terras palustres desertas*, ac culturam *aegre admittentes*. Prior explicatio longe magis placet; quia non est verisimile *Otherum*, situs locorum haud ignarum, Alpium oblitum inter utrumque regnum mediarum, paludes multo minus memorabiles, patriae suae fines constituisse. Deinde *Mor* apud Anglo-Saxones *montem* significasse, ex JUNII *Etymologico Anglic.* voc. *More* discere licet [4]); a qua significatione, quam contextus aperte poscit, (*Langeb.* p. 125) cur abiret, nullam Cel. FORSTERUS idoneam attulit caussam. Dubium itaque non est, quin Alpes, quae Norvegiae partem australiorem a Svecia, eaedem septentrionaliorem a Quenlandia olim separaverint; adeoque haec Svecis ad septentrionem, Norvegis ad orientem sita fuerit: unde Norrlandiam fuisse hodiernam, luce radiat manifesta. Verba autem interposita *oth thät land nordveard*, (quae Oxonienses in versione latina, a posterioribus editoribus repetita, omiserunt), plus facessunt negotii. Nisi enim temere interpolata esse judicare malis: aut divisione verborum, qualem (LANGEBEKIO auctore) dedimus, retenta, interpretari oportet *ad austrum ex altera parte montium sita est Svecia, extendens se usque ad illam regionem (Norvegiam?) versus septentrionem*, (confinis, in septentrionali sua parte, Norvegiae), tautologia satis inepta; aut sic interpungendum est, *on odre healfe thaes mores, Sveoland. Oth thaet land nordveard, and to gemnes thaem land nordveardum, Cvenaland.* Hoc est: *ex altera parte montium Svecia. Illi regioni* (Norvegiae? vel num Sveciam hic intelligere licet, et vertere *cui terrae?) ad septentrionem, et ex adverso septentrionali parti ejusdem* (dictae) *regionis* (sc. ex altera parte alpium) *sita est Quenlandia.* Sveciae sane ad septentrionem sitam fuisse Quenlandiam, quomodocunque verba interpreteris, manifestum

[4]) Cfr. etjam IHRE *Glossar. Sviogoth.* voc. MOR, *saltus, silva densior;* ac Eundem in Praef. *Lexico Lapponico* Dnn. LINDAHL, et ÖHRLING praemissa p. XXI: nec non cit. *Lexicon* in voc. *Muor.* l. *Muora.*

est; sed nec absurde, Norvegiae magnae parti (Finmarkia sc. plane, ut decet, exclusa) ad septentrionem, partem Quenlandiae antiquae collocatam fuisse, videatur? Impeditiorem tamen sic quoque evadere orationis structuram nemo non sentit; quae, ejectis prorsus verbis *oth thaet land nordveard*, longe fluat facilior.

Lacus autem haud paucos inter alpes nostras a Norvegiae parte, (nam esse de ea sermonem facile patet) reperiri, in quos lembos suos Queni, Normannos despoliaturi, transportare potuerint, certum est: quales ex. gr. sunt *Miors*, *Saela*, *Snasa etc.*

In Finlandia igitur nostra ne Quenorum sedes quaerantur, hoc OTHERI testimonium aperte prohibet: quam nonnisi Alpibus objectis a Norvegia separari, ut quam mitissime dicam, mira assertio fuerit. Praeclare Generos. IHRE: *Porro autem*, inquit, *exercita mutua latrocinia viciniam manifesto arguunt: quumque praeter jugum montium non nisi lacus, salsedinis expertes, Norvegos et Quenos disterminare narret* (OTHERUS), *indicio hoc est, trans mare Balthicum* (Sinum Botnicum) *eos non advenisse; quod idem confirmant portatilia eorum navigiola, in quibus spatiosiori aequori sese haud commissuri fuissent.* (Diss. laudatae § VI, p. 8 sq.) Ac ubi revocamus in memoriam, OTHERI tempore, Norvegorum neminem ultra *Halogalandiam*, (Helgeland hodie dictam) septentrionem versus sedem fixisse, (quod aperte ipse asserit; vid. LANGEBEK l. c. p. 108 et 113, not. b) et y): hodiernam imprimis Helsingiam, Jämtiam, Medelpadiam, nec non Angermanniam et Vestrobotniam, a Quenis fuisse habitatam, statuamus necesse est.

§ III.

Utrum ad opposita quoque Sinus Botnici littora (hodiernam Ostrobotniam) Queni sedes suas extenderint, quod Nobil. IHRE, (ut *Torfaei* inprimis aliorumque hypothesibus satisfieret), negare ausus non fuit; nobis quidem parum constat. Reliquam certe Finlandiam attigisse, nullis pro-

babile reddi potest argumentis. Si veterum *Helsingorum*, quod infra evincere conabimur, Queni fuerunt majores, ad Uločnsem usque lacum atque fluvium limites eorum olim pertinuisse, a veritate non abhorret: quibus suam regionem a Finlandia distingui, Helsingi quondam asseruerunt [1]). Australioris vero Ostrobotniae fuisse dominos, vix credas. Suam de sedibus Quenorum ad orientem Sinus Botnici collocandis opinionem, TORFAEUS Narrationum (Sagor) quarundam Islandicarum auctoritati superstruxit: quarum vero in rebus Geographicis, quoties regiones longinquiores attingunt, quam sit vacillans in universum fides, et quo inprimis loco ubi certioribus monumentis repugnant, haberi debeat, satis jam constat. Ac ipsa illa expeditionum contra *Kyrialos* seu *Carelos*, in favorem FAREVIDI Quenlandiae Regis (circa a. 877?) a Norvegis susceptarum descriptio, quam exhibet TORFAEUS [2]), suspicionem auget nostram. Narratur enim, Norvegos ex Quenlandia in Careliam moturos, *montem conscendisse*, qui utramque scilicet regionem dirimeret; quale jugum, singularis quidem altitudinis, aut quod conscendentibus laborem facessat, ex Ostrobotnia in Careliam tendentibus nullam occurrere novimus. Crederes Auctorem narrationis, *Quenos* a boreali, *Kyrialos* ab australi Alpium Norvegicarum latere collocasse, aut Alpes quas Norvegiam a Quenlandia discriminare audiverat, inter hanc et Careliam, prae ignorantia veri situs locorum transposuisse, nisi adjiceret: *Aucti spoliis haud exiguis Farevidus et Thorolfus* (Norvegorum Praefectus) *in Queniam redeunt. Mox Thorolfus, fir-*

[1]) Vid. PERINGSKÖLD *Monument. Upland.* per Thiund. p. 3 sqq. et *Monum. Ullerak.* p. 150.

[2]) *Hist. Rer. Norvegicar.* P. II, L. I, C. 17, p. 32: „Ubi in Quenlandiam ventum est, — exercitum instruunt. — *Conscenso monte* in *Kirialos*, qui prius Quenos impugnarunt, inciderunt.“ Et C. 18, p. 34: „Eodem tempore Thorolfus centum comitibus in Quenlandiam ad Regem Farevidum profectus est. Ibi communibus viribus — *monte conscenso* in Kirialiam infusi, eas territorii partes pagosque diripuerunt, quae minus populosae ad resistendum inhabiles videbantur.“

mata cum Queno amicitia in montem (Alpes Norveg.) *se recepit, provectusque ad Sinum Vefsifen* etc. Novis igitur alpibus, Norvegicarum similibus, inter fines Careliae atque Quenlandiae (quam sic ubi quaeras incertissimus fias) liberaliter donasse, aut Careliam in ora Oceani Glacialis et Carelstrandiae peninsula (ut eam ex Helgelandia adituris alpes Norvegicae bis essent superandae) collocasse, videtur: quam posteriorem si adoptemus rationem, nostrae de situ Quenlandiae non adversabitur sententiae. Caeterum Carelos terras inter Sinum Fennicum et Mare Album porrectas, utrique mari conterminos occupasse, in confesso est; nec mirum igitur videri debet, si in utriusque vicinia littoris occurrant. Quin sinus etjam Botnici littora, per lacus ditionis Cajaneburgensis et fluvium Uloënsem descendentes, nonnunquam adiisse, creditu haud est difficile; si testimonia modo idonea tali faveant conjecturae.

§ IV.

Firmamentum eidem, de patria Quenorum in Ostrobotnia maxime ponenda opinioni, summis Viris adoptatae, a cognatione porro nominis vetustae hujus gentis *Queni* sive *Quaeni*, et *Kainu*, qua appellatione Carelii atque Savones Ostrobotniam adhuc significare solent [1]), et unde *Cajana* et *Cajania* derivata sint, quaeri videas. Quod sane argumentum veri specie non omnino caret; cuique accedit, quod observante Nobil. IHRE, *Norrvegi hodieque Quenorum nomine illos Lappmarkiae incolas appellant, qui Fennicae originis sunt, Finlandorumque lingva utuntur. Hi autem*, addit, *non tantum sermone a reliqua Lapponum gente dignoscuntur, sed etjam faciei colore minus fusco, nec non statura proceriore; ut adeo diversae originis populos esse, abunde pateat* [2]). Ac fatendum est, admodum videri probabile, Fen-

[1]) *Cainunen* nempe, et *Cainulainen*, his est Ostrobotniensis; *Cainu* vel *Cainumaa* Ostrobotnia.

[2]) Diss. laudatae § IX p. 11. Non hos solum, sed omnes omnino Finlandos a Norvegis *Quaener* salutari, dicit *Henr.*

nicae prosapiae hos Lappmarkiae incolas ab Ostrobotniensibus ac Westrobotniae illarum paroeciarum hominibus qui Fennico utentes sermone, cum vicinis Ostrobotniensibus stirpem produnt communem, maximam partem genus suum ducere: quorum hodieque nonnulli, inopia et errore ducti, in Lappmarkiam migrare solent, piscatu inprimis vitam ibi sustentaturi. Quin Moris esse Norvegis, ut Ostrobotnienses etiam Quaenorum nomine comprehendant, vel inde patet, quod et illos ipsos Öſt-Qwäner, et terram cum eorum tum vicinorum Vestrobotniensium (quos igitur Wäſt-Qwäner vocari credas?) Qwänenland, diserte appellari, deprehendimus [3]).

Sed haec tamen omnia, ad Quenos veteres Fennicae stirpi asserendos non valere, existimamus. Primum enim Ostrobotnienses boreales, quibus ac suae terrae, praecipue

---

Ganander, *Gramm. Lappon.* praef. p. 8. *Adjiciam*, inquit, *et illud*, *Norvegos ex adverso habitantes*, *vocem Lappo non agnoscere*, *sed quos alii Lappones*, *illi* Finnar, *contra aliorum* Finnar, Qwäner *salutare solent!* Nempe alios non norunt *Fennos* (praeter *Carelos*, quos distincto nomine Kyrialer vocarunt) quam *Botnienses*. Quomodo nostri Fenni omnes Germanos Saxalaiſet, a littoris sibi proximi et solius olim noti incolis Saxonibus, hodieque appellant. *Finnorum* autem nomen *Lappis* solis recte tribuunt: quibus, ut vel ex OTHERI periplo patet, proprium fuit; nostris popularibus, hodiernis Finlandiae incolis, postea temere tributum. *Lapponum* seu *Lapporum* nomen recentius, ex magiae crimine, ut videtur iis, objecto ortum, genti tamen adhaesit. Cfr. IHRE *Gloss.* voc. *Lapp*.

[3]) Vid. ex. gr. Excerpta quae ex libro Ms. „*Sporrings* Relation, angående Finmarken," leguntur in HANS HAMMONDS Nordiſke Miſſions-Hiſtoria, (Kiöbenh. 1787, 8:o), p. 908 sq. Item ISAACI OLAI F. scriptum *de finibus Finmarkiae Norvegicae*, insertum ibid. p. 923 et 927. Illi autem Queni quinam fuerint, quos circa a 1271, regnante *Magno Hakonis* F. (Lagabäter), una cum *Kyrialis*, in *Halogiam infusos*, *crudeliter saeviisse* commemorat TORFAEUS (l. c. P. IV, L. V, C. 6, p. 352); eo difficilius dictu est, quoniam non additur utrum maritimo an terrestri itinere irruperint? Fieri potuit, ut *Carelis* qui ad Sinus Botnici littora penetraverant in societatem adscitis, Norlandiae incolae, alpibus superatis, veteri more in Norvegos hanc expeditionem fecerint?

nomina *Kainulainen* et *Kainu* Savones ac Carelii tribuunt, (parum commercii cum australibus Ostrobotniensibus, minus hinc sibi cognitis, olim habentes), ipsi hanc appellationem a se removent [4]), atque ad Vestrobotniae incolas transferunt; illos quidem maxime, (Tornoënses etc.) qui Fennice loquuntur, sed eosdem etiam sibi proxime finitimos. Itaque colligi vel hinc posse videtur, veras Quenorum sedes in occidentali Sinus Botnici littore olim fuisse; qui ad orientem fines suos extensuri in Carelios inciderint, occidentem versus atque Botnici littoris viciniam limites suos pariter proferentibus. Unde reliqui Carelii et Savones, pristinas sedes servantes, Quenorum appellationem obvio sibi ab occidente proximo populo peregrino propriam, huic quidem primum, sed deinde hoc sensim remoto, terrae ejusdem novis habitatoribus, *(communi licet secum stirpe oriundis)* solenni errore [5]) indidisse: quam ad suos hi similiter ab eadem plaga vicinos, applicuerunt. Nec aliam caussam Norvegos seduxisse, credere licet, ut Finlandis nostris ex altera parte Alpium Finmarkicarum sibi imminentibus, nomen darent Quenorum, quod ad alios homines, ac maxime Alpium Norvegiae Australioris accolas transmontanos, olim pertinuerat. Cujusmodi confusione vel auctorem commemoratarum a nobis supra *Originum Norvegicarum*, vel plenioris *Historiae R. Olai Tryggonis* F. [6]) non vacasse, putamus, a multis deinde aliis hinc hausta. Quid? quod a Lapponibus hanc appellationem omnino ortam fuisse atque ad Norvegos propagatam, valde probabile videtur. In Lapponica autem lingua adeo non ad homines Fennicae stirpis designandos pertinet, (quos *Suomalats*, vero atque domestico gentis nomine, Lappi appellant), ut commune contra Svecorum atque Norvegorum genus significet. Apprime ad

[4]) Idque jure, ut putamus, optimo; partim enim Carelicae partim Tavasticae originem stirpi debere, non contemnendis probare licet argumentis.

[5]) Sic ad *Francos* nomen *Gallorum*, ad *Anglos Britannorum* sive *Brittorum* transiit etc.

[6]) Vid. T. I. p. 215. T. II. p. 140.

ad rem nostram facit disputatio Doctissimorum Auctorum egregii *Lexici Lapponici*, (cura et impensis Illustriss. *Regiae in Ecclesias Lapponicas Directionis*, non ita pridem editi, Stockh. 1780, 4:o), voc. *Kainolats* ita scribentium: „*Kainolats*, Kainahaljo, *ita Lappones Svecos et Norvegos appellant.* Kainahalja, *foemina Svecica aut Norvegica.* — Videtur a Fennica *ortum esse voce* Cainho, Helsingus sive Svecus [7]); unde Cainho Kylä, *vicus quidam ad Tornam urbem*, Helsingbyn". Quae verba non uno nomine et lucem et firmamentum supra observatis afferunt.

§ V.

Nihil quidem vel de lingua vel de moribus Quenorum Otherus commemorat, quod hanc de genere stirpeque illorum controversiam dirimat. A *Finnis* tamen (s. Lapponibus) non minus quam a *Nordmannis* (Norvegis) aperte distinguit; ac ne conjectando quidem, quod de *Biarmiis* fecisse videmus [1]), Finnicis adjunxit nationibus. Quod ab Adami Bremensis de Fennis, Helsingiae quondam incolis, hariolatione petitur argumentum, haud moramur: cui et parum fidendum esse, integris rerum judicibus facile patet [2]),

[7]) Illud nobis quidem vocabulum Fennicum ignotum est. Videtur autem *Kainu* et *Kainulainen*, quod nuper indicavimus, ad antiquam *Quenorum* gentem designandam proprie olim pertinuisse, (a Lappis etiam ad Fennos vicinos propagatum); atque hinc a Fennis Westrobotniensibus ad *Svecos*, ac maxime *Helsingos*, veterum Quenorum progeniem, (*Norrlandos* quoscunque intellige), sibi proximos notissimosque, recte denotandos adhiberi. Quae omnia nostram egregie firmant sententiam.

[1]) Langebek l. c. p. 110.

[2]) *De situ Daniae* etc. c. l. p. 61. *In confinio*, inquit, *Sveonum vel Nordmannorum, contra boream, habitant Scritefingi; quos ajunt cursu feras praeire. Civitas eorum maxima Helsingaland*, et *Halsingaland regio est.* Et paullo post: *Haec* (Svecia) *ab occidente Gothos habet, et civitatem Scaranen, a borea Vermilanos, cum Scritefingis, quorum caput Halsingaland; ab austro longitudinem habet — Baltici maris - -: ibi est civitas magna. Ab oriente autem Ripheos montes attingit, ubi de-*

et si faventer velis interpretari, vicinos huic regioni Lappones animo obversatos esse, credendum est. Neque etiam ex vetustioribus Norvegorum vel Islandorum narrationibus, in stirpe cognationeque Quenorum indaganda, multum lucis atque adjumenti adipiscimur. Si tamen quae de Rege eorum *Farevidr* apud TORFAEUM (l. c.), et de *Miolla* Filia Regis Quenorum apud ARNGRIMUM JONAE *(Crymogaeae p. 114)* leguntur [3]), certa amplecti fide licet, etiam haec nomina, a genio linguae Fennicae plane abhorrentia, ad gentem Germanicae sive Gothicae stirpis, conjecturam animi inclinant. Minime autem *Quenos* in *Maris Albi* vicinia quaerere, prolata jam rerum documenta permittunt; quare Cel. FORSTERI sententiam amplecti nullo modo possumus, qui Quenos cum Fennis confundens, oppido Carelorum illis assignat sedes [4]). Neque rationi quam in praesidium hujus sententiae suae adhibet, satis momenti inesse nobis videtur; nempe *Cven-Sae* cujus meminit AELFREDUS, *Mare Album* interpretatus, in hujus maris vicinia *Quenos* male quaerit, quos adeo manifesto in Norrlandia nostra Regius scriptor collocavit, ut Cel. FORSTERUS ipse, alio loco *Quenlandiam*, versus septentrionem a Sveonia sitam fuisse doceat (l. c. p. 84, cfr. et p. 85 not. 43). Quomodo igitur in Fennia quaeri poterit? Nec in descriptione Albi Maris, quod sese adiisse atque cognovisse ostendit OTHERUS, tali illud unquam nomine appellat. Cum praeterea *Germaniam*, versus septentrionem ad *Quenorum* usque hoc *mare (Cven-Sae)* sese extendisse *AElfredus* doceat: vel hinc manifestum fit, de *mare Baltico*, cujus utique Queni olim erant accolae, ei esse sermonem, non de *Albo* illo, ad quod nemo unquam, quantum scio, Germaniae fines extendit: interjecto nempe terrarum spatio non Germanici sed Fennici generis natio-

---

serta ingentia, etc. Ibi sunt Amazones, ibi Cynocephali etc. Quid mihi frugis bonae ex his nugis exsculpes?

[3]) Cfr. IHRE *Diss. laudatae* § XI p. 12.

[4]) Vid. l. c. p. 75, not. 4); et adjecta libro suo Mappa Geographica.

nibus semper habitato. Nec ad rem facit, quod *Quenorum* illud *mare* Oceanum (Garsecg) *AElfredo* appellari observat: nam saepe et alios veteres similem de hoc mari opinionem fovisse, notum est.

DE FAMA MAGIAE FENNIS ATTRIBUTAE.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICAE CENSURAE OBTULIT

FRID. JOH. ROSENBOM.

Aboae 1789.

§ I.

Mentem humanam, quamdiu inculta manet, nonnisi rebus vehementius in sensum agentibus, insolitis ac novis (quarum tamen in illa ignorantia non potest non insignis existere multitudo) ad attentionem excitari, satis constat [1]). Illis autem, quod caussas phaenomenorum veras perspicere haud valet, vires facile adscribit occultas atque mirabiles, et analogiae cuidam ex hominum actionibus ductae insistens, sensum atque adeo animum tribuit, imo (ob effectus sibi irresistibiles) naturas iis praesidentes vel inhabitantes humana majores ac potentiores adjungit [2]). Quibus tamen aut conciliandis aut subigendis cum se viam aliquam aut consilium aliquando reperisse sibi persuadeat, aut casu oblatum, aut observatione atque analogia quadam inventum, aut ex phantasiae pravae ludibrio enatum; superstitionis stultae spissa hinc seges existit, qua nullas non gentes barbaras misere deludi scimus [3]). Accessit mox planorum vafra audacia, qui reliquorum superstitione ac credulitate ad quaestum faciendum et auctoritatem in eos sibi comparandam abusi, fraudibus atque praestigiis infelicem hunc animi mor-

---

[1]) Cfr. Heyne *Opusc. Acad.* Vol. I. p. 195 sqq. et Vol. III p. 7—38.

[2]) Cfr. Kraft **Sitten der Wilden**, 3 Abtheil.

[3]) *Ex rerum caussarumque ignoratione omnis persuasio de rebus praeter solennem naturae ordinem progressis novaque et insolita ratione natis, viresque obscuras et arcanas nactis, oritur. Ita ad omne Τερατολογιας et superstitionis genus via patefacta est.* Heyne l. c. V. I, p. 191. *Est enim ea mentis humanae imbecillitas, ut cum in caussas rerum inquirere incipit, primo res aeque incognitas et mirificas pro caussis subjiciat, utque de caussis physicis nonnisi novissimo loco cogitet.* Id. ib. p. 205.

bum graviorem etiam atque funestiorem reddiderunt, ut magos, vates, medicos, sacerdotes nullis fere non rebus eorum sese interponentes: quae vulgaria adeo sunt, ut exemplis adferendis ea confirmare, omnino sit supervacaneum. Ac sicut ab una parte vehemens non minus quam stultum futura praesciendi studium in nullas non fraudes homines rudes impulit; ita rerum omnium admiratio insolitarum, et de vi superiorum naturarum persuasio, eo illos vecordiae egit, ut non modo homines furiosos et mente captos veneratione quadam, tanquam divinos, prosequerentur, sed etiam non facile sub alio quam turbato et vesano mentis statu homini mortali commercia cum diis aut spiritibus (tanto scil. potentioribus, ut praesentiam eorum ferre haud facile valeret), contingere crederent [4]): qualem hinc conditionem neque impostores vel arte quadam sibi inducere, vel callide simulare, praestigiisque variis adjunctis fucum credulis facere, neglexerunt [5]). Hujusmodi initiis ac fundamentis, turpis

[4]) Sic VIRGILIUS (Æneid. L. VI v. 47 sqq.) Sibyllae vaticinaturae habitum terribilem describit:

— — — — — — *cui talia fanti*
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comtae mansere comae, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri
Nec mortale sonans, afflato est numine quando
Jam propiore Dei.

[5]) Cfr. inprimis KRAFT l. c. § 21—27. Scilicet nihil fere insolitum quod esset, naturale habebatur. Unde omnes morbi vehementiores a spirituum superiorum vi enati credebantur. Unde deliriis quoque aegrotantium non parum fuisse attentionis atque obsequii a miseris barbaris praebitum, novimus. Quumque visa dormientibus sibi interdum clarius oblata, non modo ob speciem rei ipsius hominibus rudibus mirabilem mentes vehementer afficerent, sed etiam inter exempla plurima, vanitatem talium phantasiae ludibriorum, quasi rectore carentium, demonstrantia, (parum illa memoriae commissa), quaedam cum eventu rerum, similitudinem habere, casu natam, deprehenderentur; in his praecipuum futuri, cujus praesciendi avidissimi stulti mortales semper fuerunt, significationem inesse, iis callide interpretandis cognoscendam, putabant. Cfr HEYNE l. c. Vol. III, pag. 36. KRAFT l. c. § 26.

illa non minus quam coeca et perniciosa de *Magia* et *Artibus* viribusque *Magicis* persuasio, superstructa fuit [6]); quae barbarorum non tantum omnium mentes infecit atque occaecavit, sed cultiorum quoque gentium pervasit et turbavit animos, quos post literarum etiam lumen exortum diu obsedit [7]), nec hodieque, proh dolor, in tanta scientiarum luce iisdem eripi atque penitus fugari potuit. Quo tamen gens aliqua rudior fuit, quo incultior et coecior, quo debiliori judicio, quoque vehementiore simul ac perturbatiore phanta-

---

[6]) Magna, ut in re commentitia necesse fuit, de ipsa notione Magiae constituenda, homines opinionum diversitate fluctuarunt. *Naturalem* illam (quam vocant) e cognitis rerum naturalium virtutibus ad vulgus parum notis profectam, hinc omnino eximendam esse, facile intelligitur: *Praestigiatoriam* autem illam (*γοητειαν*), quam ex spirituum fere quorundam superioris generis auxilio pendere existimabant, partim *bonam* et *beneficam* habebant (in rerum futurarum praedictione, morbis pellendis etc. sese exserentem), veneratione igitur et favore dignam, partim *nefariam* et *maleficam* (veneficium), in hominibus laedendis et necandis, variisque damnis gignendis occupatam: utrumque tamen genus iidem homines exercebant, quos alias honore, alias poenis dignos reliqui censuerunt; odio tamen atque detestatione, metus perpetuo comite, frequentius quam favore eosdem prosecuti. Quae omnia nota adeo sunt, barbarisque populis cum paullo cultioribus communia, ut argumentis hoc loco confirmare necesse haud sit.

[7]) Quem fugit, quanto studio olim etiam Graeci et Romani haec deliria prosecuti sint? Qua de re vel loca plurima Poëtarum satis testantur. Vid. ex. gr. LUCANUS *Pharsal.* L. V. v. 430 sqq. Cfr. PLINIUS *Hist. Nat.* L. XXVIII, C. II sq. et L. XXX, C. I sq. Colchos inprimis atque Thessalos magicis artibus infames olim fuisse, notissimum est. Ac quid mirum, ad hanc stultitiam homines fuisse pronos, quorum tota religio superstitione turpissima nitebatur, oracula, sortes sacras, auspicia, extispicia, nullamque non amentiam continebat? quam magna est, inter utrumque genus delirii, cognatio, quam facilis ex altero in alterum delapsus! Fatendum tamen est, et honestioris conditionis homines ab his deliriis semper fuisse alieniores, et lucem literarum valde fidem iis datam minuisse; quae post philosophiae generosioris cladem, ex terris barbaris atque orientalibus, novo quasi impetu redierunt, atque ipsam quoque philosophiam turpissimo suo veneno infecerunt.

sia praedita; eo apertior his deliriis janua patuit, eo abundantior eorum fuit proventus [8]). Unde mirum videri nequit, et has inprimis fama stultissimae artis majori semper floruisse, (quae ut umbra sole exoriente, longius longiusque sensim fugata, ad remotissimos horridissimosque terrae angulos tandem recessit), et cultiores populos ubique in vicinos, quominus politos minusque cognitos, eo asseverantius culpam cum domi exercitae tum sibi quoque traditae facultatis vanissimae transtulisse [9]). Hinc septentrionis etiam nostri incolae alii alios, ut praecipuos artis dubiae (nunc sc. laudatae nunc reprehensae ac detestatae) magistros, vel suspexerunt vel incusarunt. *Germanici* generis nationes (Sveci, Norvegi, Dani) ipsae huic stultitiae admodum addictae [10]), *Finnis* inprimis hanc vel laudem vel infamiam

---

[8]) Vera non minus quam foecunda, et ad magiae quoque effectus opinatos applicabilis, est observatio D:ni Iselin: Solche Ereigniße ſind doch jeweilen nur bey ſolchen Völkern gemein geweſen, die noch in der Barbarey lebten, derer Geiſt, wie der von Kindern, ſehr roh, derer Urtheil ſehr ſchwach, und derer Einbildung ſehr ſtark und ſehr unordentlich war. Wie mehr hingegen die Vernünft eines Volkes und eines einzelnen Menſchen anwächſt, deſto wenigern Glauben finden ſolche Erzählungen bey ihnen. Wie mehr der Kopf eines Menſchen von wirklichen Begriffen leer iſt; deſto leichter beherrſchen ihn erdichtete und falſche. Wie mehr Licht und Warheit ſich darinn ausbreiten; wie mehr die Uebermacht der Einbildung geſchwächet wird: deſto mehr verſchwinden Geſpenſter und Erſcheinungen. **Geſch. der Menſchheit** 1 Band, 3 Buch, 17 Hauptſt. p. 331 sq. in nota. Idem tamen vir doctus et acutus, non audet has nugas in numerum vel deliriorum vel fraudum omnes simpliciter referre: adeo vehemens praejudiciorum inveteratorum est vis atque auctoritas! Cfr l. c. 18 Hauptſt. p. 336 sqq.

[9]) Sic *Graeci Colchos*, *Hyperboreos etc.* hac arte maxime valere, garriebant. Vid. Jamblichus *Vita Pythagorae* C. 19 et 28. Lucianus *Philopseud.* (*Opp.* T. II, p. 335, Ed. Amst. 1687 8:o). Cfr. Ovidius *Metamorph. L.* XV, v. 356 sqq.

[10]) Quippe qui ipsum suum *Othinum* hujus artis peritissimum fuisse, asserebant. Caeterum de magia illorum vid. inprimis, quae accurate et copiose collegit Illustr. Suhm **Om Odin og den Hedniſke Gudelære udi Norden** IV B. I C. § XII. XIII, p. 353 sqq.

tribuunt, quorum in his artibus summam peritiam, formidabilemque inde natam, nocendi praecipue, potentiam, nullae non eorum Historiae (Sagor) depingunt: quae cum post religionem adoptatam christianam, adeoque magicae artis odium vehementer auctum [11]), confectae sint; tanto etjam studiosius tam infame a sua gente crimen amoliri, et in paganos, adeoque magis barbaros minusque illud horrentes, conferre, instituerunt. Unde ad posteros quoque fama artis detestabilis huic maxime populo cultae atque familiaris, propagata fuit. Quam famam ejusque rationem, caussas et fundamenta paucis exponere, praesentis erit Dissertationis materies atque consilium.

§ II.

Primum vero observamus, *Finnorum* nomen, quod in antiquis Historiae Septentrionalis monumentis toties occurrit, illam proprie gentem, cui hodie hanc appellationem tribuimus, (incolas nempe magni Principatus Finlandiae, qui Suomalaiſet sese ipsi dicunt), haud respicere, Norvegis atque Islandis monumentorum plerorumque illorum auctoribus parum notam, sed eos, quos *Lappos* vel *Lappones* recentiori vocabulo veteribus illis scriptoribus ignoto, jam vocamus [1]). Unde quae de Finnorum Magia, veneficiis atque incantationibus apud illos narrantur, ad nostros trahi Majores nullo modo debent; eoque minus, quum assignatae etiam famosis illis incantatoribus plerisque sedes, manifeste homines Lappones indigitent; cum quibus, utpote vetustissimis Alpium septentrionalium habitatoribus, adeoque vicinis suis, multum olim negotii Norvegis fuisse, novimus. Quamquam igitur minime negamus, nostros etiam majores, ut reliquis

---

[11]) Nempe Diabolo jam ejusque auxilio omnia consilia operaque magica adscribere, moris erat.

[1]) Cfr. Diss. Clar. D:ni Frantzén *de Bircarlis*, supra p. 121 sqq. not. [5]) [6]) [7]). Ac notum est, neque hodie Norvegos nostris hominibus *Finnorum* nomen tribuere, quo Lappos ac maxime Finmarchiae suae incolas designant.

superstitionis nugis atque deliriis, ita praetensae quoque arti magicae incantationibusque valde fuisse deditos (cujus stultitiae necdum penitus vestigia evanuerunt); majore tamen illos harum artium cultarum infamia, quam pro merito, recentioribus temporibus fuisse aspersos, vel hinc suspicari mox licet. Gentem vero utramque (*Lapponum* sc. qui soli olim *Finni* vocati sunt, et quibus denotandis illud nomen inventum fuit, nostrorumque *Finlandorum*, quibuscum idem postea per errorem fuit communicatum) ex eadem licet antiquitus stirpe ortam, minime tamen esse confundendam, nec post adventum demum suum ad septentrionis has oras, multoque minus nonnisi post religionem Christianam in Patriam propagatam, in binos hos quasi ramos abiisse, sed diu antea jam fuisse Lappones, antiquissimos septentrionis incolas, a longe serius advenientibus Finlandis distinctos atque segregatos, certissimum [2]) habemus. Qua re diligenter observata, mox patebit, testimonia scriptorum exterorum (utpote alium omnino populum spectantia) ad Magiae a nostris olim majoribus factitatae studium vehementius, iis impingendum, haud sufficere.

§ III.

Quae de *Lapponum* partim celebrata olim partim exsecrata magia atque incantationibus, circumlata sunt, a scriptoribus rerum hujus gentis diligenter collecta et exposita [1]), persequi hoc loco non attinet. Non modo re atque veritate majora de iis, ut fieri solet, fuisse credita; sed a scriptoribus quoque veteribus, studio omnia in majus efferendi, temere aucta et exaggerata, facile est ad videndum. Neque quid homo sanus atque intelligens de his nugis atque deliriis existimare debeat, obscurum videri potest. Nostros autem majores, quos *Fennos* proprie vocandi jam mos in-

[2]) Diss. cit. l. c.

[1]) A Scheffero, Högströmio, Leemio caeterisque notissimis, qui de Lapponum Historia atque moribus scripsere, auctoribus.

valuit, quod attinet: in multis quidem ejusdem plane stultitiae, earundem technarum atque praestigiarum, quae Lapponum olim familiares erant Magis, apud illos quoque vestigia reperiuntur. Quod neque mirum; quum ex communibus caussis proveniens talium artium in omnibus fere populis barbaris, remotissimas licet mundi partes habitantibus, insignis occurrat similitudo: quam facile fuerit, comparatione inter Asiaticarum, Africanarum et Americanarum gentium superstitiones facta, (cujus facultatem copiosissimam peregrinatorum libri praebent), ex instituto demonstrare. Quod tamen hujus loci consilium nobis non permittit. Eadem ignorantia, idem amor rerum miraculosarum, idem ingenium rude atque incultum, eadem conditio vitae, iidem fere mores, idem ambitus et penus idearum, in similia consilia, similes eminendi et fallendi artes, homines ubique impellunt [2]). Soli tamen coelique natura diversa, quamque illa gignit in victus cultusque ratione diversitas, nec non gradus culturae major aut minor, dissimilitudinem quandam necessario parit; qualem inter Lapponum quoque superstiti-

[2]) Sic inter reliqua consilia effectus mirabiles praestandi, (gestus, exsultationes, agitationes, contorsiones et afflictiones corporis violentas et praecipites etc.), Carmina, vehementi mentis contentione recitata, ac interdum etjam cantum quendam (unde *incantationis* vocabulum exstitit), adhiberi nullibi non suevisse, notum est: quem morem, et ex vi carminum in mentes humanas afficiendas, saepius experta (quam in res quascunque alias non debiliorem esse, hinc intulerunt), et certarum formularum, vix aliter memoria accurate tenendarum, credita nescio qua efficacitate, a majoribus commendata, ortum fuisse, facile patet. Qualibus carminibus atque formulis, insitam quandam miramque vim per se inesse, plane ut vulgus coecum imperitumque putat, nec Philosophi defuerunt (nomine licet parum hoc digni), qui statuerent; ut vel Platonici sic dicti recentiores, suo exemplo, in probrum humani ingenii, demonstrarunt. Cfr. **Meiners Beytrag zur Geſch. der Denkart der erſten Jahrhunderte nach Chriſti Geburt,** ꝛc. ſ. 84—94. Ac apud nos quoque non multum abfuit a simili stultitia *Gabr. Maxenius* in Diss. Acad. de *Effectibus Fascino Naturalibus* (hic Aboae a. 1733 Praes. *Joh. Thorvöste* edita): vid. ejusd. §§ VII et VIII.

tionem, qui venatu tantum, piscatu et Rangiferis pascendis vitam sustinuerunt sustinentque, et Fennorum nostrorum, qui agriculturam etiam, ab initiis usque sedium suarum in his terris quaesitarum, operam dederunt, observamus. Sic memorabile est, *Tympani Magici*, cujus usus inter Lappones fuit celebratissimus (*Kâbda*, alii scribunt *Quodbas*, ipsi sua lingua vocant), apud Fennos adhibiti, nullum omnino exstare vestigium; ac ne nomen quidem hujus instrumenti Fennicum, ut neque apud Estones, ullum reperiri. At ejus tamen usus apud multas nationes barbaras Asiae septentrionalis, etiam stirpis Fennicae, (sed Lappis quam nostris Finlandis, aliis etiam rebus magis affinibus), solennis hodieque superest [3]). Nec minus est notatu dignum, inter reliquas Estonum superstitiones, quarum meminit non uno loco auctor veteris *Chronici Livonici*, quod in lucem publicam GRUBERUS edidit [4]), nullam prorsus hujus instrumenti occurrere mentionem; ut neque omnino insigni aliqua artium magicarum fama eminuisse, ullibi significat. Credibile est, in utraque natione, utpote jam agricola, adeo-

[3]) Ejus rei notitia egregia peti potest ex Itinerariis virorum Doctissimorum, qui jussu Academiae Scientiarum Petropolitanae per provincias minus cognitas vastissimi imperii Russici haud ita pridem peregrinationes susceperunt. Exempli loco nonnulla tantum exempla indicabimus. Sic Dn. PALLAS docet (Reiſe durch verſchiedene Provinzen des Rußiſchen Reichs, Part. III, p. 62), *Ostjacorum* magos sive *Schamanos*, ut plerosque Schamanos populorum per Sibiriam dispersorum, Tympanis magicis uti; idem de *Samojedorum* Magis, quos *Tadyb* vocant (nomine non omnino ab Lapponum *Tabdet* et Fennorum *Tuta*, cognoscere, abhorrente), ib. p. 75 et 78 narrat: de Chorinzicis (quorum Maga *Udugun* audiit) p. 176 et 181 sq.; de *Tungusicis* ib. p. 221 sqq. (cfr. GEORGI Bemerk. einer Reiſe im Rußiſchen Reich 1 B. p. 280 etc.; E. YSBRANTS IDES Reiſe nach China p. 64 sqq.; ADAM BRANDS Beſchr. ſeiner Chineſiſchen Reiſe p. 97 sqq.) de *Sagajicis* (dictis *Kahn*) ib. p. 345, 347; de Tataro Katschintzicis ib. p. 401 sq. Add. de Schamanis *Buraeticis* GEORGI l. c. p. 316 sqq.

[4]) *Origines Livoniae Sacrae et Civilis* (Ff:ti et Lips. 1740). Cfr. ex. gr. p. 167.

que ex crassissimae barbariei tenebris aliquantum progressa, absurdiora ista molimina (ut in aliis etiam terrae partibus, simili ubi homines conditione fuerunt, factum reperimus) cessasse; aliis licet cognati generis fraudibus atque nugis, mentes coecas fascinare nihilominus pergentibus. Quin, post promotas longius ad septentrionem, Lapponibusque propius gentis sedes, nova quaedam rursus superstitionis ludibria ab his fuisse adscita, non omnino improbabile credas, quos, qui inter Fennos nostros maxime superstitiosi sunt, hodieque ut harum artium non modo magistros se superiores suspiciunt, doctoresque suos agnoscunt [5]), sed, ad illos

[5]) Lappones olim, ante majorum nostrorum in has terras adventum, in Finlandia sedes suas habuisse, atque ab his sensim ejectos hinc esse, certissimis doceri potest argumentis; Cfr. Diss. D:ni FRANTZÉN supra citat. § 1, p. 119 not. [1]) [2]) [3]). Eosdem Lappones a Fennis magiae callentissimos haberi, quos doctores in hac arte suos agnoscunt, multis constat documentis. Sic si quem magicae artis peritia eminere inprimis putant, de eo dicere solent: **Se on koko Lappi,** *ille Lappo totus* (vel *plane*) *est.*

In carmine quodam superstitioso miles bellum aditurus, optat ut *Vehum Dei Väinämöinen, et pallium longinqui Lapponis* sibi in tegumen corporis contingat:

Waippa wanhan Wäinämöiſen,
Kaapu kauko Lappalaiſen,
Sepä tänne tuotukohon ꝛc.

In alio vates dicit se *verba tradita dicturum, quae Lappo olim cecinit, Sacer senex cantavit:*

Noita ſaatuja ſanoja,
Joita ennen Lappi lauloi,
Wihki wanha wieretteli.

Alius vates, tenuem suam excusaturus venam poëticam, dicit se neque genere natum esse poëtico, neque ex instituto artem didicisse, sed quasi e longinquo et clam canentem audiisse magistrum Lapponem:

En minä Runon' ſukua,
Engä laulajan lajia:

itinera quoque interdum, ubi scilicet sibi aqua haeret, admodum longinqua clam suscipiunt, exquisitiora responsa efficacioraque malorum, quibus premuntur, remedia inde reportaturi. Nec exigua superstitiosarum pars nugarum, quibus hodie Fenni nostri litant, Svecis atque Germanis accepta debetur; a quibus nostri illas, cum ipsa simul religione Christiana (turpe ac deplorandum!) didicerunt: quod ex collatis inter se harum gentium superstitionibus, oppido patet [6]). Inprimis quae Papisticas redolent fabulas atque

---

Ulkoa runoja kunlin,
Läpi seinän laulajata,
Lattialla Lappalaista.

[6]) Cfr. v. gr. quae de superstitionibus Svecorum habet JON. MOMAN Diss. de *Superstitionibus hodiernis ex Gentilismo* (Ups. 1750 et 1752, p. I et II. Praes. IHRE) cum iis, quae de *Superstitione Veterum Fennorum* tradit Diss. CHRIST. LENCQVIST (Aboae 1782, P. I et II): quam comparationem latius instituere, paginarum angustia nobis jam non permittit.

Quaedam inprimis carmina gentis utriusque superstitiosa adeo arctam produnt cognationem, ut nemini esse dubium queat, quin alia gens ab alia mutuo acceperit. Duo tantum exempla apponam. Sic ad *Paronychiam* depellendam (at läſa bårt Qwefan) tali carmine rusticos Svecanos superstitiosos uti docet MOMAN l. c. p. 62:

Wår Herre Chriſt och Sancte Pehr	Dominus noster Christus et Sanctus Petrus
Gingo wägen fram	Ambulabant per viam.
Så mötte de Qweſan;	Tum obviam venit Paronychia;
Så frågar wår Herre:	Tum interrogabat Dominus:
Hwart ſkall du gå?	Quorsum ibis?
Jag ſkall gå i en man- (qwin-) hand.	Ibo viri (foeminae) in manum.
Nej, ſwarar wår Herre;	Nequaquam, respondet Dominus;
Du ſkall gå i den ſkog bär ingen bor,	Ibis in silvam ubi nemo habitat,
I den ſjö bär ingen ror,	In lacum ubi nemo remigat,
Och under en jordfaſt ſten,	Ac sub lapidem terrae infixum;
Och icke göra denna mannen (qwinnan) men.	Ac huic viro (foeminae) non nocebis.

Contra eundem morbum (*Koi*, *Koisi*, vel *Koiso*, nomine etiam e Svecica lingua, ut videtur, mutuo accepto) hujusmodi carmen Fenni superstitiosi adhibent:

Jeſus käwi tietä myöden;	Jesus ambulabat secundum viam;
Tuli händä Koi waſtaan.	Obviam ei venit Paronychia.

)ortenta, (in quibus b. Mariae virgini et Apostolo Petro in-ignes dari solent partes), ex hoc fonte cuncta ad nos ma-ıasse, facile patet; nec dissimulo, suspicionem mihi esse, ıuasdam alias ineptias, quae in nostris terris atque mori-)us vix videntur natae, eadem hac via ex Graecorum Ro-nanorumque veteri superstitione, quam Christianae religionis)onfessores per infelicia illa ignorantiae secula turpiter adop-averant [7]), ad nostros Majores transiisse. Adeo non hu-

Ieſus ſanoi koille kowaſti:	Jesus dixit Paronychiae severe:
Riſingäs menet matoinen?	Quorsum vadis vermicule?
Renen tuonne luuta ſyömään,	Vado illuc, ossa rosum,
Lihaa menen mädättämään.	Carnem vado corruptum,
Rene tuonne kiwen alle,	Vade illuc sub lapidem,
Kidu ſiellä kinnahainen,	Conquerere ibi nebulo,
Waru ſiellä pannahainen,	Lamenta ibi exsecrande,
Läſä pitkäſä iſäſä,	Per longum hoc aevum,
Kinun päiwäkunniſani!	Per cunctos meos dies!

Membra luxata (equorum, pecudum etc. maxime) ad pri-tinum locum componendi rationem, Svecis usurpatam, talem radit l. c. MOMAN p. 63.

Jeſus red på ſin ſåla;	Jesus vehebatur equulo suo;
Hans ſåla wred ſig.	Equulus suus luxatus est.
Satte led mot led,	Aptavit (sc. Jesus) articulum contra articulum,
Sena mot ſena,	Tendinem contra tendinem,
Blod mot blod,	Sangvinem contra sangvinem,
Lade la i ſa,	Posuit cuncta in ordinem,
Bot ſom åt är gjordt.	Remedium quod perfectum est.

Eidem malo sanando Fenni hoc carmen adhibent:

Kieſus kirkohon ajawi,	Jesus in templum vectus est
Hewoiſellä hirwiſellä,	Equo coloris alcini (fusci)
Kala-hauwin karwaiſella;	Lupi marini similis;
Ijoi ſiltoa ſiniſtä,	Vehebatur super pontem coeruleum (obscurum, quia sc. summo mane iter fecit)
Raata maran karwalliſta;	Terram coloris hepatici (caligine obductam);
Hiweltyi hewoiſen jalka,	Luxatus est equi pes,
Kiwiſellä kirkko-tiellä	Lapidosa templi-via,
Kahaiſella wainiolla;	Petris-aspero campo:
Jeſus maahan rattahilta,	Jesus descendit ex dorso equi,
Suonia ſowittamahan,	Tendines coaptatum,
Jäſeniä jatkamahan.	Membra coagmentatum,
Riſt' on luuta luiſtahtanut,	Unde ossa evolarunt,

jusmodi nugarum vel majores nostri praecipui auctores, ut multi hariolantur, aut nostrae hae terrae istarum vera patria, existimari debent! Ac pariter in istis, quae vel de *Finnorum* s. Lapponum, vel de Othini sui artibus magicis scriptores narrant Islandici, quaedam ab his addita et illis afficta esse, ad similitudinem talium artium a scriptoribus Graecis Romanisque commemoratarum, (quarum aliqua ad se fama una cum literarum diluculo pervenerat), mihi quidem manifestum videtur [8]). Sed hic filum abrumpere cogimur.

Siiþen luuta liitykõhõn;	Illuc os adjungatur;
Miſt' on liutunut liþoa,	Unde dissoluta est caro,
Siiþen liittyõn liþoa;	Illuc addatur caro;
Miſt' on ſuonta ſuljahtanut,	Unde tendo dejectus est,
Siiþen ſuonta ſolmuſtelle:	Illuc tendo constringatur:
Ehommari ennelliſtä,	Ut fiant vegetiora pristinis,
Paremmari muinalliſta!	Meliora praeteritis!

Quis hasce nugas cum reliquo Papisticae superstitionis agmine a Svecis ad Fennos nostros pervenisse, non videat?

[7]) Minime negamus, (quod ex supra § I. dictis satis patet) insignem inter diversarum gentium barbararum superstitiones ubique deprehendi similitudinem, ex caussarum earundem eosdem effectus gignentium vi facile deducendam: sed tamen quasdam quasi locales esse, aegre nisi per mutuatam uni populo ab alio talem stultitiam explicandas, deprehendit credo quisque, accuratius indolem earum considerans. Atque ex hoc genere suspicor somnia fuisse Graecis olim familiarissima, de hominibus in ferarum variarum formas ope pharmacorum aut incantationum mutatis: quas nugas inde in septentrionem fuisse propagatas reor. Talem itaque formas mutandi potentiam suis etiam Magis Scandiani veteres adscripserunt (cfr. SUHM l. c.), unde similes fabellae ad nostram usque plebeculam propagatae sunt: quarum fontes, qui HOMERI *Odysseam*, LUCIANI scripta (ex. gr. *Asinum*), etc. legerit, facile agnoscet. Similia alia tacemus.

[8]) Plura sane de Lapponum s. Finnorum artibus vetera scripta tradunt Islandica, de quibus Lapponibus ipsis nihil fuit auditum: quod scriptores de superstitione Lapponum, cum illorum traditionibus conferenti, facile intelligitur. Cfr v. g. quae adfert l. c. Ill. SUHM cum iis, quae apud SCHEFFERUM *Lappon.* et HÖGSTRÖMIUM **Beſkrifu. öfw. Sw. Lappm.** leguntur.

DE IMPERIO HERMANRICI OSTROGOTHORUM REGIS.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISERUNT

CAROLUS REIN et ESAIAS HILDEEN.

Aboae 1792, 1794.

---

§ I.

Inter Reges Gothorum, ante imperium Romanum in ipsa Italia ab hoc populo perculsum, in confiniis Ponti Euxini dominantes, clarissimum est *Hermanrici* [1]) nomen; qui licet Hunnorum tandem succumbere formidolosae potentiae et ferocissimo impetui cogeretur, diu tamen imperium amplissimum atque per suam maxime fortitudinem suasque victorias dilatatum tenuisse, traditur. Res ejus (ut in populorum gestis fatisque contingere necesse est, qui ipsi scriptores rerum suarum, ad posteritatem certe notos, nullos habuerunt) multa obscuritate multaque incertitudine laborant: sed AMMIANI tamen MARCELLINI fides [2]) et JORNANDIS (seu JORDANIS [3]) diligentia famam laudesque earum ita conservarunt atque celebrarunt, ut materiam eruditioni ac diligentiae laudatissimorum recentioris aevi Scriptorum non contemnendam praeberent [4]). Quorum vestigiis insistentes, cum

---

[1]) Varie nomen, sive apud auctores veteres scribitur, sive in codicibus eorum manuscriptis exaratum exhibetur. *Ermenrichus* AMMIANO MARCELLINO (quomodo nostra exemplaria habent) dicitur; JORDANI vel *Ermanaricus* (In BONAV. VULCANII *Gothicarum — rer. Script.* C. 23, Ed. I, p. 64 sqq. et HUG. GROTII *Historia Gothorum* etc. C. 23, p. 642) vel *Hermanricus*, in FRID. LINDENBROGII *Diversar. gentium Historiae Antiquae Scriptoribus III*, p. 102 sqq. cujus nos lectionem, ut genio linguae convenientissimam, codicum MSS. et recentissimae editionis (in MURATORII *Scriptoribus rer. Italicarum* T. I reperiundae) conferendorum oportunitate carentes, sequimur.

[2]) *Rerum gestarum* L. XXXI, C. III.

[3]) *De rebus Geticis.* Vid. loca mox indicata.

[4]) Ut nostros Historicos taceam illustres, VON DALIN *(Svea Rikes Historia* 1 Del. 10 C. 9 §) et LAGERBRING *(Sv. R. Hist.* 1 D. 17 C. 7 §) qui, non dicam quam merito, has res suis in-

nos quoque, specimen studiorum Academicum edituri ad locum eundem Historiae illustrandum operam qualemcunque collaturi sumus; speramus juveniles nostros conatus mitem Lectoris Benevoli experturos esse censuram.

§ II.

Quo tempore *Hermanricus* claruit, homines Gothicae stirpis in vicinia quidem maris Euxini sed latius tamen, et ad septentrionem, et ad orientem, et ad occidentem extensis sedibus, habitantes, in plures divisi comparent sive populos sive tribus, communi tamen lingua, communibus institutis atque moribus utentes; quales commemorantur *Greuthungi* et *Thervingi* [1]), *Gepidae*, *Heruli* [2]) etc. Inter quos

seruerunt operibus; diligentem pro more suo, iis tribuit operam Ill. SUHM, *Historie om de fra Norden udvandrede Folk*, 1 *Bind*, 1 *Bog*, § XXXI—XXXIII p. 112—133. Nec nullam quibusdam partibus impendit industriam Cel. THUNMAN *Untersuch. über die alte Gesch. einiger Nordischen Völker*, p. 172 sqq. et 176, It. *Untersuch. über die Geschichte der Östlichen Europ. Völker*, p. 26 sqq. 369 sqq.

[1]) Vid. AMMIANUS l. c. Gothicos fuisse populos patet, licet non satis id distincte doceat; explicata scilic. perspicuitas ad dotes hujus Scriptoris non pertinet, qui saepe res alienas immiscens ac copiose persequens, alias contra, scitu multo magis necessarias, nonnisi obiter tangit. Scytharum, ut vocat, diversos populos commemorantem TREBELLIUM POLLIONEM (in vita *Claudii* C. VI) et FLAVIUM VOPISCUM (in vita *Probi* C. 18) conferre utile foret, nisi tam foede nomina pleraque corrupta essent: notae tamen Salmasii ad locum utrumque, non contemnendam praebent opem. JORDANI nomen *Gruthungorum* et *Thervingorum* ignotum est, uti AMMIANO contra *Ostrogothorum* et *Vesegothorum*, illi familiarissimae, appellationes.

[2]) TREBELLIUS POLLIO et FLAVIUS VOPISCUS l. l. c. c.; ut Jordanem taceamus. Caeterum sedes his gentibus valde diverse ab auctoribus assignantur; quod partim ex diversitate temporum, quibus vixerunt Scriptores, atque parum distincta aut certa earum cognitione, in populis sedes passim mutantibus et varie sese nunc conjungentibus nunc separantibus, omnino difficillima; partim ex corruptione nominum codices misere deformante, lectionisque orta hinc parum certa in his rebus ratione, pendet.

Greuthungi (s. *Grauthungi*, *Gruthungi*), non improbabili virorum doctorum conjectura [3]) iidem habentur, qui alias, sub *OstroGothorum* nomine inclaruerunt [4]); ut *Thervingorum* contra nomen VestroGothos denotare, existimant [5]). Quicquid sit, circa medium seculi IV, sive *Greuthungis* sive *OstroGothis*, sedes tum praecipuas circa Borystenem, inter Tanaim atque Danastrum (Tyram) in Tataria minori, Ucrainia atque Volhynia hodierna habentibus, imperasse reperimus *Hermanricum;* quem *bellicosissimum Regem, et per multa variaque fortiter facta vicinis nationibus formidatum* appellat AMMIANUS, scriptor diligens et fidei exploratae; de cujus autem *Hermanrici* gestis atque imperio, magnificam et haud paullo gloriosiorem exhibet narrationem JORDANES: praeter quos duumviros, nomen ejus a nullo alio, quod sciam, auctore vetere hodie quidem superstite celebratum aut memoriae proditum habetur. Tempore porro irruptionis ferocis in Europam ab Hunnis eodem seculo factae, quorum primus impetus in Gothos erupit, idem AMMIANUS [6]) Regem hunc hactenus victoriosum atque potentem, vi illorum immensaque multitudine, fama in majus indies elata, adeo concussum fuisse narrat, ut de salute regni sui desperans, mortem sua sibi manu consciscceret. Verba ipsa adponemus: *Qui* (Ermenrichus) *vi subitae procellae perculsus, quamvis manere fundatus et stabilis diu conatus est, impendentium tamen diritatem augente vulgatius fama, magnorum discriminum metum voluntaria morte sedavit.*

---

[3]) LAGERBRING l. c. SUHM l. c. L. V. p. 323; aliique plures. AMMIANI et JORDANIS testimonia conferentibus, res satis manifesta evadit.

[4]) *AustroGothorum* jam meminit TREBELLIUS POLLIO l. c. quorum deinde nomen factum fuit celeberrimum.

[5]) Auctores nuper laudati, not. [3]).

[6]) Hoc ex communi constat auctorum qui res seculi IV exposuerunt testimonio; cfr. (praeter AMMIANUM et JORDANEM), OROSIUS L. VII, C. 33, et excerpti a Cel. STRITTERO *(Memor. populor. e Scriptoribus Byzant. erutae)* *Theophanes* et *Eunapius* T. I p. 46, 48.

Haec JORDANES studiosius ornans, multa addit, nullius alius auctoris, nisi sua fide, non ubique certissima [7]), jam nixa: *Hermanricum* nostrum, ex illustrissima ortum *Amalo-*

[7]) De hujus auctoritate Scriptoris, non omnibus idem videri, mirum existimari haud debet. Non antiquioribus modo nostris Historicis, qui hypotheses suas de celebrium illorum Gothorum e Scandia nostra egressu, hisque similes, illius imprimis testimonio superstruebant; sed plerisque etiam recentioribus laudatissimis auctoribus, minime contemnenda habetur: cfr. LAGERBRING l. c. § 3 et SUHM l. c. p. 19, 632, ac alibi passim, naevis tamen illius, ut exspectandum fuit, neque dissimulatis neque probatis. His addimus THUNMANNI judicium, (**Unterſuch. über die alte Geſch. einiger nordiſchen völker** p. 32 sq.) *Jordanes* — ſchrieb — um daß jahr 551. Außer vielen älttern Geſchichtſchreibern, die er gebraucht hat, und die zum theil für uns verlohren gegangen, **konnte** er als Sekretär bei einem Gotiſchen König, und darauf als Biſchof der Gothen (quod tamen alii in dubium vocant) viele wichtige nachrichten bekommen, beſonders von dingen, die zu ſeiner zeit vorgingen, und die auf einige weiſe **ſeine eigene** nation betrafen? Eine ſolche iſt auch die, worauf ich mich beziehe, und ſie kann und darf alſo keines weges zu den **weniger glaubwürdigen** gezählt werden, die bisweilen, das mißtrauen der Critiker gegen dieſen wirklich ſchätzbaren Geſchichtſchreiber erweckt haben. Alii contra fidem ejus non modo manifestis suis ostensis erroribus atque fabulis infringere studuerunt, sed etiam ad ipsam suam confessionem provocando, in Epistola dedicatoria ad *Castalium* (operi suo praemissa) quam nescio quo consilio *Grotius* in sua editione omisit, occurrentem, qua, *ex memoria* se compendium dare voluminum XII Historiae Gothicae *Cassiodori Senatoris*, antehac raptim perlectorum, fatetur. Verba ipsius sunt: „Svades ut nostris verbis duodecim „*Senatoris* volumina *de origine actuque Getarum*, ab olim us„que nunc per generationes Regesque descendente, in unum et „hoc parvo libello coarctem — Sed ut non mentiar, *ad tridua„nam lectionem* dispensatoris ejus beneficio libros ipsos *antehac „relegi*. Quorum quamvis verba non recolo, sensus tamen et „res actas *credo me* integre *tenere*. Ad *quos nonnulla ex His„toricis Graecis et Latinis addidi* convenientia; initium finem„que, et plura in medio, mea dictatione permiscens.“ Ex quibus igitur fontibus, et quomodo hauserit, satis apparet. Quos alios scriptores ipse consuluerit, quas auctoritates, quantaque diligentia et fide ipse adhibuerit, facile non est ubique statuere: satis credulum, atque ad res Gothorum augendas propensum, vel ipsum, vel Auctorem suum fuisse, non obscure patet.

rum stirpe ac hujus familiae nobilissimum, Regi Gothorum *Gebericho* in regno successisse; multisque et bellicosissimis *Arctois* gentibus perdomitis ideo a nonnullis suae nationis [8]), merito fuisse *Alexandro Magno* comparatum. Populos deinde enumerat ab illo victos et subjugatos: *Gothos*, *Scythas*, *Thuidos in aunxis*, *Vasinabroncas*, *Merens*, *Mordensimnis*, *Caris*, *Rocas*, *Tadzans*, *Athaul*, *Navego*, *Bubegentas*, *Coldas*; nomina pleraque barbaris ipsis barbariora! quorum, culpa librariorum pessime corruptorum, singulorum sanandorum atque explicandorum spei omni prudenter renuntiat Illustr. SUHM, quaedam feliciter explanans [9]); nonnulla praeterea divinando enodare conatus est Celeb. THUNMAN [10]). *Herulos*

[8]) *Majores nonnullos* hoc fecisse, autumat; *Gothos* sine dubio intelligens? studio suarum rerum magnificentius celebrandarum satis inepto, hic ductos.

[9]) L. c. § XXXI. *Gothos* eum *Vestrogothos* imprimis vocare, admodum probabiliter disputat; quos a Graecis quoque et Romanis scriptoribus, cum de *Gothorum* in Romanum imperium primis irruptionibus loquuntur, utpote huic viciniores maxime significari scripta sua diligenter consulentibus, facile patet. *Scythas*, nomen admodum vagum, vel a JORDANE temere additum, vel glossema librarii esse, recte autumat. *Merens* HERODOTI *Mares*, eosdem qui sua lingua *Mari*, ab aliis *Tscheremissi* hodie vocantur, esse putat. *Mordensimnis*, quod nomen in aliis codicibus *Morden* scribi docet, Russorum veterum *Mordua*, hodiernos *Mordvinos*, esse existimat. *Rocas* significare *Roxolanos* arbitratur. *Athaul* (Athual) *Bulgaros* esse conjicit, a fluvio *Ethal* vel *Ethel* ita appellatos, ut a nomine ejusdem fluvii hodierno, *Volga*, postea aliud illud nomen accepisse putantur. Et sic porro.

[10]) *Golthes* (quae vox in quibusdam codicibus pro *Gothis* occurrit) *Galindas* interpretatur, qui in annalibus Russorum *Golady*, in litteris Papae Alexandri IV (apud *Raynaldum* T. XIV, a. 1257, n. 24) *Goltae* vocentur. *Thuidi* (l. *Thiuidi*) *Tschudos* Russorum (si hoc gentis est nomen, et non *Peregrinos* in universum denotat; cfr Cel. SCHLÖZER **Probe Rußiſcher Annalen** p. 73, forte tamen ad homines generis Fennici inprimis restrictum?) fuisse putat. *Remniscans* (lectio varia pro *Caris*) de *Tscheremissis* explicat.

porro, *juxta Maeotidas paludes habitantes* [11]), quorum velocitatem celebrat, a *Hermanrico* fuisse victos, auctor addit; postea eundem *Venetos* [12]) (in tres deinde populos, *Venedos*, *Antes* et *Sclavos* distractos) subegisse, atque *AEstorum* [13]) *similiter nationem, qui longissima ripa oceani Germanici* [14]) *insident*, sub potestatem suam redegisse, ita ut *omnibus* tandem *Scythiae* et *Germaniae nationibus* [15]) *imperaret*.

§ III.

Attentius haec omnia considerans, nemo non videt JORDANEM studio herois sui virtutem potentiamque celebrandi abreptum, verba adhibuisse, quae severius examinata, cum exacta veritate conciliari haud possint. *Totam Germaniam* (quibus eam limitibus veteres definiunt) *Hermanrici*

---

[11]) De variis admodum, quae huic genti assignantur sedibus commentantem, cfr. Ill. SUHM l. c. II B. II p. 423—454.

[12]) *Wendos*, Wenedos, *(Slavos?)*

[13]) *Haestorum* habet Edit. LINDENBROGII, *AEstorum* MURATORII, pro *AEstrorum* quod apud VULCANIUM et GROTIUM legitur.

[14]) Notum est, mare Balthicum a veteribus cum Oceano Septentrionali confundi, ac *Scandinaviam* insulam fuisse habitam. in hoc Oceano sitam. *AEsthos* autem (succini commercio olim notos) ripam hujus oceani longo tractu habitare, JORDANES putavit.

[15]) Male auctor *Historiae Universalis* (Allgem. Weltgeſchichte) quam, GUIL. GUTHRIE et JOH. GRAY convertentes atque reformantes laborem, Germani ediderunt, V Th. IV B. p. 348, haec verba *Ablavii* esse Historici a JORDANE allata, dicit: nescio quam secutus rationem. *Ablavium* (l. *Ablabium*) hunc, quem JORDANES *descriptorem Gothorum gentis egregium* atque *historiam* ejus *verissimam* vocat (C. IV), parum cognoscimus. Ne linguam quidem qua usus sit, aut aetatem qua vixerit, (aut gentem ad quam proxime pertinuerit?) definire certo licet, neque utrum eum JORDANES ipse consuluerit, an *Cassiodori* tantum de eo judicium secutus sit, satis apparet: multo minus, cujus ille aut diligentiae ac peritiae aut fidei fuerit, tuto existimare valemus. Cfr. de eo VOSSIUS de *Hist. Latinis*, L. III p. 690. et quae conjicit, non dicam quam feliciter, GROTIUS l. c. Proleg. p. 66.

paruisse legibus, fidem difficulter inveniat; quam si in suam redegisset potestatem, a Romani Imperii finibus occidentalibus lacessendis, imo formidolosissimo impetu percellendis, haud fuisset quieturus: nec quae de statu aliarum quarundam nationum barbararum his temporibus scimus, cum unius imperio hujusmodi vastissimo, per totam Germaniam extenso, redigi in concordiam possunt [1]). *Scythiae* autem universae nomine quid intellectum vellet, neque ipse forte definire JORDANES exactissime valuit, aut nationes ejus accurate recensere [2]). Probabile admodum est, ultra *Vistulam*, occidentem versus arma sua *Hermanricum* non extendisse, adeoque eam quae vere *Germania*, veterum consvetudine, dicta fuit, ne attigisse quidem. Ipse JORDANES victoriis suis multas *Arctoas* gentes fuisse perdomitas, significat; quod non tantum nomina quarundam, situsque ipse locorum, verisimile reddunt, sed etiam parum cognita Romanis gesta sua atque minus interim vexatae horum provinciae, suis sedibus finitimae, confirmare videntur [3]). Itaque summo, ut

---

[1]) Cfr. *Juliani* et *Valentiniani* susceptas contra Germanos expeditiones apud AMMIANUM MARCELLINUM L. XVI—XXI et XXVII—XXX. Unius potestati hos subjectos non fuisse, nec communem Imperatorem agnovisse, facile intelligas.

[2]) Ipse Scythiam suam describens, C. V. valde quidem incertos et aegre constituendos ei limites assignat; sed *Tatariam* tamen minorem, *Russiam Europaeam*, ditionem *Astrachanensem* et *Casanensem*, nec non *Poloniam*, (ad *Vistulam* usque) l. *Sarmatiam*, *Daciam* et *Moesiam* veterum, obscure licet, hoc comprehendisse nomine videtur? sed Geographiam ejus explanare, nostri minime nunc est instituti.

[3]) Romanorum finibus eum non ingruisse, res ipsa loquitur: quos eo tempore *Athanaricus* quidem *Thervingorum (Vestro-Gothorum)* Judex, aliique Duces minus potentes, infestabant; sed ingentibus *Hermanrici* opibus oppugnatos fuisse, haud reperimus. Partem tamen aliquam subditorum suorum, privato ausu, *Vest-Gothis*, aliisque tribubus barbaris Romano imperio propioribus, sese adjunxisse interdum, praedas a locupletibus sed imbellibus vicinis subinde agentibus, valde verisimile est; quare AMMIANUS, irruptionem a Gothis tempore *Valentis* Imperatoris factam descripturus, dicit *gentem Gothorum ea tempestate intactam ideoque saevissimam, conspirantem in unum*, (quae verba tribus plu-

nobis quidem videtur, jure Illustr. SUHM sedem bellorum ab *Hermanrico* gestorum, regionumque ab illo occupatarum praecipuam, in hodierna *Russia Europaea*, atque imprimis locis *Tanai* et *Volgae* adjacentibus, quaerendam esse, significat [4]); haud improbabile judicans, has ejus victorias, quibus Hunni (aut eorum amici) offensi provocatique fuerint, susceptae ab his post aliquot annos irruptioni formidabili

---

res independentes, societatem belli liberam ineuntes, potius quam homines unius imperio parentes, describunt) *ad pervadenda parari collimitia Thraciarum* L. XXVI, C. VI. Cum Valens in tertia sua expeditione Gothica, *continuatis itineribus longius agentes Greuthungos, bellicosam gentem, aggressus esset*, (ad Danastri fortassis viciniam penetraverat, qui fines *Greuthungorum* et *Thervingorum* separasse videtur, cfr. SUHM l. c. L. I § 34, p. 140 sq.) occurrit ei *Athanaricus*, (qui *Thervingorum Judex*, ib. L. XXXI C. III aperte vocatur; Cfr SUHM l. c. § 35 p. 147), adscitis forte etiam vicinorum *Greuthungorum*, in periculi societatem jam adductorum, auxiliis; *Hermanrici* nulla, vel hac occasione, fit mentio: pacem etiam nonnisi cum illo fecisse Valentem, aperte patet. Non enim opus est, quem Regem *Scythiarum* EUNAPIUS appellat (cfr. STRITTER l. c. p. 44 sq.) alium esse putemus quam eundem *Athanaricum*, cum quo (licet *Judicis* tantum ei nomen tribuat) AMMIANUS haec omnia transacta esse, testatur. Nec inde, quod *Athanarico* ab Hunnis superato, *Alavivum* et *Fridigernum*, magna apud Gothos auctoritate pollere videmus, illum his dignitate non fuisse superiorem colligere licet: cum notum sit, quam sint apud barbaros imperii et obedientiae vincula in universum laxa atque inconstantia, quae adversis casibus facile imprimis soleant abjici et mutari. Quam parum autem bella et maximae saepe rerum conversiones inter barbaros factae, Romanorum (ad quos tamen consequentiae earum vehementer pertinebant) attentionem adverterint, ipse docet AMMIANUS; qui de Gothorum ab Hunnis superatorum pulsorumque ad Istrum adventu scribens, addit: „Dum aguntur haec in ex„ternis, *novos majoresque solitis casus versare gentes arctoas*, „rumores terribiles diffuderunt: — Quae res adspernanter a „nostris inter initia ipsa accepta est, *hanc ob caussam, quod illis tractibus nonnisi peracta aut sopita audiri procul agentibus „consveverant bella.*“ (L, XXXI C. IV).

[4]) L. c. § XXXI p. 115 sq.

causam proximam praebuisse? [5]). Meridiem versus imperii sui fines saltim ultra Danastrum patuisse, vix credas. Ac praeter ea quae de Romanorum finibus ab eo non vexatis nuper observavimus, alia etiam demonstrare argumenta videntur, ne *Westgothos* quidem potestati ejus paruisse: quibus hoc tempore summa auctoritate praefuisse *Athanaricum* AMMIANUS aperte testatur [6]); eundemque *Regem* JORDANES recte appellat [7]), licet *Fridigerno* demum (imperante Romanis jam *Theodosio*) successisse, male idem significet, auctoritati AMMIANI [8]) aperte repug-

---

[5]) Ibid. p. 116.

[6]) Quare *hos* (*Gothorum* nomine generali appellatos) a JORDANE minus recte inter *domitos* ab *Hermanrico* populos enumerari, putamus; cfr. supra p. 201 Not. [9]). Ad *eosdem* inprimis spectare quae de *Gothorum* irruptionibus primis scriptores Romani Graecique tradunt, confirmat etiam Cel. STRITTER l. c. *Summar.* p. 5 not. *a).* Nulla caeterum occurrunt apud AMMIANUM vestigia, quae *Athanaricum* agnovisse aliquem superiorem, aut alienis auspiciis res gessisse, indicent. Vid. L. XXII, C. 5. Quin JORDANES ipse (non optime sibi hac in parte constans?) cum inferius (C. XXIV) de Hunnis in *Ostrogothos* (*Hermanrico* adhuc tum vivo) irruentibus loquitur, dicit: „a quorum „*societate* jam Vesegothae discessere, quam dudum inter se juncti „habebant." De populo altero ab altero nuper *domito,* aegre haec explices? Ac potius ad ea existimes respicere, quae superius (C. XVII) de tribu utraque olim, sub *Ostrogothae* imperio conjuncta, dixerat? Quos igitur *Gothos Hermanricus, Ostro-gothorum* ipse Rex, *domuerit,* difficillimum jam erit conjectu.

[7]) C. XXVIII. Cfr. quae observavimus supra p. 203 sq. not. [3]).

[8]) Qui l. c. (L. XXVII, C. V) *Valentem* Imperatorem in hunc *Athanaricum* signa commovisse, aperte docet; cum quo pacem etiam ab eodem Imperatore fuisse conclusam testatur, addens (ne quis alium esse *Athanaricum* putet, de quo JORDANES loquatur, illi posteriorem): „Hocque composito et acceptis obsidi-„bus, Valens Constantinopolim redlit; *ubi postea Athanaricus,* „proximorum factione genitalibus terris expulsus, fatali sorte de-„cessit, et ambitiosis exsequiis ritu sepultus est nostro." Cfr. JORDANES l. c. C. XXVIII. *Fridigernum* autem unum ex ducibus fuisse (*Alavivo* tamen, ut videtur, auctoritate minorem?)

nans [9]). Neque probabile nobis videtur, quod idem JORDANES asserit (C. XXIII) *Geberichum* fuisse *Hermanrici* nostri in regno proximum antecessorem; quod illum Westgothis, hunc Ostgothis (neutrum populo utrique) imperasse existimamus [10]); suspicantes aut JORDANEM, aut quem se-

parti Gothorum, quae Athanaricum ab Hunnis superatum et *ad effugia properare montium praeruptorum* coactum deseruerat, praefectorum, idem AMMIANUS aperte dicit; cui itaque *Fridigerno Athanaricum* successisse, incommode valde asseri putamus. Veterem Romam pro Nova (Constantinopoli) ex lapsu memoriae substituit Ill. VON DALIN, cum l. c. I D. 10 C. 9 § dicit: Athanaric dog så godt som landsflyktig i Rom.

[9]) Fortassis ne suum regnum, celebratae tantopere *Hermanrici* Monarchiae officeret? Laudatoris enim potius quam Historici partes haud raro agere JORDANEM aliquoties vidimus: nec victoriarum vel verbo meminit a Valente de Gothis reportatarum, quas commemorat AMMIANUS, nec pacis ab eo cum *Athanarico* factae, splendori Monarchiae Hermanrici parum favorabilium. Similiter neque clades Greuthungorum, post mortem *Hermanrici* acceptas, nisi paucis tangit: quem defectum supplet rursus AMMIANUS, docens illis superatis Hunnos (quibus, eorumque sociis Alanis post mortem *Hermanrici*, successor suus *Vithimeris aliquantisper restitit, sed post multas quas pertulit clades, animam effudit in praelio vi superatus armorum)* porro in Thervingorum fines irrupisse; quorum Judici (vel Regi) *Athanarico* hi motus interim non nisi per famam innotuerant; adeo non vel ipse vel populus suus pars erat magni imperii Greuthungici!

[10]) *Geberichum*, (*Athanarici* forte in regno antecessorem?) a quo *Vandalos*, inter *Gothos* ab orientali et *Marcomannos* ab occidentali plaga sibi vicinos (in parte hodierna *Moldaviae? Wallachiae*, *Transylvaniae* et *Ungariae* superioris) habitantes, (cfr. SUHM l. c. § XXX p. 110 sqq.) superatos fuisse JORDANES tradit, nonnisi *Vestrogothis* imperasse, hinc credimus; *Hermanricum* vero (qui cum populis bellavit ad Wolgam etc. habitantibus) solis *Ostrogothis*. Hunc ex gente fuisse *Amalorum* expresse idem asserit, quod de *Gebericho* nullibi prodit. Genealogias quidem ejus (in remotioribus imprimis earum articulis) maximi non facimus: sed cum tamen *Amalos* ab *Ostrogotha* (si hominis hoc nomen et non potius gentis fuit? qualem permutationem non raro in vetustis monumentis occurrere novimus) per filium ejus *Unilt* deducat (C. XIV), et hujus *Ostrogothae* tempore populum Gothicum nondum in *Ostrogothas* et *Vesegothas*

cutus fuit auctorem, tribuum diversarum Regulos, partim coaevos (eorumque gesta), multorum more scriptorum, in unam interdum seriem, quo eam exhibere posset longiorem splendidioremque, disposuisse?

[Supersunt quidem nonnulla adhuc, quo argumentum susceptum plene explicetur, persequenda: de morte *Hermanrici*, de annis aetatis suae, de ratione temporis sui gestorumque suorum accuratius constituenda, de interitu tandem imperii sui, celerisque ejus ruinae caussis; sed haec aliorum absolvenda industriae relinquere, facultatum jubet ratio].

§ IV.

De morte porro *Hermanrici*, quam, Hunnis irruentibus [1]), ex metu impendentium discriminum (quorum diritatem indies fama auxerat), salute imperii desperata ipsum sibi conscivisse AMMIANUS docet [2]), ita JORNANDES scribit, ut haud obscure timiditatis et ignaviae suspicionem ab Herois sui fama removere studeat. Nam sub Hunnorum adventu, a duobus fratribus Roxolanis *Saro* et *Ammio*, germanae [3])

---

fuisse divisum (non dicam quam commode) asserat, verum uni paruisse imperio affirmet (C. XVII), ac *Geberichi* genus alia serie (C. XXII) ad *Cnividam* referat (eundem, ut videtur, quem, C. XVIII *Cnivam* vocat, ac post *Ostrogotham* praefuisse Gothis dicit?); probabile sit, Regem utrumque ad eandem stirpem nec a JORDANE ipso fuisse relatum.

[1]) Qui „pervasis Alanorum regionibus, quos Greuthungis „confines *Tanaitas* consuetudo nominavit, interfectisque multis „et spoliatis, reliquos sibi concordandi fide pacta junxerunt: „eisque adjunctis, confidentius *Ermenrichi late patentes et ube-*„*res pagos* repentino impetu perruperunt.“ l. c. Quibus verbis Auctor *Tanaim* fluvium finem orientalem imperii Gothici haud obscure constituit, ad cujus alteram ripam regio Alanorum pertineret; quare cum ad *Volgam* usque victorias suas *Hermanricum* extendisse, supra p. 204 (praeeunte Illustr. SUHMIO) significatum fuit, *superiorem* Wolgam intelligi debere, facile patet.

[2]) Cfr. supra p. 199.

[3]) *Sanielh* nomine, sive ut in alio Codice appellatur, *Sonilda*. Vid. Illustr. SUHM l. c. I B. § 32, p. 122.

necem ab *Hermanrico* crudeliter trucidatae ulturis, latus ejus ferro sauciatum fuisse tradit, unde *aegram vitam corporis imbecillitate contraxerit.* Quibus addit: „Quam adversam ejus valetudinem captans Balamir Rex Hunnorum, in „Ostrogothas movit procinctum: a quorum societate jam Vese„gothae discessere, quam *dudum* inter se juncti habebant. In„ter haec *Hermanricus tam vulneris dolorem, quam etiam in„cursiones Hunnorum non ferens*, grandaevus et *plenus dierum*, „centesimo decimo anno vitae suae, *defunctus est.* Cu„jus mortis occasio dedit Hunnis praevalere in Gothis illis, „quos dixeramus orientali plaga sedere et Ostrogothas nun„cupari" [4]). Discas hinc, aegrum ex vulnere Regem inde fuisse impeditum quo minus Hunnis intrepide obviam iret, hostesque fortiter repelleret, hoc ipso ejus incommodo imperium, defectione etiam Westrogothorum debilitatum [5]), lacessere ausis; quare cum doloris saevitia victum, tum Hunnorum successu, quem prohibere sibi non liceret, commotum, sponte mortem sumsisse: quin enim acceleratum suo ipsius arbitrio (moribus gentis convenienter) e vita excessum verba Auctoris, obscurius licet significent, dubium non videtur [6]).

Neuter igitur praelium cum hostibus commisisse narrat; cujus rei caussam AMMIANUS in terrore atque desperatione, JORDANES inprimis in valetudine Regis infirma ponit: adeo ille nihil de vulnere aut morbo *Hermanrici* habet, ut *diu conatum esse manere fundatum et stabilem* dicat,

---

[4]) L. c. C. 24 fin.

[5]) Postea tamen, C. 48 dicit *Ostrogothas Hermanrici regis sui decessione* (non igitur ante ejus mortem?) fuisse *a Vesegothis divisos.* Quod prodere nobis videtur, eum haud plenissimam hujus rei habuisse cognitionem, ac dubia nostra de asserta ab eo Westrogothorum cum Ostrogothis sub *Hermanrico* conjunctione, non parum confirmat.

[6]) Quare minus accurate in citata supra versione Germanica Historiae Universalis *Guthrie-Grayanae* Part. V, Vol. IV (V Theil, IV Band, XVIII Buch 4 Hauptst.) p. 300, post exhibitam AMMIANI narrationem additur: nach dem Jornandes aber wurd er ermordet.

hoc est defensionis consilia atque praesidia strenue aliquamdiu quaesivisse atque comparasse, sed aucta nimis fama ferociae et potentiae hostium perturbatum, omnem spem salutis abjecisse: neuter culpam intermissae defensionis strenuae et constantis in aetatem Regis fessam atque inertem (quamvis summam ei JORDANES senectutem tribuat) rejicit. Quae ita fortassis explicari atque conciliari poterunt, ut vulnus illud *Hermanrico* inflictum, aut jam lenitum aut minus acerbum fuisse putetur, quam a JORDANE, excusandi Herois caussa describitur; aetasque ejus per famam veterem aucta, aliquanto minor illa quoque fortassis fuerit, quam quae ab Auctore proditur? ita tamen, ut neutra caussa omnino nihil ad animum Regis debilitandum contulerit, qui pristinas desiderans vires, ne partam antea gloriam in discrimen adduceret, tanto promtius oppetierit mortem. Sed magnum non habet haec disputatio momentum.

§ V.

Anni aetatis suae a JORDANE proditi, solitum illi quidem vitae humanae excedere spatium videntur; utpote ad CX usque, nulla addita deficientium vel corporis vel animi virium commemoratione, producti: sed cur tamen testimonium Auctoris, qui definiti hujus numeri notitiam testi alicui superiori sine dubio debuit, omnino rejiciamus, satis gravem cogere caussam nullam putamus. Neque enim necesse est, ut res maximas, quas de eo praedicat JORDANES, in extrema demum hac senecta, aut intra brevis temporis spatium, gessisse credatur [1]); neque nos, allucinatione JORDANIS rejecta (qua *Her-*

[1]) JORDANES quidem nihil tale habet; quare ex hypothesi addit quae in hunc sensum scribit Cel. GIBBON (*History of the decline and fall of the Roman Empire*, IV Vol. Ch. XXV § V. „The victories „of the great Hermanric, king of the Ostrogoths, --- have been com„pared, by the enthusiasm of his countrymen, to the exploits „of Alexander: *with this singular and almost incredible, diffe„rence, that the martial spirit of the Gothic hero, instead of „being supported by the vigour of youth, was displayed with „glory and success in the extreme periode of human life; bet„ween the age of fourscoure and one hundred and ten years.*"

manricum Geberico in imperio Ostrogothorum post temporis aliquod successisse narrat) adeo angustum regno illius tempus tribuere coacti sumus, ut aut annos aetatis suae admodum deminuere, aut nonnisi senem regno admovere, debeamus. Cur *Gebericum* Westrogothorum fuisse regem, et Ostrogothis non imperasse, (ut neque *Hermanricum* Westrogothis), credamus, supra docuimus [2]): quam disputationem nostram ipsae illae difficultates confirmant, quae in conciliandis annis aetatis et mortis suae cum chronologica aliorum quorundam eventuum ratione occurrentes, Illustr. SUHMIUM cogunt et tempus vitae Heroi Gothico multo brevius tribuere, quam JORDANIS verba produnt, et nonnisi paucos imperio Geberici annos assignare [3]); quod quidem, gestis nostri partim contemporaneum fuisse, non improbabiliter statui posse existimamus? Caeterum series annorum cum a Cel. STRITTER [4]), tum a Cel. ERNESTI [5]) constituta, qua mortem *Hermanrici* anno circiter 375 p. Chr. n. contigisse ponitur, non improbabilis nobis videtur; nisi uno aut altero anno hanc fuisse superiorem credas, quos inter mortem herois et factam per Hunnos ex suis terris expulsionem Gothorum atque permissum his, Istro superato, in Provinciam Romanam descensum, intercessisse probabile est. Nam recte observante Ill. SUHMIO, si ex fide veterum anno 376 in terras Romanorum Gothi profugi recepti sunt; *Vithimiris*

[2]) P. 13—16. Unde cum *Hermanricum habuisse* JORDANES dicit, *quos domuerat*, etiam *Gothos*, aut existimandum est eum aliud dicere non voluisse, nisi Westrogothos *imperio ejus subfuisse* nutuique paruisse, antea jam suis Ostrogothis sociatos (licet haec pro Herois sui gloria praeter veritatem augenda, addidisse constet, nam bello subactos ne ipse quidem significare videtur); aut videndum, num altera illa lectione *Golthes* (loco *Gothorum*) veri quid insit? Cfr. supra p. 201 not. [10]).

[3]) L. c. § 30 p. 110.

[4]) Operis supra citati (*Memoriae Populorum* etc.) T. I p. 46 sq.

[5]) Quam margini Editionis *Ammiani Marcellini* a se curatae (Lips. 1773, 8:o) apposuit. Non multum ab ea abeunt Nob. v. DALIN (l. c. p. 305) qui a. 374, et Ill. SUHM (l. c. p. 110 et 154) qui circiter 370 habet.

autem post obitum *Hermanrici Rex* Gothorum *creatus*, narrante AMMIANO *restitit aliquantisper* hostibus, ac *post multas* demum *quas pertulit clades, animam effudit in praelio vi superatus armorum:* spatium temporis non brevissimum his conatibus tribuere convenit; quamvis haud nesciamus, barbarorum bella celeritate plerumque geri rapida, multosque saepe eventus intra pauciores menses concludere [6]). Deinde discessus Gothorum (ducibus *Alatheo* et *Saphrace*, qui *Viderichi*, quem parvum filium Rex Vithimiris reliquerat, curam susceperant) ad Danastum fluvium, ac persequentium eos Hunnorum cum *Athanarico* Thervingorum Rege, sibi obvio, intercedens bellum, aliquam illa etiam moram peperisse videntur: post quos demum eventus, Gothis profugis Istrum transire Romani permiserunt; quaeque uno anno omnia evenisse aegrius credas, licet intra biennii spatium contingere potuisse, negare haud audeamus.

§ VI.

Monarchiam *Hermanrici*, quam fuisse amplam adeo, validam atque formidabilem accepimus, tam celeriter corruisse, minus videbitur mirum, si praeter ingentem Hunnorum, Alanis etiam conjunctorum, vim atque ferociam, terroremque ex his, fama in majus auctis, Gothorum animos subito percutientem (quos ignotae hactenus gentis cum forma tum mores vehementer commoverant), ipsam imperii hujus Gothici faciem atque conditionem propius spectemus. Nam ut omittamus, novum adhuc fuisse, populis variis iisque barbaris et reluctantibus nuper obtrusum, qui nondum obsequio adsveti, multo minus amore reipublicae communis conjuncti, hoste ingruente externo, occasionem avide arripiebant jugum odiosum sibi atque grave quantocius excutiendi; talia solent esse in universum barbarorum imperia, tam instabilia et male coagmentata, ut post acceptam unam alteramve cladem, facile mox dissolvantur, corruant et sub-

[6]) Quare etiam dicit AMMIANUS Vithimirem *aliquantisper* Alanis (Hunnisque) restitisse, l. c.

jugentur. Unde tam frequentes celeresque in hujusmodi gentibus rerum conversiones, et nata deletaque subito (quod interna firmitate carent) maxima imperia. Provincias feroci impetu subactas, raro arcibus et munimentis, saepe ne praesidiis quidem firmant; copiarum victricium terrore et gentes devictas et peregrinas coërceri posse, confidentes [1]). Quin temporario quodam, et adventante hostili exercitu demum expresso contenti victores esse nonnunquam solent obsequio et tributo; suis interim ducibus, legibus moribusque uti victis permittentes, quos tamen inter servos et imperio subjectos numerare haud dubitant: aliquando etiam victricibus eos semel adiisse armis et meliore fortunarum parte spoliasse (latronum instar, rapto vivere adsvetorum) satis putantes, de iis porro sub obsequio continendis haud magnopere laborant. Cujus generis imperium in nonnullas quas domuerat gentes remotiores, *Hermanricum* quoque exercuisse non est improbabile; ac favet AMMIANUS, qui eundem vocat „Regem per multa variaque fortiter facta *vicinis nationibus*“ (iisdem fortasse, quas eum *domuisse* JORDANES tradit?) „formidatum.“

Nec tamen facillime totum Gothorum imperium ab Hunnis fuisse eversum, nec cum *Hermanrico* animos eorum penitus mox concidisse, ipsa AMMIANI narratio, atque facti a Vithimire acres, quamvis infelices pro patria defendenda conatus, demonstrant: post cujus denique mortem pars eorum, ducibus *Alatheo* et *Saphrace*, paternis avitisque sedibus relictis, hostium sese dominationi subduxit [2]); pars jugum

[1]) Notum est, quam graves poenas hujusmodi negligentiae, et Ostrogothi (ac deinde Longobardi) in Italia, et Westrogothi in Hispania, multo serioribus seculis dederint. Quod bella defensiva plus artis, laboris, patientiae vulgo poscant; ad haec gerenda barbari non modo minus idonei, sed etiam minus propensi (maxime qui campestres incolunt regiones) esse solent, quam ad impetus in hostem vehementes faciendos, ac quoties numero copiarum suarum confidunt, rem aleae martis totam committendam.

[2]) Aliter quidem JORDANES; qui non modo generosorum a novo Rege *Vithimire* factorum pro gentis et gloria et salute conaminum, nullam facit mentionem (cfr. supra p. 206 not. [9]), sed

peregrinum subire, quam solum vertere maluit. Hoc nempe JORDANI facile credimus; qui *Hunnorum*, inquit, *subditi ditioni in eadem patria remorati sunt, Vinithario tamen Amalo principatus sui insignia retinente* [3]). *Qui* (porro addit) *avi Ataulfi virtutem imitatus* [4]), *quamvis Hermanrici felicitate inferior, tamen moleste ferens Hunnorum imperio subjacere, paululum se subtrahebat ab illis - - - Sed cum tali libertate vix anni spatio imperasset, non est passus Balamber rex Hunnorum, sed ascito ad se Sigismundo Hunemundi magni* [5]) *filio, qui juramenti sui et fidei memor cum ampla parte Gothorum, Hunnorum imperio subjacebat, renovatoque cum eo foedere, super Vinitharium duxit exercitum - - - Dum uterque ad se venissent, Balamber sagitta missa caput Vinitharii saucians, interemit. - - Et mox defuncto Vinithario rexit eos* (Gothos) *Hunimundus filius quondam regis potentissimi Hermanrici*, etc. Quomodo Historiam Ostrogothorum Hunnis subjectorum, donec jugo tandem peregrino excusso, duce *Valamiro* Rege

---

etiam *Alatheum* et *Saphracem*, *Greuthungorum* duces, regis eorum pueri *Viderichi* curam gerentes (de quorum ex patria cum rege suo emigratione prorsus silet), *Westrogothos* facit, horumque duci *Fridigerno* adsociat, C. 26; *Alatheum* fortasse cum *Alavivo* confundens? cfr. supra p. 204 not. [3]). Ut neque illam quam AMMIANUS prodit caussam, cur postea *Athanaricus Constantinopolin* peteret, nempe quod *proximorum factione genitalibus terris expulsus* fuisset (cfr. supra p. 205 not. [8]); sed *muneribus* et *moribus suis benignissimis* ab Imperatore *Theodosio sibi sociatum et ad se in Constantinopolin invitatum*, dicit (C. 28).

[3]) L. c. C. 48.

[4]) De quo tamen, ejusque virtute, nihil antea Auctor prodidit. Num eundem intelligit, quem C. 14 vocat *Vuldulf*, avumque *Vinitharii* facit? Ne parum his omnibus fidendum sit, vereor!

[5]) *Hunimundus* hic quis fuerit, et quibus rebus gestis *Magni* nomen promeruerit? docere Auctori non placuit; cujus studium homines gentis Gothicae cupide extollendi, nullibi non elucet. Illum tamen *Hunimundum magnum*, *Sigismundi* patrem, alium statuere credas ab *Hunimundo* filio *Hermanrici* atque patre *Thorismundi*, de quo deinceps scribit?

fratribusque suis *Theodemiro* (Magni Theodorici patre) et *Videmiro Vandalarii* filiis [6]), pristinum imperio gentis suae splendorem asserere, novisque illum fortibus factis augere et illustrare valerent, persequitur. Quibus quantum insit veri, alii judicent. Dissimulare tamen non possumus, his cum narratione AMMIANI comparatis, suboriri nobis contra Auctoris fidem dubia non pauca, vel fontes suos parum sinceros, vel memoriam suam parum firmam fuisse, suspicantibus? Ita quae de *Berimundo* filio *Thorismundi* (nepote *Hermanrici*) C. 33 traduntur, eum *cum filio Vitiricho ab Ostrogothis, qui adhuc in Scythiae terra Hunnorum oppressionibus subjacebant, ad Wesegothorum regnum migrasse*, tantam habere similitudinem videntur cum fuga *Alathei* et *Saphracis* (JORDANI ignota), qui cum rege parvulo *Viderico* post Ostrogothorum res ab Hunnis fractas, ad Istri ripas, eodem fere tempore quo Westrogothi sub regulis suis Alavivo et Fridigerno, evadentes, fluvium illum eodem ac hi consilio transierunt, ut ex eadem fama utramque natam esse narrationem, haud absurde conjicias? quam, ad asserendam *Eutharici*, cui *Amalasventha* nupserat, regiam ex Amalorum stirpe progeniem celebrare, JORDANIS tempore, non parvi retulisse existimes! Sed haec sufficiant.

---

[6]) Qui *Vandalarius* oppido idem est, quem C. 14 *Vinitharium* dixit, eorundem *Valemiri, Theodemiri* et *Videmiri* patrem. Nisi igitur varietatem lectionis Codices hic exhibent, lapsum memoriae in Auctore admittere necesse est. *Vinitharius* autem ille, de cujus gestis C. 48 scribit, ex Amalorum gente fuisse ille quoque putabitur? licet de genere ejus JORDANES nihil, uti neque de *Vithimiris* cum *Hermanrico* cognatione AMMIANUS, quidquam prodat.

DISSERTATIO

HISTORIAM BORGOAE URBIS NYLANDIAE LEVITER ADUMBRANS,

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISIT

MAGNUS ALOPAEUS.

Aboae 1794, 1795.

§ I.

Eos qui Nylandiae oram maritimam hodie incolunt homines, lingva Svecana, quam in propriam sibi dialectum flectunt, utentes, nec Fennicae esse originis, nec terram, quam jam occupant, antiquitus tenuisse, apud omnes in confesso est. Contra, ut ceteras Fenniae partes, ita hanc regionem a Lapponibus olim fuisse pererratam, multa docent, quae adhuc supersunt, indicia: quo tempore valde incultam fuisse, mores illius populi, praeter Rangiferorum curam non nisi venatui et piscatui dediti, satis produnt. Hos Lappones Fenni nostri, ab oriente huc advenientes, ex tota hodierna Finlandia pedetentim expulerunt, sedesque suas mature in Nylandiae oris collocarunt, atque agriculturae et rei pecuariae studentes, terrae etiam faciem sensim mutarunt: donec novi ex Svecia advenae maximam hujus regionis partem iis eriperent, atque ad interiora Fenniae loca, incolas, qui tela victorum evaserant, commigrare cogerent.

Fennos vero, quamdiu oram Nylandiae et Fenniae Australis maritimam insulasque ei objectas habitarent, cum Estonibus, genere sibi conjunctis, qui alterum nostroque oppositum sinus Fennici littus tenebant, frequens habuisse commercium, dubio caret. Ac piraticam etiam his adsociatos exercuisse, veri simile est; quam inprimis et magis proficuam et frequentiorem factam fuisse credas, postquam mercatura Russos inter atque Wisbyenses inferiorisque Germaniae urbes florere uberius coepisset [1]). Svecica quoque littora ab hujusmodi piratis subinde fuisse infestata, haud

[1]) Cfr. Praesidis *Annotationes ad Chronicon Episcop. Finl. Juustenianum* p. 12 15.

improbabile putes; cum tot hostiles in Sveciam invasiones a paganis factas memorent antiquae historiae Svecanae scriptores, quorum interdum socios Fennos etiam fuisse, non modo MESSENIUS aliique recentiores tradunt, sed etiam Legendae Sanctorum antiquae, atque Breviaria, ubi expeditionis Regis *Erici IX* mentio injicitur, confirmant [2]). Quales igitur eorum praedationes, inter caussas etiam commode referri possunt, cur laudatus nuper Rex *Ericus* bello Fenniam aggrederetur. Expeditionem vero ejus contra Fenniae australis et hodiernae Nylandiae incolas, utpote illius culpae maxime reos, inprimis fuisse susceptam, multa demonstrant argumenta: quibus barbaris facile victis atque fugatis, oram maritimam, ut illos a piraticae postmodum faciendae opportunitate excluderent, Sveci occuparunt, novisque suae gentis colonis habitandam tradiderunt; quod quin jam ab Erico Rege factum sit, Historici nostri non dubitant. Unde huic Provinciae nomen *Nylandiae* (Terrae Novae) accessit. Successu temporis colonia haec Svecana orientem versus sensim magis extendebatur, et ad flumen usque *Kymmene* porrigebatur. Hinc factum, ut hodieque tota Nylandiae ora, a Tenalensi usque paroecia ad dictum fluvium (h. e. tota quae austrum spectat ora Fenniae) a Svecanis habitetur incolis; cum Finlandiae proprie sic dictae non nisi insulae (Skären), nec illae nisi australiores, colonos habeant Svecicos, in continenti autem pauci admodum ejus generis reperiantur [3]). Ad quod tamen consilium etiam hanc contulisse caussam putes, quod et pluribus majoribusque insulis Finlandiae ora quasi munita sit, ita ut continentis incolae, insulanis invitis, haud facile navibus mare adire quirent, et

---

[2]) Vid. l. c. Cfr. etiam Ampl. HALLENBERG *Diss. de Nobilibus in Svio-Gothia Litteratis* p. 23 sqq.

[3]) Cfr. *Annotationes ad Chron. Juustenianum* p. 16 sq. not. [23]). Negatum tamen haud volumus, aliquanto plures olim fuisse colonos Svecicos in terra continente Finlandiae propriae collocatos, qui postea variis fatis, bellorum maxime calamitatibus diminuti, locum Fennis ex vicinia adfluentibus concesserint.

ab Estonum societate consiliisque, atque praedae ditioris illecebris, essent remotiores.

Dubio caret, coloniam hancce Svecicam initio parum fuisse numerosam, indeque minus validam; multaque hinc a Fennorum vicinorum, patriis sedibus hostiliter expulsorum, odiis et incursionibus passam fuisse damna. Namque hi, injurias ulturi, cum Tavastis, Careliis aliisque barbaris reliquas Fenniae regiones habitantibus, atque etiam cum Russis, piraticarum olim expeditionum, nunc odii in novos vicinos advenasque, sociis, ad infestandos Svecos sese conjunxerunt, crebrisque invasionibus novam Svecorum coloniam infestarunt. Mercatores autem Wisbyenses, Lubecenses et Rigenses, passorum olim a piratis damnorum, prae lucro praesente obliti, suamque magis rem, quam Religionis novaeque in his oris Ecclesiae Svecanae Fennicaeque commoda spectantes, hoc eorum studium alebant, arma, equos, navigia aliasque res ad bellum gerendum necessarias (bona hostibus ablata, sine dubio, mercedis loco, vili pretio recipientes) iis suppeditando; quod ex litteris Paparum, cum *Honorii* III a. 1221, tum *Gregorii* IX a. 1229 et 1230 datis [4]), discere possumus. Quae tamen molimina hostilia hanc, etsi valde afflictam, coloniam prorsus subvertere non potuerunt. Svecorum enim auxilio, ei sine dubio subinde misso adjuta, se defendebat, et paullatim majus majusque cepit incrementum. In qua re promovenda, insignia inprimis fuisse merita Episcopi *Thomae* comperimus; qui praeter litteras ad subtrahenda hostibus novae Ecclesiae auxilia spectantes, quas modo tetigimus, alias a Papa *Gregorio* IX impetravit, *quibus sub protectione Apostolicae sedis et sua, Episcopum, Clerum et populum Finlandensem* recepit, atque *molestatores eorum per censuram Ecclesiasticam compesci* jussit [5]). Quin idem Papa *Militibus*

---

[4]) Vid. *Annotationes ad Chron. Juust.* p. 64 not. [80]), p. 59, p. 60, pag. 182 not. [8]). Cfr. a Celse *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I. p. 58 n. 16, p. 62 sq. n. 5 et 7.

[5]) *Annott. ad Chron. Juust.* p. 59 n. [73]).

etiam *Christi in Livonia* injunxit [6]), ut *in remissionem peccaminum ad provinciam Finlandiae pro defendenda novella plantatione ad Christi fidem in ea noviter conversorum, contra infideles Ruthenos personaliter accedentes, cum consilio Finlandensis Episcopi, qui assumsit in praemissis partibus negotium fidei ex animo prosequendum, defensioni eorum insisterent viriliter et potenter:* cui tamen mandato Apostolico paruisse non videntur. Quam vero gravibus nova Ecclesia et colonia periculis et cladibus esset exposita, vel inde patet, quod omnis zelus Episcopi, diligentia et providentia, impedire non valeret, quo minus ad evitandam hostium saevitiam fugam ipse capessere, Wisbyamque petere anno 1247 cogeretur. Quod ostendere satis videtur, praesidia et munimenta, quibus se tueri possent, incolis hactenus defuisse [7]). Nec tranquillitate atque securitate frui haec ora potuit, antequam *Thorkillus Canuti* anno 1293, expeditione in Careliam suscepta, maritimaque illius regionis parte occupata, arcem *Wiburgensem* in praesidium et terrae a se subjectae et veteris coloniae, contra Russos inprimis iisque adjunctos Carelios, conderet. Quo firmo contra inquietos hostes munimento exstructo, otium tandem nacti sunt qui Nylandiam habitarunt, antea multis crebrisque incursionibus identidem infestati. Nullum antea in tota Nylandia fuisse castrum credas; certe nulla ejus rei nostris temporibus supersunt vestigia: uti nec litterae Papae *Alexandri* III (datae Tusculi V. Idus Sept. a. 1164) accurate expensae demonstrant, illi aliquid de munimentis Fennorum innotuisse.

Colonos autem, qui in Fennia, atque maxime in Nylandia, sedes suas posuerunt, ex *Helsingia* fuisse oriundos, valde probabile videtur; quod vel ex locorum quorundam nominibus concludere fas est (ex. gr. paroeciae *Helsing*, urbis *Helsingfors* etc.), quae non obscure hanc originem suam produnt? Neque parum roboris huic sententiae inde

---

[6]) Litt. a. 1232 datis. *Annott. ad Juust.* pag. 60 not. 132 sq.

[7]) Cfr. l. c. p. 139.

accedit, quod in scriptis antiquis Nylandiae incolae dicuntur *habitare in jure Helsingonico;* patriae nimirum suae legibus et consvetudinibus uti, colonis his concedebatur [8]). Quod vero Ducem *Guttormum* hancce coloniam in Fenniam deduxisse narrant ÖRNHJELM, et ex eo recentiores, inter fabulas merito refertur. Nulla enim alia insignis nisi R. *Erici* et *Thorkilli Canuti* ad Nylandiam expeditio, certo veterum confirmari potest monumentorum suffragio.

§ II.

Qua ratione Nylandia post Svecorum adventum fuerit primum gubernata, prorsus ignotum nobis est; valde tamen probabile videtur, nec firmo admodum regimen civile adhuc nixum fuisse fundamento, satisve prudenter institutum ac stabilitum, nec rem militarem optime constitutam; quod vel ex crebris illis funestisque hostium invasionibus, quas supra memoravimus, colligi posse videtur: credas fere, ecclesiasticae auctoritati soli novos colonos fuisse commissos? Post aedificatam autem arcem Wiburgensem, ejus Praefecto curam etiam Nylandiae fuisse demandatam, multis demonstrari potest rationibus [1]); sufficit commemorasse litteras Regis *Magni, Erici* filii, anno 1331 datas, quibus con-

---

[8]) Cfr. l. c. p. 20. 144 not. [4]); p. 185 sq. not. [8]), p. 220 sq. not. [21]); p. 269 sq. not. [101]), p. 306 not. [26]).

[1]) Occurrit quidem in litteris a. 1327 datis (de quibus mox) mentio *Gerardi, Advocati* (h. e. Praefecti) *Nylandiae;* sed si Wiburgensi ditioni ille simul non praefuit, diu tamen Nylandia perculiari paruisse praefecto non videtur? Anno enim 1331 *Petrus Johannis*, a. 1362 *Suno Haquini*, a. 1373 *Hennechinus Dume*, Praefecti Wiburgenses, Nylandiae simul praefuerunt. Cfr. Tidn. utgifne af et Sällſkap i Åbo, a. 1785. Append. p. 225—280. Exstructo autem postea Castro *Raseburgensi*, quia occidentalior Nylandiae pars (Raseborgs-Län) hujus arcis paruerit praefecto, nullum est dubium (cfr. l. c. p. 221—224). Supersunt etiam literae *Beronis Legiferi*, in quibus *Legiferum* ille se appellat *Nylandiae;* sed per totam Finlandiam jurisdictionem ejus sese extendisse, certum est: *Nylandiaeque* appellationem ideo tantum eo loco usurpasse videtur, quod in hac provincia,

ventionem ab Episcopo Aboënsi *Benedicto* cum incolis Advocaciae (s. Praefecturae) Wiburgensis de decimis solvendis initam confirmavit, et ubi Advocacia illa in *Jus* dispescitur *Karelicum* et *Helsingonicum* [2]) (qua posteriori denominatione Nylandiae incolas olim significari svevisse, supra monuimus). Atque ex eo tempore constitutio et conditio Nylandiae melior fuit reddita; ejusque incolae ab hostium invasionibus magis securi, victum cultumque sibi comparandi varia sensim consilia arripuerunt. Tum temporis etiam mercaturam ad ostia fluminum Nylandiae cum mercatoribus Germanicis et Livonicis exerceri coepisse, probabile est. Certe jam ante terram nostram a Svecis occupatam, commercium quoddam inter mercatores hosce Fennosque intercessisse, literae Papales supra memoratae indicant, quibus prohibita haec fuit mercatura; Fennis vero ex-

---

cum illas exararet literas, versaretur, ibique jus diceret. Cfr. *Annott. ad Chron. Juusten.* p. 144 not. [4]), et p. 276 not. [113]).

Alienum forte non fuerit, hoc simul loco indicare, ex literis vetustis judicialibus, quarum exempla adhuc supersunt, apparere, a. 1351—1356 *Vicarium Legiferi* in Nylandia fuisse *Matthiam Koog* vel *Kogger*, (l. c. p. 277, not. [114]), et a 1380 *Olaum Petri (Olof Pedersson, Underlagman i Nyland)*; eodemque anno (1380) et 1382 in supremo Judicio Regio (Räffteting) Borgoae habito, Regis locum tenuisse (Konungens bom i märjo hafwande) *Johannem (Jöns) Hinteken* vel *Hindteckär*, hominem Germanicae, ut videtur, nationis. Provinciae hujus Judices Territoriales ab anno saltem 1415 duos fuisse, Nylandiae scil. *Occidentalis* et *Orientalis* (Wäſter-Nyland et Öſter-Nyland), ex illorum temporum monumentis discimus.

[2]) Cfr. l. c. p. 185 sq. not. [8]). Ratio *Decimas Episcopales* solvendi, quae tum constituta fuit, postea ad tempora usque reformatorum apud nos sacrorum, eadem mansit; ita ut incolae Nylandiae nullas *Frumenti* decimas, sed earum loco definitum illa conventione *Butyri* pondus (Näbbe-Skattamör dictum, nempe quotannis *unam marcam butiri de quolibet capite virilis vel muliebris sexus, septimum suae aetatis annum complente)*, Episcopo solverent. Cfr. l. c. p. 510 not. [37]). Quae res ostendit, majori cura priscis temporibus rem pecuariam, quam agrariam, in Nylandia fuisse cultam.

pulsis, Mercatores navigationem suam ad portus Fennicos plane deseruisse, non est cur credamus.

Fieri igitur non potuit, quin plures ex Nylandiae incolis, qui de ista mercatura lucrum haurire cuperent, ad ostia fluminum pedetentim se conferrent, mercesque ex interioribus regionis partibus secum portarent, quo merces alias his terris non indigenas, illis redimerent, partimque suis rursus popularibus cum lucro venderent. Loca autem, ubi sedes suas ponerent, (prope ostia fluviorum), re ipsa monente, elegerunt, quo promtiorem commodioremque sive cum exteris sive cum suis hominibus mercaturam exercere possent. Ad quod consilium alia quoque ratio accessit; nempe quod piscaturae commoditas, iis temporibus uberrimae (antequam et piscatorum aucta multitudo atque diligentia, et aquae in fluviorum ostiis profunditas, quae copiam piscium allexerat, per limum quotannis devectum relictumque, decrescens, ut alias supervenientes caussas omittamus, hoc lucrum diminuisset), homines in haec eadem loca congregavit. Ut vero constantius commodiusque esset illud cum mercatoribus exteris civibusque commercium, deinde sensim *Urbes* in hujusmodi locis enatae conditaeque sunt; quo modo in Nylandia nostra urbes *Borgoam* et *Helsingforsiam* exordium cepisse, novimus: de quarum illa, (aetate huic superiore) ejusque fatis, quantum quidem ob monumentorum antiquiorum defectum praestare nobis licet, paucis agere jam constituimus; sperantes fore ut L. C. juveniles nostros conatus, historiae illustrandae urbis patriae dicatos, mitiori perstringat censura.

§ III.

Diu vero antequam *Borgoae* urbs aedificari coepisset, Paroeciam eodem hoc nomine appellatam floruisse, Templo suo fuisse instructam, et suos habuisse Curatos s. Pastores, extra dubium est: quam in antiquissimis Nylandiae, imo totius Finlandiae merito esse adnumerandam, simul constat. Anno enim jam 1327 mentio ejus Curatique sui *Henrici* in

vetustis monumentis injicitur [1]). Ad hancce paroeciam tota olim pertinebat terra, quae postea nomine venit *Territorii*

[1]) Dignae quae hic legantur sequentes Literae, rem demonstrantes, pluribus ex rationibus videntur; quare eas, ex *Registro Ecclesiae Aboënsis* in R. Bibliotheca Stockholm asservato descriptas, apponendas judicavimus: „Omnibus presens scriptum „cernentibus *Andreas*, frater *Symonis dicti Flaxöghae*, salutem „in Domino sempiternam. Tenore presencium constare volo evi„denter, me viro discreto Domino *Henrico*, *Curato in Borga*, „tam ex parte fratris mei *Karoli*, quam ex parte mei, predia „nostra in *Stensböllä* pro pleno precio vendidisse, et idem pre„cium ab eodem *Henrico* totaliter subleuasse, cum omnibus suis „pertinenciis et adjacenciis quibuscunque, presentibus viris fide „dignis *Domino Karolo Neskonungzson*, *Capitaneo Finlandensi*, „*Karolo Harokson* (an *Haraldson?*) *Petro Postoll Advocato Ta„vastie*, *Gerardo Advocato Nylandie*, *Biorno Legifero*, Henrico „Wman, Johanne Galnä, ceterisque aliis quam pluribus fide di„gnis: Quorum sigillo presentem peto literam roborari, quia si„gillum personale non ullum habeo. Datum et actum anno Do„mini MCCCXX septimo, jn Dominica Letare" l. c. Fol. 145). Aliis literis a. 1332, partim a testibus quibusdam *die Julianae Virginis* (16 Febr.), partim a *Berone*, *Legifero partium Orientalium Finlandiae*, *Dominica Trinitatis* partim a. 1333 a *Karolo Näskonunxson*, *Milite*, datis, (in quibus mentio etiam fit *Laurencii*, *Advocati Tavastie)*, idem *Henricus* vocatur *Curatus in Kechala (Keckalum*, et *Dominus Hinzo Rector Ecclesie Kyckalum)* h. e. *Kiikala:* quo itaque translatum fuisse, patet, (quaeque Ecclesia tum sine dubio vicinas paroecias hodiernas, *Lojo*, *Wihtis* etc. complectebatur?). Biennio autem post, a. 1335 aliis literis ab *Ärengislone Andrisson*, *Advocato Aboënsi*, qui *Dominum Karolum* (Näskonungsson) *Militem* vocat *antecessorem suum*, idem *Henricus* audit *Dominus Henricus in Haw (Hauho);* et rursus aliis literis a. 1337 a *Laurentio Petärsson*, *Advocato Aboënsi*, datis, appellatur *Dominus Henricus*, *nunc Curatus in Saw (Sagu);* ita ut saepe stationem mutaverit necesse sit, nisi alterutro loco nomen Ecclesiae vitiose scriptum sit? Vid. cit. *Reg. Eccles. Ab.* Fol. 146. Ab hoc autem diversus fuisse alius videtur *Dominus Henricus de Borga*, quem a. 1340 ut ejusdem Ecclesiae Pastorem in sequentibus commemorari litteris videmus, etiam illis exscriptu non indignis: „Noverint universi, quod ego „Johannes in Stensböle recognosco me leuasse a venerabili in „Christo patre, Domino *Hemingo*, permissione Diuina Episcopo „Aboënsi, illas LX marcas denariorum, in quibus predecessor

Borgoënsis, ac praeter quasdam alias hodiernas ecclesias, Capellas habuit sibi adnexas (paroecias hodie: peculiares) *Perno*, quae ambitu suo Ecclesias etiam *Elimä* (forte?) et *Pyttis* complectebatur, et *Sibbo*, ad quam Paroeciae quoque hodiernae *Thusby* et *Helsing* pertinuisse videntur [2]). Ob paucos namque incolas, in terra parum adhuc exculta, nonnisi sensim Templa erigi et Pastores iis praefici proprii poterant.

Celebritatem vero inprimis nacta est Ecclesia haec Borgoënsis, postquam Rex *Magnus Erici* a. 1351 Abbatem et Fratres Monasterii *Padis* in Estonia, (Cisterciensis ordinis), *Jure Patronatus* in eandem Ecclesiam donasset: quae ejus liberalitas, cum materiam deinde liti diuturnae inter Praefectos illius Monasterii et Episcopos Aboënses agitatae, dedisset, animum Scriptorum fere omnium qui Historiam

„suus Dominus B. *(Benedictus)* bone memorie condam Episco„pus Aboensis, patri meo tenebatur obligatus, pro quibus eun„dem Dominum meum H. *(Hemmingum)* tam ex parte mea quam „fratris mei, liberum reddo et quitatum. Preterea *recognosco* „*me debere sibi dare quolibet anno XX marcas denariorum* „*Sveuorum nunc currencium, vel earum valorem in pecoribus et* „*butyro, seu aliis rebus, prout solent recipere mercatores, de* „*exaccione in parrochia Borga et capellis sibi annexis.* Ac eciam „(excidisse hic quaedam verba, palam est?) virorum Dominorum „*Henrici de Borga*, AErwasti in Kirkislät, Nicolai Vellus et „Pauli de Tenala, quia proprium sigillum non habeo, presenti„bus sunt appensa. Datum in Kirkislät anno D:ni MCCCXL, „feria 2:da post Dominicam Reminiscere.“ Ibid. fol. 146 sq. Confirmant hae literae ea quae nuper significavimus, rei pecuariae horum locorum incolas maxime studuisse, et mercaturam quandam hic jam tum factam fuisse; simulque docent, Capellas quasdam (sine dubio *Perno* et *Sibbo*, de quibus mox) ecclesiae Borgoënsi jam tum fuisse adnexas, et ex hac paroecia Praesuli Aboensi, Decimarum Episcopalium loco rediisse XX marcas denariorum (harum 5, versus finem seculi ejusdem, librae argenti puri, en marf löbig, in his oris adhuc respondebant). Videtur Johannes iste de Stensböle redemisse ab Episcopo, pro definita illa summa pecuniae, decimas Episcopales (Räbbe-Statt-Smör) Ecclesiae Borgoënsis.

[2]) Cfr. *Annott. ad Chron. Juust.* p. 260.

Svecanam illorum temporum narrarunt, ad se convertit [3]). Quoniam vero alio loco ex instituto haec res explicata est [4]), nobis fusius illam hic exponere haud est necesse. De statu tamen atque conditione hujus Ecclesiae, quae ex monumentis hanc litem attingentibus discere licet, paucis commemorare placet.

§ IV.

Inde igitur edocemur, Conventum Padisensem beneficio Regis non modo jus Curatum hujus Ecclesiae praesentandi et nominandi accepisse, sed etiam accedente consensu Episcopi Aboënsis [1]), potestatem omnes reditus pastorales ex hac Ecclesia provenientes Monasterio suo vindicandi [2]); hac tantum conditione adjecta, ut majores aequo et solito a parrochianis reditus non exigerent, et ut aliquem ex fratribus illuc mitterent, qui munere Curati fungeretur: quales igitur *Vicarios* sive *Capellanos* peregrinos pro lubito Conventus missos, revocatos et mutatos, quamdiu Padisenses jure sibi concesso fruebantur, sacris hic praefuisse, reperimus [3]). Postquam vero R. *Alberti* nomine prae-

[3]) Cfr. praeter MESSENIUM, VON DALIN *Svea Rikes Hist.* II Del. 13 Cap. 2 § p. 305, et LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* III D. 6 C. 25 § 418 sq.

[4]) Vid. Tidningar utg. af et Sällskap i Åbo a. 1785 Append. p. 94—111. Cfr. *Annott. ad Chron. Juust.* p. 259—264, p. 349 et p. 438 sq.

[1]) Quem consensum Rex aliter sibi comparare non potuit, quam ut novos duos in Ecclesia Aboënsi Canonicatus institueret; quibus fundandis praedia Regia in *Tessiö* (Paroeciae hodiernae *Pyttis*) et quaedam alia dicare Ecclesiaeque Cathedrali dònare necesse habuit.

[2]) *Omnia jura temporalia* hujus *Ecclesiae*, quae Padisensibus collata fuisse dicuntur, huc spectabant: nec aliud significabant verba Regis, *quod Abbas et Conventus Ecclesiam ex nunc pro suis utilitatibus, regant, ordinent et disponant.* Concessum praetera illis fuit, jus in *piscarias* (fiſſerierne) *ad fundum presbiterialem ibidem pertinentes.*

[3]) Utramque conditionem exprimunt literae regiae, addentes primo haec verba: *proviso quod idem Abbas et fratres* pa-

dia in *Tessiö* Ecclesiae Cathedrali fuissent ademtae, adeoque conditio a parte Regis revocata, Episcopus suam quoque concessionem revocans, jus Padisensibus a se additum abstulit, et Beneficium aliis dedit, parte tamen fortasse ejus aliqua iis relicta? [4]). Successor autem suus (secundus)

---

rochianos *ad nova et majora onera non adstringant, quam aliis Curatis facere consveverant;* deinde haec habentes: *transferentes in ipsos plenam auctoritatem confratres suos personas ydoneas, cum et quociens opus fuerit, salvo semper jure dyocesani ibidem, presentandi, instituendi, ac de prefata ecclesia, sicut juris fuerit, faciendi;* sive ut in literis confirmatoriis R. *Erici* (*Magni* filii) verba sonant: *Ita quod de ecclesia predicta secundum voluntatis suae libitum futuris temporibus libere valeant ordinare, dum tamen ecclesia praedicta et capellae suis debitis officiis non fraudentur.* Haec erant *jura spiritualia* eis concessa, tota nempe cura pastoralis et officia juraque sacerdotalia. De *juribus Episcopi*, sive inspectionis, sive decimarum episcopalium percipiendarum, quod suspicabatur Praeses *Annott. ad Chron. Juusten.* p. 261 sq. not. [88]), nihil unquam fuisse remissum aut diminutum, nunc censet. Caeterum Padisenses et statim jus sibi traditum arripiebant, et ecclesiam per vicarios suos administrare non negligebant. Qua de re Abbas Conradus in literis ad Episcopum Aboënsem *(Magnum)* datis (circa a. 1418), scribit: „Quod si quis dixerit, nos corporalem et realem possessionem „non habuisse, contrarium patet, cum manifestum sit, profatam „ecclesiam et Capellas, a tempore graciae nobis factae, *per fra-*„*tres nostros successores sive succedentes fere rectas, et novis-*„*sime per quendam fratrem nostrum Nicolaum Bolthe defunctum* „*nomine, rectam, et in eadem tumulatum.*"

[4]) In Testimonio fratris *Thorneri Andreae*, Monachi Vadstenensis, fervente inter Episcopum Aboënsem et Padisenses lite edito, dicitur, Episc. *Hemmingum collationem et unionem* (Ecclesiarum Borgo, Sibbo et Perno) *Abbati et Conventui per eum factas cassasse, irritasse et modo simili revocasse, et dimisso eis duntaxat jure Patronatus seu praesentationis, ecclesiam Borgaa cum capella Sibba venerabili viro Domino Olavo Jacobi de Ulsby, tunc seniori et potiori Canonico Aboënsi, Capellam vero Perna Domino Andreae dicto de Perna, auctoritate ordinaria contulisse, eis curam et administrationem in spiritualibus et temporalibus assignando.* Quo facto, neque ipsum jus Patronatus Padisensibus illibatum reliquisse, videri queat? Nisi ad interim, aut quia Padisenses nullum Curatum

Johannes Petri, totum jus suum illis ademisse dicitur, et proprium pastorem Borgoënsibus dedisse, ita ut Padisenses nonnisi post multos annos ab Episcopo *Johanne Westfal*, idque per intercessionem potentis illius Drotzeti *Bo Jōnsson*, illud, nec tamen integrum, recuperarent [5]). Quod tan-

---

praesentaverant, adeoque jure suo legitime usi non fuerant, hoc fecisse videri voluit?

[5]) Idem *Thornerus Andreae* dixit: „*Mortuo—Hemmingo* „— *successor ejus immediatus* (nempe Episcopus *Henricus*, morte „praeventus, ad muneris administrationem non pervenerat) — „*Johannes Petri* - - - omnia jura Ecclesiarum, tam in tempo„ralibus quam in spiritualibus revocavit, Abbati et Conventui de „Pades nullo penitus reservato, conferens ipsam Ecclesiam Borga „cum dictis suis capellis cuidam Domino *Johanni Amberni* dicto „*Gram, qui easdem ecclesiam et Capellas per XII annos, vel* „*quasi, continue rexit* et possedit pacifice et quiete, *sine omni* „*solutione seu annua pensione dictis Abbati et Conventui* - - - „*facienda.* Mortuo autem dicto - - *Johanne Petri* - - superve„niens Dominus *Johannes* dictus *Westfal*, - - *ad importunas in*„*stantias Boecii Joansson, tunc Dapiferi Sveciae*, de mera gra„tia predicta jura - - Abbati et Conventui de Pades restituit, „donec ea ipse vel successor ejus duceret revocanda, transfe„rens dictum Dominum *Johannem Amberni* de ipsa Ecclesia „Borgha ad ecclesiam curatam *Hattula* in Tavastia.“ - - Confirmantur haec literis Abbatum Padisensium *Nicolai* et *Tidemanni;* quorum ille ad Episcopum *Hemmingum* scribens, queritur hunc *Vicarium seu Capellanum* Padisensium *de saepe dicta* ecclesia amovisse, et contendisse eos *ultra quam decet et decuit huc usque de ecclesia Borga nec non capellis ibidem sustulisse, cum tamen* cum *non lateret quod a Capellano praedictae ecclesiae et capellis praefecto L Marcae Sveciae annuatim* iis *perpetue deberent procurari; ex quibus tamen, Deo teste et propria conscientia, XXX marcas Sveciae tantum sustulissent.* Abbas autem *Tidemannus* (ad Episc. *Magnum)* scribit, *Hemingum ecclesiae* - - *Borgha et annexarum capellarum jura sacerdotalia ex mera gratia* iis *concessisse, quam concessionem* - - *ad dies suos inconcussam tenuit* (hoc non usquequaque verum, callide esse scriptum, facile patet) *sub certo tamen censu limitatam: quem censum sui successores* - - - *temporibus suis generose* iis *favebant, tamen non avaritiae vitio, sed caristiarum ingruentia minorato* (leg. *minoratum*). Etiam haec magis callide et dissimulanter, quam per omnia vere, scripta esse, apparet. Quae ta-

dem post novas lites sibi subinde, ac maxime ab Episcopo *Magno* Tavast motas, huic atque sedi suae pro Centum Nobulis Anglicanis [6]) a. 1429 vendiderunt. A quo tempore

men, cum superioribus collata, satis docent, Episc. *Hemmingum* ita ecclesiae nostrae possessionem Padisensibus ademisse, ut certam tamen partem redituum pastoralium *(censum)*, cujus summam hodie ignoramus, iis quotannis pendendam, tandem relinqueret: qua Episc. *Johannes Petri* eos privavit penitus, sed quam successores sui non tamen integram, sed rursus imminutam, iis restituerunt. Reliquam autem redituum pastoralium partem, beneficii loco, aliquibus suae Dioeceseos Clericis hos Episcopos tribuisse credas; sed curam spiritualem Padisensium vicariis permisisse? Cumque Abbas *Conradus Magnum* Episc. roget, ut Conventui permittat *saltem butiri perceptione gaudere;* liquet hanc redituum partem eos in primis sibi vindicasse. Ac cum frater *Thornerus* testetur, ex quo Episc. *Johannes Petri* ecclesiam Padisensibus ereptam *Johanni Gram* administrandam tribuisset, hunc per 12 circiter annos ei praefuisse, circa a. demum 1381 Padisenses ejus curam recepisse sequitur: quam curam *Olavum Jacobi* et *Andream de Perno* non diu agere potuisse, facile videbit, qui meminerit praedia in *Tessiö* ante a. 1364 aut 1365 R. *Alberti* nomine revocari non potuisse, ac *Hemmingum* tamen ante obitum suum (a. 1365—1367), Monachis placatum, partem saltim juris sui iis restituisse. Quantum lucri ex jure suo Conventui redierit, e literis patet Abbatis *Nicolai* nuper laudatis; nisi eum etiam illud, sancta sua asseveratione posthabita, dissimulasse credas? *Magno* Episcopo, qui verum jus nullum Padisensibus superesse (utpote praediorum Tessiöensium revocatione exstinctum), sed ex mera sedis Aboënsis gratia ecclesiam nostram eos tenere censeret, indigna res visa fuit, ut sua dioecesis Monachis peregrinis esset quasi tributaria, et cum suorum clericorum non pauci beneficio egerent, hoc lucrum Estonibus temere accresceret, licet igitur primum exorari se passus, antecessorum suorum facilitatem imitaretur, mox tamen pecuniam a R. *Erico* (Pomerano) et Reg. *Margareta* Ecclesiae Cathedrali donatam, ad praetensum et tam diu litigiosum jus a Padisensibus tandem redimendum et amice acquirendum, impendit. Cfr. *Annott. ad Chron. Juust.* p. 348 sq. not. [10]), et Tidn. utg. af et Sällskap i Åbo l. c. p. 109 sqq.

[6]) Quorum quisque eo tempore 4 marcis respondebat Svecicis, ejus valoris ut earum 9 libram argenti puri aequarent: pro qua pecunia piscaturam Salmonum in amni Helsingensi, simul ab iis, Ecclesiae Cathedrali acquisivit.

haec ecclesia cum saepe dictis suis capellis, ad sacrorum usque apud nos reformationem, ita fuisse Ecclesiae Cathedrali Aboënsi annexa videtur, ut vel per Vicarios, vel per Curatos ei quodammodo tributarios, administraretur; tributum autem quod hi penderent, ad *Missae* illius, quae *Aurorae* vocabatur, canendae institutum in Templo Cathedrali sustentandum, impenderetur [7]).

§ V.

In his tot literis, quae famosam illam de jure Patronatus in Ecclesiam nostram, attingunt litem, nulla omnino fit *Urbis* Borgoënsis mentio: unde colligas, nullam hic eo tempore urbem adhuc exstitisse? Sed anno tamen 1346 jam conditam fuisse, ex relatione Senatus urbici Borgoënsis, dicitur in Litteris Regis CAROLI XI ad Gubernatorem Nylandiae a. 1698 d. 2 Decembris datis, quarum exemplum in Libro Monumentorum ejusd. Senatus *(Borgå Magistrats Svartbok)* p. 44 sq. servatur, quarumque meminit etiam PALMSKÖLD *(Collection. N:o XIV, Topograph. T. LX p. 71)*, ubi verba audiunt: „Borgmästare och Råd, samt Borger„skapet i Borgå Stadh sig deröfver besvärat, at - - - oach-

[7]) Expresse de Episcopo *Magno Olai* scribit JUUSTEN (*Chron. Episcopor. Finland.* p. 372 Ed. Praesidis): „Jus Patro„natus quod habebant fratres Monasterii Padensis in Livonia ad „Ecclesias Borgo, Sibbo et Perno, per ipsius industriam obti„nent Aboënses (h. e. Ecclesia Cathedralis Aboënsis). *Ex ea„rundem etiam Ecclesiarum censibus prima Missa, quae quoti„die in Aurora in Ecclesia Aboënsi dicitur, perpetuata est.*" Cfr. *Annott.* ad eundem p. 348 sq. not. [10]). Hujus igitur generis Curatus vicarius aut tributarius fuerit oportet *Laurentius Ingemundi* (Laurens Ingimundsson) qui a. 1436 vocat se *Kirkio presther* i Borgha, cum a. 1431 sese vocasset *Kirkiopresther i Halicko*, unde sese illic translatum fuisse significat, cujusque frater *Olaus Ingemundi, Armiger (a Vapn)* ibidem audit. *Registr. Eccles. Ab.* Fol. 201 et 232. Ac interim ecclesiam *Perno* proprium Pastorem, licet eidem oneri subjectum, eodem circiter tempore accepisse, adeoque a Borgoënsi fuisse separatam, reperimus: quare a. 1442 mentio fit *D:ni Laurentii Skytte, Curati (Kirkioherre) in Perna. Reg. Eccles. Ab.* fol. 149.

„tadt att oftabemälte *Stad ifrån dess första fundation a.*
„*1346* altydh och in till denna tiden har varit lyka dehl-
„achtig med Sochnen i samma Kyrka“ etc. Unde autem
hanc illi notitiam hauserint, aut quibus argumentis veritatem asserti sui probare valuerint? penitus nos latet: adeoque parum huic asserto fidere audemus. Verum antequam a Padisensibus jus suum redimeretur, vere tamen Urbem hic fuisse, suis et *Consulibus* et *Senatoribus* jam instructam, ex litteris liquet eorundem a. 1424 datis, quas hanc ob causam ex *Regist. Eccles. Aboënsis* (fol. 133) descriptas, subjungimus: „Allom thöm thetta breff höra eller see, kun-
„görom *vi Borgamestare oc Radmen j Borgha met thesso*
„*wara naerwarande opno brefue, at areno aepter Gudz byrd*
„*MCDXXIIII°, Toorsdagen naest fore fastaganx sunnadagh,*
„*kaendes for oos* hustrv Cristin Pedersdotter, Biorn Saluc-
„sons hustrv, at hanne bonde, som tha hardelica kranker
„laagh, oc hon, met samtykkio oc godan vilia giord hafdo
„Jorda scipte met Domproasten och Capitulit j Abo a Dom-
„kirkionne wegna, j swa matto, att the haffdo sat ok wp-
„latit met allom raeth Domkirkionne i Abo all thera godz
„j Saw sokn liggiande, swa som aer Lolas, Odekulla, Kur-
„kisala oc Padasa, met allom tillaghum, engo wndantagno
„oc skildo, vthan hwsum, for huilkom the skulu en för-
„nöghaes, oc Padhasa godz, som hwstrv Gertrud Lökanaes
„enkia var pantsaett för L marc swenska j Aboes mynt,
„skall for:da Domkirkia återlösa, ok ena engh aff Haquon
„Diegn, som war pantsaet för fyra marc swenska: ok for:da
„Biorn ok hans hwstrv Cristin skulu hafua ok beholda all
„the godz Domkirkian aatte i Borgha sokn, som aern Skin-
„nareby, Stensböla, Böla och Metha, met allom tillagom,
„engo wndantagno ok skildo, vtan husum, som landboen
„tilhöra; oc for thy for:da Biorn for sinom krankdom, oc
„hustrv Cristin for annor lagha forfall, kundo ey siaelffue
„til Saw fara, ther godzen liggia, befaelto the fullelika met
„alla makt sinom maagh, Peder Hoornhws, at fara til Saw,
„oc ther sköta oc skiaela aepter landzlaghum for:da godz
„aa thera wegna Domkirkionne i Abo til aewinnelika aegho;

„ok hwat han gör aff wara wegna j thessom forscrifnom „aerandom, thet wiljom wi stadhukt ok fast halla, likaer„wis som wi thet siaelue giort hafdom. Thil mera wisso „och witnisbyrdh thessa forscriffna stykkae, haengiom wi „waart Stadzens Incigle for thetta breff, som Scriffuat aer „aar dagh ok Stadh forskriffnom.

§ VI.

Circa initium igitur Seculi XV urbis nostrae origines quaeri debere, non improbabile videtur? Quo fere tempore templum quoque ejus hodiernum fuisse exstructum, ferunt [1]). Nomen autem nova urbs idem retinuit, quod jam antea paroeciae adhaeserat; cujus nominis caussam accurate definire non valemus [2]). Tenuia urbis initia fuisse, utpote sen-

[1]) In veteri Inventario *(Inventarii Book)* Ecclesiarum Borgoënsium, legitur, (qua fide, ignoramus): *An.* 1414, *sub Episcopo Olao Magni* (leg. *Magno Olavi) exstructum esse Templum Borgoënsium, tradit notatio majorum.* Alia traditio, eundem annum prodens, addit *Sancto Enevaldo* fuisse dedicatum (a cujus nomine appellari, inscriptio etiam docet in pariete, supra fores Templi maximos, post illud a. 1729 reparatum Germanice adpicta); sed talem Sanctum Historia nostra ignorat? In literis autem a. 1722 die 6 Dec. datis, asserit Dn. *Cleve*, Lector olim Gymnasii Borgoënsis, in veteri libro Historico Ecclesiae Borgoënsis *Borgå Kyrkas Historie Bok)*, qui jam periit, annotatum fuisse, templum Ecclesiae lapideum a. 1418 esse aedificatum. Adeo ut res non sit certissima.

[2]) Conspiciuntur quidem hodie vestigia munimenti (Stens vel Redoute) non procul ab urbe, versus septentrionem, in orientali ripa amnis illam praeterfluentis olim siti, quod Castrum (Borgen) hodieque dicitur, unde etiam collis fundo Presbyteriali adjacens, *collis castrensis* (Borg-Backen) audit. Sed hoc opus recentioris esse temporis, res ipsa docet: adeo ut paroecia nomen inde habere olim non potuerit; nisi aliud antiquius eodem loco fuisse, existimes? Intra duas fossas et duplicem aggerem (Nord-wall) planities est, ubi foveae apparent, quas servando pulveri pyrio inserviisse (Krut-källare) credas? Non est autem improbabile, colonos Svecicos, post occupatam Nylandiam, munimenta quaedam contra ejectos Fennos, et maxime contra Piratas ethnicos, oram hanc a Russis adjutos acriter infestantes, in primis ad

sim sine dubio ortae, facile patet. Privilegia iis antiquiora, quae in libro Privilegiorum Senatus Urbici Borgoënsis servata, a. Rege *Gustavo* I (die 3 [3]) Dec. a. 1546) data esse reperiuntur, invenire non potuimus; quorum exemplar infra adponimus [4]). Sed non multo post haec

---

ostia amnium erexisse: eorumque praecipuum aliquod, paroeciae nostrae nomen olim dedisse? Quod et alia nomina ex talibus castris nata, hodieque in hac terra obvia, confirmant. Sic habetur intra eandem hanc Paroeciam Capella et ecclesia *Borgnäs* (Promontorium Castrense) ad alterum s. occidentaliorem amnem (*Mentzelensem* dictum, Menzelä ån): ac quamvis nulla hodie vestigia castri alicujus ad eum occurrant, tamen versus euro-boream a templo, fossae cujusdam reliquiae superesse dicuntur. Similiter in Paroecia *Sibbo* pagus habetur nomine *Borgby* (pagus castrensis), in cujus vicinia vestigia munimenti antiqui (Borg, s. Redoute?) itidem supersunt: cui rei suffragatur etiam Fennica ejusdem pagi appellatio, *Linnan-peldo* (ager castrensis).

[3]) In *Collectione Palmsköldiana* (in Bibliotheca Acad. Upsaliensis servata) ubi Literae Borgoam attingentes No. XIV Topogr. T. LX. p. 53—84 habentur, die 4 ejusdem mensis data dicuntur.

[4]) Titulus iis praefixus hujusmodi jam legitur: *Öpet Permenzbreff och Privilegie, för Borgo Stad i Nyland, att the måge fhöre uth the wharur, som icke förbudne äre, och segle til Stockholm med the förbudne wharur; Ithem försuarelsebreff. Dat. den* 3 *Decemb. An.* 1546.

„Wi Gustaf med Gudz nåde etc. Göre wetterligit, att wij „aff wår synnerlig gunst och nådhe, hafue taget och anammet, „som wij och nu med thette wårt öpne breff tage och anamme „thesse wåre trogne Undersåter, Borgmästere, Rådh och Menig„heten som bygge och boo i wår Köpstad Borgo (Palmsk. ad„dit: i *Nyland)*, uthi wårt konglige hegn, wernn, fridh, förswar „och beskyddan, och enkannelige til at hägne fredhe och be„skydde them, theres hustrur, barn, legefolk, godz och ägodelar, „rörligit och orörligit för alt öfuerwåld, oskäll, oförrättan, Thes„ligest hafue wij och så gunsteligen undt och gifuit som wij och „nu her med unne, gifue och efterlåthe, them och theres Effer„kommande Borgere i för:ne Borgo, oss och Sverigis Crona til „en laglig (Palmsk. *leglig*) och behagelig tidh, rätt och fulkomp„lige Staz Frijheeter och Privilegier, så at the lijke som andre „wåre Borgere och Köpstädzmänn (Palmsk. addit. *flerestädes*) „her i wårt rijke måge och skole bruke theres hantering, han-

accepta Privilegia, urbs nostra prope interitum erat. Mercaturam enim fere cessasse, nec juribus suis urbanis per aliquod tempus cives usos fuisse, monumenta testantur [5]). Hostilibus praeterea invasionibus urbs graviter afflicta fuit; a. nempe *1571 in Martio* (ut habet liber *Inventarii Eccles. Borg.*) *Mosci invasere per Wederlax, Kymmenegård incendio deleverunt; templum quoque Borgoënse igni tradunt, peragrantque rapinis usque ad civitatem Helsingforsiam.* Qualem invasionem a. 1578 contigisse *Wexionius* in *Epit. Descript.*

„dell och wandell her Inrijkes till Stockholm och flere af wåre „Köpstäder, med huad som helst wharur her aff Rijket at före „förbudit är, eller framdeles blifua kan, och utrijkes med theres "wharur, som löss och medgifuin är eller blifuer at föra aff „Rijket, och eljest uthi alle motte holle sig efter som wårt Kong„lige uttgångne Mandaz om sådana Köpmandz handelz och an„dre Stadgars innehold klarligen uttrycke och förmäle; Samma„lunde at the och her efter som tilförene frije och obehindrede „måge och skole niuthe, bruke och beholle the Stadzägor „och utrympningar, uthan för theres Stad, lijke som them af „framledne wåre förfäder Rijksens Konunger och Regentere nå„deligen och wetterligen unte och efterlåtne warit hafue; dog „om theres näst omliggande Bygd theremot någon skälig bewis „med Bref, Sigell eller annan longlig och laglig häfd hafua „kunne, som ock tillförene sådant för oss wäl beklaget är, Thi „skall och altijdh sådant stå them så wäl som then annen part „frijtt och öpet före, at sökiet hoss hwar annen med rätte. „Hwilket wij gifue wåre Fougdter, Befallningsmän och alle an„dre, som för wår skull wele och skole giöre och lathe. til„kenne, at the uthi ingen motte, giöre förb:de Borgo Borgere, „emot thesse för:ne wåre frijheter och Privilegier hinder, qwall, „platz eller förfång, wijdh wår ogunst. Ther hwar och en sig ef„terrätte hafwer; och thess till ytermere wisse lathe wij wetter„ligen hengie wårt Kongl:e Secret neden före thette breff som „gifuit och skrifvit är på wårt Slott Stockholm denn 3 Decembris „åhr 1546." (Apud Palmsköldium legitur: *den Fierde dag Decemb. anno Domini etc. Tusende Fem Hundrade Fyratige på thet Siette).* Apographum, ex Archivo Regni comparatum et concordiae cum Actis (Registraturet) testimonio munitum, inter Acta Senatus Urbici Borgoënsis conservatur.

[5]) Cfr. Literae R. *Johannis* mox adferendae.

Sveciae dicit [6]). Non est mirum, si post tantam calamitatem urbs aliquamdiu fere deserta mansit ac ad incitas prope redacta; donec Rex *Johannes* III eandem, quae ad pagi rustici fortunam descenderat, novis Privilegiis, die VIII Julii a. 1579 datis [7]), ornaret; quibus illam in pristinum sta-

---

[6]) L. VII, C. I plag. X. Verba ejus sunt: „a Ruthenis Ny„landiam ad Seckjerffvi (Säkjärvi) a. 1578 invadentibus et Hel„singforssium usque grassantibus male habitum: qui ingentem il„linc campanam abstulerunt: inde super glaciem de insulis *Pä„ling* Narviam elapsi." Circumstantias uterque non plane easdem commemorat; adeo ut nec eandem tangere irruptionem videantur? Nec facile crederes, anno jam 1571, cum adhuc de pace continuanda inter regnum utrumque ageretur, hostilem illum Russorum factum fuisse in Finlandiam impetum? nisi dubitationem nobis eximeret JACOBUS GISLONIS, qui *Chronol.* p. 120, ad a. 1571 scribit: „Alius Moschorum exercitus *in Martio Fin„landiam intrat, et loca multa depraedatur.*" (Prodiit ejus liber a. 1592). Cum quo testimonio cfr. Litterae *Gustavi Baner* ad R. *Johannem* III, Wiburgo d. 8 Febr. a. 1572 datae, typis exscriptae in *Foliis hebd. Aboënsibus* a. 1792, No. 21. Caeterum saepius his temporibus Finlandiae hanc oram hostiles hujusmodi sensisse impetus, constat. Quare non immerito MESSENIUS suo modo canit: „Ryska kriget nu kommer til: Det i begynnelsen „angick Då Konung Johan riket fick, - - - I fem och tjugu år „det stod, Mång hjelt däri utgöt sit blod: De arme Finnar som „näst bo, Ledo största sorg och oro, Ej dag ej natt voro där „fri; Hvar slacktning ställtes främst uti: *Huru ofta med rof „och brand Den tid förhärjades Finland.*" *(Chron. Rhythm. Finl.* p. 57). Sic crudeli Russos irruptione a. 1572 initio mensis *Februarii* (Kyndermesso tid) Finlandiam afflixisse narrat AEGID. GIRS, *K. Johan III:s Krönika* p. 34. (Cfr. Litterae *Banerii* nuper laudatae et initio a. 1577, induciarum biennalium tempore nondum elapso, per 12000 Tataros (equites levis armaturae) eandem atrocissime populatos esse, docet (item ib. p. 63; cfr. MESSENII *Scond.* L. VII p. 47).

[7]) Quae exhibet *Collectio Palmsköldiana*, l. c. „Wi Johan „den Tredje med Guds Nåde, Sveriges, Göthes och Wendes „Konung, Göre Witterligit, at wåre Undersåtare, som boendes „äro uti Borgo By i Nyland, hafva i underdånighet sändt deras „bud til oss och ödmiukeligen begärat wår nådiga tillåtelse, at „de måtte få blifva boendes i för:ne Borgo, och der bruka Köp„mans handel och wandel, såsom besottne Borgare i andre Stä-

tum restituit, eique liberam rursus mercaturam permisit. Otio tamen diu frui urbi nostrae neque postea licuit; a enim 1590 (ut idem docet Liber Vetus) *iterum facta eruptione Russi in Februario per rapinas et caedes grassati sunt, tectum etiam Templi Borgoënsis deleverunt igne; interiora vero intacta manserunt: e capsulis autem scripta et monumenta antiqua hostes tunc abstulisse, posteritas queritur.* Ejusdem furoris hostilis meminerunt sub hoc anno etiam AEGID. GIRS l. c. p. 145 sq. et MESSENIUS *Scond.* l. c. p. 98. Praeterea cives urbis Helsingforsiae, Borgoam, utpote nimis sibi vicinam, mercaturae suae noxiam existimantes, de ea delenda consilia agitarunt: quae ut succederent, legatos ad Regni Administratorem Principem *Carolum* miserunt, oraturos, ut urbem nostram destrui, civesque ejus Helsingforsiam migrare juberet. Ille vero in tutelam suam suscepit Borgoam, antiqua ejus privi-

---

„der där i Finland. Så efter det, at förne Borgo By hafver „i förtid warit en Köpstad, hvilken på någon tid till görandes „hafver warit nederlagd, så at der ingen synnerlig Köpshandel „eller Statsrätt brukat är; Derföre hafwe Wi förenämnde Wår „Undersåtares ödmiuka begäran nådigt ansedt, och gunsteligen „efterlåtit, bewiljadt och samtyckt, at förenämde Borgo By skall „uprättas och blifva en Köpstad, och Wåre Undersåtare, som „där boendes äro måge bruka fri handel och wandel, med Kö„pande och Säljande efter Sweriges Lag uti alla måtto, såsom „andre Wåre undersåtare och Borgare uti Städerna, och på det „at samme Borgo Stads Inbyggare desto tryggare wara måge til „at bygga, handla och wandla efter som förbemält är, så hafwe „Wi uti detta wårt öpna Brefs kraft tagit och annammat för„benämnde Borgo Stads Inbyggare, med Hustrur, Barn, Gods „och Ägodelar, rörligt och orörligt, ehvad det hälst vara kan, „som dem med rätta tilhörer, uti wårt kongliga hägn, wärn, fred „och förswar, synnerligen til at freda och förswara för alt öfver„wåld och orätt, och fördagtinge til rätte. Förbjudandes förden„skull härmed alle, eho de hälst wara kunna, som för wår skuld „wilja och skola göra och låta, at göra oftabemälte Borgo Stads „Inbyggare häremot något hinder eller förfång, wid Wår ogunst „och straff. Gifwit på Wårt Kongliga Slott Stockholm den 8 „Julii anno 79, uti Wårt Regementstid på det Ellofte.

:gia novis, die XI Januarii an. 1602 datis [8]), auxit, beram ejus mercaturam confirmans, et in patria ex-

[8]) *Dies XIII, Januar.* in Collect. Palmsk. habetur. Ipsae ıtem literae (quarum apographum testimonio legitimo muniım servat Senatus Urbicus) tales sunt: „Wi Carl etc. Göre weterligit, att ändoch wåre och Swerigis Krones Undersåther uthi Helsingefors haffue några resor opå åthskillige tydher oss :genom theres uthskickadhe besöcht och flitiget ahnhollit, att Borgo Stadh måtthe aldeles ödeleggies och Borgerskapet som ther boo tilsäyes att the som handell wele driffue, the skulle flyttie till Helsingefors och sättie sig ther nidher, förmenandes sådant ware theres privilegier likmätighit. Såsom och therhoos förmälendes, att huar thet icke skedde, då bleffue them all handell uthi Helsingefors förtagen. Doch likwäll när man saken rätt betenkia will, då liggie begge Städher icke huar andre så när, att then eene kan ware then andre till meen och hinder. Uthan der alt olageligit köp bleffue förtaget, och man wille sigh meere om godh ordningh ähn oordningh befliithe, så ock afläggie all afwund och illwilie, då kunne icke allenest the bådhe Städherne bliffue widh macht uthan och wäll flere uthi Rykett planthas och optagas, såsom man seer uthi fremmande Land wara skedt och ähn skeer. Så efter wåre och Cronenes undersåther uthi Borgo haffue nu haft theres fullmächtige her hoos oss och lathet see hwad för Privilegier som samme Borgo Stadh af framfarne Konungar giffuin ähre, ödmiukeligen och ‚underdånligen begärandes, at wij them icke allenest confirmere ‚och stadfästa wele, uthan af gunst och nådhe förbettre, derföre ‚så haffue wy ahnseendes wårtt dragande Embethe, hwilkett af ‚oss kräffuer att wij alle wälfångne privilegier skole vijdhmachtt ‚holle och them icke brythe, uthan heller öke medh allom go‚dhom, som lagh säger, för:te Borgo boers ödmiuke begäran ‚ahnsedt och theres privilegier confirmeret och förbettret som ‚herefter fölier. Först, såsom wår kåre Herr Fadher Konungh ‚Gustaf opå thet åhr 1546, deslikes och sedan wår Herr brodher ‚Konung Johan opå thet åhr 79, bådhe Salige hoos Gudhi och ‚Christelige i åminnelse, haffue gifuit och efterlathet för:ne Borgo „boer och theres efterkommande borgere uthi Borgo Stadh rette „och fullkommelige Stadz privilegier och frihether; Så wele wi „och haffue them hermedh och uthi thette wårt öpne breffz kraft „samme frihether och privilegier aldeles såsom the oss här åhre „föreläsne wordne och i bokstafuen lydhe confirmerade och stad„feste, så att för:tte Borgo by skall her efter ware och bliffue „een Köpstadh, och alle the som ther uthi boo och borgerskap

terisque Regionibus eandem exercendi potestatem incolis concedens; urbi praeterea insulam *Swinö*, cujus hactenus

---

„haffue wunnit, måghe och skole som andre wåre borgere och „Köpstadzmän efter Swerigis Lagh och Rycksens loflige bruk „och stadger bruke theres handell och wandell bådhe inrykes „och utrykes, bådhe med inlendske och fremmande. Doch an- „dre Städhers privilegier, så och wåre och framfarne Konungars „Mandater och Ordninger, som om förbodh opå någre synnerlige „warors uthförningh ähre uthgångne, eller herefter uthgå kunne, „aldeles her med oförkrenchte. Och ther så hende, att wij „framdeles någon serdeles ordning gjorde medh the Norlandske „Städher, ther efter the sigh uthi handell och wandell skulle „förholla, då skole och Borgoboerne ware förplichtade sigh her ef- „ter rette, och then eene framför then andre uthi thette fallet ingen „praerogation eller fördeel haffue. Till thet andre. Opå thet att „all oenighet som beggie Städher Borgo och Helsingefors åhr „emellan, må bliffwe förtagen, och hwar weete huru widt han „handle skall, och then eene icke beklage sigh att honom mi- „ringen och handelen af then andre bliffver ifrå tagen, så skall „medh beggie Städernes handell så hollit warda som her efter „följer: När the Fyre marknadher som uthi Borgo, Pyttis och „Pernow om åhret holles, ähre öffwerståndne, hvilke Helsingefors- „boerne skall fritt efterlathit warde att besökie och ther brede widh „Borgo Stadz inwånare att handle och wandle: Såsom och thet „samme skall Borgoboerne uthi Helsingefors uthi frymarknadher „stå öpet; då skall thet wara them som i Helsingefors bo aldeles „förbudit någen handell om åhrett ytterligare öster om Borgo „att drifve. Såsom och the som i Borgo boo, skole icke heller „uthan lagha marknadher något handle wester om Helsingefors, „uthan hwad såsom undersåtherne öster och wäster om beggie „Städher haffwe til at köpe och sälie, thet skole the göre uthi „näste köpstadh och ingalunda drage then staden förby som „nermare ligger. Wi wele och beggie Städher till deste meere „och bettre förkofringh haffwe alfwarligen förbudit och aflyst all- „Landköp som bådhe Räffwelsboer och andre driffwe uth meidh „Siösidhen och op i landet, så att hvem som thermedh warder „beslagen, då skall han efter lagen hafwe förwerkatt thet han „handler medh, och böthe ther öffwer opå sine 40 marck. Och „efter att många her uthi landett boo, så wäll bönder som an- „dre, hwilke seglas bruke och handell och wandell driffwe, icke „mindre ähn som några borgare i Städerne: därföre så skole „Fougterne säye them till som Skutor och skip haffue och han- „dell och wandell driffwe wele, att the skole draga in i Sta-

nonnisi dimidiam partem possederant, et pagum *Weckjärvi (Vehkajärvi)* oneribus publicis (praeter annuum tributum XX Thalerorum Svecicorum) liberum, donans; atque aliis literis, eodem die datis, duorum annorum a tributis immunitatem civibus, ad vires urbis fractas reparandas, largitus

---

„derne, antingen till Helsingefors eller Borgo, och ther boo och „winne burskap, och sedan bruke seglas, handell och wandell „som andre borgare. Thy hwar annorlunde skeer, och Fougd- „terne antingen tillstädie ellêr see igenom fingerne thet sådane „Landzköp och olaglige handell bliffwer driffwen, då skole the „icke allenest efter Lagen ware förfalne til 40 mark så ofta „thet skeer, uthan och bliffwe ther offwan opå för ohörsamhet „tilbörligen straffadhe. Till thet tridie: efter ofte:te Borgeboer „haffwe uthi underdånigheet lathett giffwe oss tillkenne, att the „inthet synnerliget uthryme ther wedh stadhen haffwe antingen „til mulebeet, wedebrandh eller annet, och fördenskuld af oss „ödmiukeligen begäre att wij them någon lägenheet inrömme „wille; så på dett de deste snarere måtte komme sigh före och „förwinne then skadhe som the nu een långh tydh hafwe haft af „thet att theres handell haffwer legatt neder: Derföre så haffwe „Wij nådigst bewilliget och samtycktt att the undher Stadhen „måge beholle en Öö benempdh *Swinöö* med alle dess tilly- „dande ägor och rättigheet, hvilken the tilförene half haffwe „innehaft. Desslikes en by *Wekejerffue* (Palmsk. *Wäckierffvi*) be- „nempd, uthi hwilken åhr een Skattjord och Sex mantaal, till att „nyttie, bruke och beholle sigh och Stadhen till godho, qwitt „och frij för alle uthlagor så till (Palmsk. *så väl)* wisse som „owisse Perzeler, och (Palmsk. *Doch)* skole the theraf giffwe „oss och Cronen till wederkännelse hvartt åhr tiugu daler Svensktt „mynt. Förbiudhe fördenskuldh alle som för wåre skuld wele „och skole göre och late, att the icke tilfoge för:de Borgoboer „heremott eller emot thet som Sweriges Lagh och framfarne ko- „nungar them undtt och efterlathett haffue, någett hinder eller „förfängh i någre måtthe. Såsom och befale wåre Ståtthollare, „Befalningzmän och Fougdter, så wäll them som nu åhre, så- „som och her efter kommandes wardhe, att the Borgo Stadh „och dess inwånere widh thenne wår giffne privilegier hand- „haffue, beskydde och försware, der hwar i sin stadh weeth sigh „efter rette. Datum Åbo then 11 (*Palmsköld* den 13) Januarii „åhr 1602."

est [9]). Quae Privilegia idem post coronationem suam, a. 1607 die 3 Julii ulterius confirmavit, novisque auxit juribus [10]). Rex *Gustavus Adolphus* a. 1614 d. 22 Febr. civi-

[9]) „På thet att the deste snarere måge komme sig före igen, „*efter the nu een tijdh långh uthan handell och wandell haffue „suttit*", ut verba jacent: ex quibus patet, urbem hactenus vulneribus suis mederi non potuisse.

[10]) Haec Privilegia habentur in *Collectione Palmsköldiana*, l. c. unde prioribus adjectos articulos exscribendos judicamus: „Vidare vele vi af gunst och nåde, desse för:ne Borgo Stads „Privilegier med efterföljande Puncter och Conditioner hafva för„bättrat, som är: Först vele vi härmed förordnadt hafva, at efter„som ofta hända plägar, at en hop fremmande, som äro Holländare, „Tyskar, Skottar eller af andre Nationer, de komma hit in i „Riket och sättia sig in i Städerna, och göra derhos Borgare-Ed, „och bruka deras handel och vandel, likasom invånare, och för„kofra sig, och slå under sig stora ägodelar, och en part, se„dan de hafva riktat sig så mycket de vela, åter säga sin Bor„gare ed upp, och draga så af Landet, och sätta sig uti främ„mande Städerna ned, och bruka de Penningar de här af Lan„det fört hafva. Derföre skall hvar och en som Borgare vara „vill, och handel och vandel uti våre Köpstäder bruka vill, och „synnerligen uti vår Stad Borgo, Först, för än han til Borgare „antagen varder eller någon Borgare Ed gör, utlofva at vilja „blifva der boendes uti alla sina Lifsdagar. Hvad han det icke „utlofva vill, utan tillbiuder sig, medan han der handell och „vandell drifva vill, Borgare rättighet att utgöra, då skall det „honom intet varda förbudit, när han sin Ed aflagt hafver, och „emedlertid han där besittiandes är, skall han vara oss, vår äl„skelige kära Husfru, och våre efterkommande, hnld, trogen och „rättrådig, och sedan skall han niuta Borgare rättighet, lika „med andra stadens inbyggare; men hvar sig så tildraga kunde, „att han sedan vill säja sin ed up, och sig sedan uti andra „Städer och platser at begifva, vare sig inrikes eller utrikes, då „skall han först hembiuda staden eller någon besittnings bor„gare, och ingen annan, hus och grund, om han der något så„dant tilförene haft hafver; Hvar ingen voro som sådant köpa „ville, då skall Staden efter Mätsmanna ordom, hus och grund „till sig lösa, och tredingen af hans lösören, som der finnes i „Hus och gömmo hans, skall varda förfallen under Staden: om „nu innom Stadsens rå ej finnes något lösören, utan han hafver „dem hemligen utur Staden undanstungit och utfört, då hafve „förgiordt under Staden hus och grund, utan någon värdering,

bus jus concessit, Portorium (Tullen) Regi pendendum per tres annos sibi vindicandi, ut sic solutionem sibi procurare

---

„och hafve ingen hvarken han eller hans arfvingar någonsin magt „det at qvälja. Finnes skuld efter honom innom Stads, som bort „fara vill, då skall all skuld först betalas af jord och lösören in- „nom Stads, och ingen annan sedan kräfje här efter, som Lag ut- „visar. För det andra: Så hafve vi nådigst undt ock efterlåtit „at all saköre, som i Staden faller, hon skall höra oss hälften „till och den andra hälften till Staden, och den skall vändas „till Kyrkios, Schol-Stugors, Stads-Stugors och andra Stadens „byggningar. Till det Tredje: Så hafve vi nådigt efterlåtit dem „til Stadens byggning och förbättring, den tionde penning af „alt det arf som i Staden faller, så hvar någon utan Stads voro, „som något arf anten i löst eller fast i Staden tillfalle, och han „icke ville sielf bo i Staden uppå det hus eller tomt som honom „tilfallen voro, utan ville bo utan Stads och föra lösören af Sta- „den, han skall gifva deraf först i löst och fast som förbemält „är, til Staden hvar Tionpenning, och sedan skall han icke hafva „magt at sälja något, som utan om Staden bor, anten Hus, „Jord eller Tomt, som han i Staden ärft hafver, utan vill han „henne icke sielf besittia, då skola de, som i Städerna bo, „hafva magt henne at lösa och behålla efter mätesmanna or- „dom; vill han och icke sälja henne dem, heller sjelf besittia, „då skall samma Hus, Jord eller Tomt vara förfallen under Oss „och Staden, Oss hälften och Staden den andra halfparten. Til „det Fjerde: Så vele Wi ock härmed alfvarligen budit och be- „falt hafva, att Bryggare och bryggehus skola hållas i Staden, „och icke hvar brygga som han sjelf vill, som här till skedt är, „utan de, som där blifva satte, de skola för eld och våda skull „hafva deras brygghus och pörter utom Staden, och af alt det „öl där bryggas skall, skall gifvas en mark i accis för hvar „tunna. Och där skola sättas vissa män till, som der hafva „inseende med, at samma accis blifver rätt gifven, hvilka pen- „ningar ock skola sedan komma Oss halfparten till, och den an- „dra halfparten till Stadens byggning, och ingen skall vid peen „och straff fördrista sig att hafva någon bryggestoll i sitt egit „hus. De som och hålla Bryggehusen uppe, de skola låta hvar „och en för redelig betalning brygga uti deras brygghus; Icke „skall heller vara efterlåtit, som härtils skedt är, at Finskt öl „skall skänkas i alla vinklar och olofliga hus, utan der skall „ock sättias vissa borgare till, som ölet i kannetal uptappa, och „de skola gifva af hvar tunna de utmångla och utsälja, Oss „half mark och två öre till Staden till byggningen. — Till det

possent pecuniae quam in usus militum contra hostes patriae pugnantium numeraverant. Cumque iidem questi essent, neque suis sese navibus urbes exterorum adire valere, neque ut peregrinae naves ad suam urbem venirent permitti; ut per biennium his ad urbem accedere liceret, a Rege impetrarunt: Revaliensibus atque Narvensibus mercatura, quam cum incolis vicinarum insularum oraeque Nylandiae maritimae proximae, in fraudem Borgoënsium exercuerant, simul interdicta. Senatui autem Urbico severe fuit injunctum, ut varii generis opifices, (quorum index attexebatur), in urbem suam adsciscerent. Anno sequente (1617

„Femte: Efter Borgarne uti Borgo Stad ödmiukeligen hafva be„klagat sig utöfver det olagliga Lansköp, som både de Revel„ska der drifva, som pläga draga tidt utöfver at hoffiske och „köpslaga der med allehanda köpmansvaror, som är Salt, Kläde. „Jern och annat, ock föra åter öfver til Refvel allehanda varor „och gods, Oss och Kronan till skada och afsaknat uti Tullen. „och för:de Borgo Stads Inbyggare till förfång uti deras handel „och näring; såsom ock det Bönderna segla till Räfle och „Narfven med ved och fisk, skulle under det sken föra ut alle„handa varor, icke allenast hvad de sjelfve äge, utan ock Hof„mäns och andre Bönders gods, så vele vi sådant olagligt Lands„köp hafva alfvarligen förbudit, och aldeles härefter afskaffat. „Och hvilken som dermed beslås, at han brukar sådant Lands„köp, då skall vår Fogde, och Borgmästare och Råd i Staden. „hafva magt at taga bort ifrån dem alt det de hafva med at „föra, och det skall varda förfallit, halfparten till oss, och half„parten till Stadens Byggning."

„Alle För:ne Puncter och Articlar biuda Wi på vår Ko„nungsliga Embets vägnar, och strängeligen befalle, obrotsligen „vid magt at hållas; vi vele och härmed, förenämnde Borgo „Stads inbyggare med hustru, barn och legofolk, samt gods och „ägodelar, rörligit och orörligt, innan Stads och utan, uti vårt „Konungsliga hägn, värn, fred och försvar, annammat hafva. „för alt orett och öfvervåld, til lag och rätta. Förbiude för„denskull alle i hvad stad de hälst vara kunna, särdeles de. „som för vår skuld skole göra och låta, för:te Borgo Stads In„byggare häremot hinder och förfång i någon måtto göra och „tilfoga, vid vår högsta onåd och tilbörligt straff. Gifvit på „vårt Konungsliga Slott Stockholm den 3 Julii år Et Tusende „Sexhundrade på det Siundhe."

d. 24 Octobr.) Rex privilegia quidem urbis, donec ea curatius expendendi et pro rerum usu atque ratione emendandi sibi opportunitas contingeret, confirmavit, sed *in quantum Ordinantiae pro mercatura regni moderanda in Comitiis ejusdem anni constitutae* (Handels-Ordinantien) *non repugnarent:* qua Ordinantia urbi nostrae, ut plurimis aliis, jus commercia cum exteris populis exercendi (Stapel-Rätten) plane ademtum fuit [11]). Hoc itaque jus ut recuperarent, cives postea saepe a Regia Majestate petierunt; sed irrito semper conaminum suorum successu. Anno tamen 1765, non modo libera ad omnes urbes Svecicas navigatio illis concedebatur, cum jure merces suas in illis ad opportunum sibi tempus repositas habendi, (frí inrikes ſeglation och uplag), sed etiam potestas dabatur merces ligneas varii generis (trädkärlí och trädwirke) ad portus omnes circa mare Balticum Sinumque Fennicum sitos transportandi, frumentumque, linum et cannabin, nec non semina cannabis et lini, inde reportandi [12]). Inita praeterea cum Helsingforsensibus quibusdam mercatoribus societate, horumque jure simul fruentes, navi ex illius urbis portu profecta, posterioribus his annis, (ab hujusmodi usu consilii per leges patrias haud exclusi), cum exteris etiam remotioribus mercaturam non infelicem fecerunt.

§ VII.

Regnante R. *Carolo* XI, praedio quidem *Weckjärvi* per captum consilium fundorum omnium Regiorum privatis donatorum aerario rursus vindicandi *(Reductionen)*, Borgoënses mulctati sunt; nec precibus civium illud repetentium, a. 1682 Rex annuit: sed biennio tamen post (1684) faventiorem se illis praebuit, ac jus tam hoc, quam nonnulla alia nuper ademta, resti-

[11]) Legi potest haec Ordinantia in operis *Stiernmanniani* (Samling af Kongl. Bref, Stadgar och Förordningar, ang. Sweriges Rikes Commerce etc.) T. I p. 690 sq.

[12]) Decret. Reg. (Kongl. Resolution) d. 3 Dec. a. 1765.

tuit [1]). Diuturno autem ac fatali bello per totum fere regnum R. *Caroli* XII ardente, urbs nostra gravissimis afflicta fuit calamitatibus. Primum enim a. 1708 (ut verbis utar libri veteris saepe jam laudati) *Muscovitae seu Petersburgo vecti navigiis circa vicum (praedium) Haico in terram exsiliunt oppressuri Borgoam. Caeterum aggredientibus jam in ponticulo amnis, fortiter opponunt se cives Borgoënses, prostratisque aliquot et in profluentem deturbatis, reliquos ad sua accedere navigia cogebant: sed die postero ab orientali littore, Ruschis dicto, fortius accedunt Russi, Borgoamque desertam ab incolis flammis devastant, flaminia per gratiam Dei salva manente. - - Deinde a. 1710 pestis - - civium Borgoae—agrestiumque 652 extinxit, quis locus sepulturae in la-*

---

[1]) *Decr. Reg. d.* 20 *Dec. a.* 1682 *Art. I.* „Hemmanet „Veckjärvi, som icke utan orsak är reducerat under Kongl. „Maj:t och Cronan, och dess räntor använde till nödige publique „usus, kan intet Staden restitueras, hvilken ock bör sökia sin „förkofring igenom handel och vandel, och icke några Bonde „Hemmans räntor och bruuk.“ Faventius autem *Decr. Reg. d.* 23 *Aug. a.* 1684: „Kongl. Maj:t har sedt så uthaf Landshöf„dingens som Magistratens underdånige ingifne berättelse, huru „ringa Intrader till dhe betientes aflöningh och underhåld äre i „Staden Borgo att tillgå, sedan dhen dhem för detta bestådde „Siette dehl af Accisen och Bakugns penningarne ifrån a. 1680 „är vorden indragen, och fördenskuld i nåder förunnar dhem „härefter som här till 1:o att niuta dhen ena Skattjords Ränta i „Wedijärfwi som Staden a. 1602 är vorden donerat, och 2:o „samma kiällare frijhet som staden förr haft och a. 1664 och „1675 är thy vorden förunt och beviliat. 3:o Gillar och Kongl. „Maj:t i nåder det förslagh som Landshöfdingen till några medels „utfinnande vid handen gifvit, at Borgerskapet i bemälte Stad „hvar efter sin handell må åhrligen erläggia och uthgiöra till „Magistratens underhåld ett visst af sine åkrar och täppor, fi„skerij sampt muhlbete och hambnpenningar, hälst eftersom och „sådant åhr reda åhr 1642 på då hållne Riksdag godtfunnit och „bevilliat. 4:o Skall och af alla uthgående en fierdedel och af „inkommande vahror en half pro Centonal gifvas; För hvilke „medell Magistraten under Landshöfdingens disposition, och ef„ter den för de betiente nu heller herefter affattade Stat åhr„ligen skall göra ricktig reda och räkenskap.“

tere Naese collis prope viam est datus; ad finem Januarii demum virus evanuit. - - Ao. denique 1713 Muscovita milites trajecit Borgoam, persequens mari terraque nostros fugitive belligerantes. Post quod tempus, ferreo hostium sceptro ad pacem usque Neostadiensem parere coacta, ruinis foeda atque oppressa urbs nostra jacuit. Quo autem clades bello accepta, restituta tandem pace repararetur, a. 1721 urbi ab omnibus tributis immunitas per octo annos clementer indulta fuit; qua ad a. usque 1731 frui licuit. Cui beneficio accessit quidem aliud, ut nempe pro Templo, Curia (Rådhuſet) atque Schola aedificandis, hostium crudelitate combustis, opem in omnibus Regni Templis (med Håfwen) colligere a. 1722 liceret; sed haec auxilia, quibus largiora tribuere exhaustae Reipublicae vires non permittebant, ad urbem ex cinere excitandam parum valebant [2]). Ao. 1742 rursus cum reliqua Finlandia in Russorum venit potestatem, eisque subjecta usque ad pacem a. 1743 partam, esse cogebatur.

Quibus sensim sanatis vulneribus, novam acerbamque a. 1760 experta fuit calamitatem, cum die XI Junii duae tertiae partes urbis tristissimo incendio deflagrarent: quo incendio se damnum prope 400000 thalerorum monetae argenteae (Thalerorum imperialium 133333⅓) passos esse, jurata fide cives confirmarunt. Haec igitur jactura quo repararetur, non modo a Regia Majestate permissum fuit, ut per urbes patrias spontaneae benignitatis subsidia iis colligerentur (genom Stamböcker), sed ordines etiam Regni opem iis a quavis familia per totum regnum conferendam impertiebant, atque ad publicorum aedificiorum exstructionem 10000 Thaleros monetae argenteae, intra quatuor annos (1762—1765) colligendos donarunt: quae donec omnes pecuniae redirent, e Cambio Regni publico (Riksens Ständers Banque) summam 60000 Thaleror. monetae argenteae mutuam sumere urbi licuit, accurate tamen postea (una cum foenore ex legibus

[2]) Cfr. *Decret. Reg.* d. 11 Jan. 1726, et d. 25 Oct. 1734.

debito) solvendam. Praeterea civibus qui omnem rem familiarem amiserant, sex, qui vero partem tantum bonorum suorum perdiderant, trium annorum a tributis immunitas data fuit; quibus porro beneficiis immunitatem ab omnis generis tributis (excepto eo quod pro libertate spiritum frumenti destillandi iis temporibus pendebatur) per octo annos duraturam, S. Regia Majestas a. 1770 addidit. Centum quoque milites ex peditatu Nylandico operam civibus in urbe aedificanda, pro mercede admodum modica (8 oerarum monetae argenteae in diem quemque, cum cibo vulgari, Hus-manskoſt) praestare jussi sunt [3]). Hac benignitate publica adjuta, non tantum pristinae conditioni urbs sensim restituta fuit, sed etiam aedificiis lapideis, praeter curiam nonnullis quoque aliis, ornata. Sed cum tot calamitates, quibus hoc seculo afflicta fuit, cogitamus, mirari haud convenit, si ad florem tamen majorem pervenire hactenus non potuit.

§ VIII.

Faciem statumque ejus hodiernum ut diligentius depingamus, consilii nostri non fert ratio: quae res ad Oeconomicam ejus potius descriptionem, (ab alio aliquo olim exspectandam) quam ad nostrum pertinet institutum. Obiter tantum notamus, totam urbis aream hodie ulnas quadratas aequare 610615; quae, praeter forum, vicos, loca templo aliisque aedificiis usibusque publicis dicata etc., areas domibus privatis assignatas (Gårds-tomter) continet 271, omnes (praeter duas) aedificiis instructas, spatium 484790 ulnarum quadratarum occupantes. Numerus incolarum a. 1794 erat 1821: e quibus censi erant (wore mantals-ſkrefne och betala mantalspenningar) 1098; nempe sexus masc. 486 et sexus femin. 612; censu liberati (utur mantal, och frie för mantalspenningar) 723, sc. sexus masc. 366 et fem. 357 [1]).

[3]) Cfr. *Decret. Reg.* d. 11 Martii, d. 24 Aug. et d. 10 Nov. 1761; nec non d. 10 Apr. 1770.

[1]) Anno 1775 numerus incolarum erat 1982, familiarum (matlag) 390, et Cauponarum 96. Anno 1785 incolarum nume-

Quod ad quaestus quibus se dederunt, attinet, 24 Mercaturam exercebant (Handlande, praeter 28, minoris momenti negotia gerentes, mindre Borgare); Opifices (Handtwärkare) erant 89, inter quos Textores lintearii (Linwäfware) 24, tironibus vel adjutoribus (Läro-goßar och Geſäller) non connumeratis [2]). Naves, praeter illam majoris molis de qua supra memoravimus, mare mediterraneum adeuntem (Spaniefarare) ac a. 1783 aedificatam [3]), urbs duas possidet, portus Balticos visitantes (Öſterſjöfarare [4]), et tres minores Stockholmiam quotannis petentes (Stockholmsfarare [5]). Praeter quas aliae ex vicinis urbibus, prout usus requirit, mercede conducuntur. Ex agro urbi addito (tres portiones viriles, Mantal, aequante) circiter 269 jugera (tunneland) frumento gignendo adhibentur, prope 7 jugera herbae Tabaci colendae, et 7 alia hortis varii generis dicata sunt. Fabricas urbs habet tres: unam ad Tabacum praeparandum comparatam, a. 1744 fundatam: alteram in qua linteum crassius firmiusque velis nautarum inprimis idoneum (Bulban) texitur, a. 1748 in praedio Johannisberg (prope urbem sito) primum conditam, sed deinde, venia publica a. 1752 impetrata, in urbem translatam: tertiam Saccharo coquendo dicatam, a. 1784 institutam.

---

rus erat 2189 (sexus masc. 1031, fem. 1158), familiarum 220, Cauponarum 65. Bellum insequens civium numerum, etjam in nostra urbe, imminuit.

[2]) Numerus machinarum textrinarum (Wäfſtolar) superabat 50. Olim vero horum Opificum longe major in urbe nostra fuit numerus, ita ut Magistri hujus artis (Mäſtare) usque ad 40 fuisse reperiantur: hodie vero ars ad vicini ruris incolas latius fuit propagata, aliaque impedimenta industriis his opificibus offecerunt, quos bellum quoque multis privavit operariis.

[3]) Tonnarum dodenarios majores (ſwåra läſter, 18 Tonnas continentes) 206 capientem.

[4]) Ex eo navium genere quod Brigg audire solet; alteram 60, alteram 57 Tonnar. dodenarios majores capere idoneas.

[5]) Quae junctim Tonnarum capiunt dodenarios 48.

§ IX.

Post pacem Neostadiensem, Wiburgumque amissum, et sedes Episcopalis et Gymnasium Regium ibi olim florens, ad nostram urbem translata sunt: de quo posteriori, ex instituto aliquando actum iri speramus. Templo et Pastore (qui post translatam huc Cathedram, Archipraepositi simul honore semper ornatur) communiter urbs cum paroecia circumjacente utitur: Sacellanum vero habet proprium, Archidiaconi nomine vulgo insignitum. De his autem omnibus eorumque serie, ubi paroeciae diligentiorem quis traditurus est descriptionem, commodius agetur. Juxta templum primarium (Cathedrale) lapideum, aliud parvum ligneumque exstructum habetur, ubi Fennica lingva cultus Divinus celebratur. Olim Ecclesia rustica et urbana iisdem horis sacra celebrabant: cum vero crescente utrobique hominum numero, Templum multitudinem illam capere non posset, et Ecclesia rustica urgere coepisset, ut urbs usu veteris aedis exclusa, proprium sibi conderet Templum; controversia haec tandem a. 1698 ita composita fuit, ut diversis horis utraque Ecclesia in Templo eodem cultui Divino operam daret: quod auctoritate Regia fuit confirmatum [1]), nec per nova Ecclesia ruralis molimina antiquari potuit [2]). Quare hodieque illa maturius (hora antemerid. VIII), haec serius (hora circiter XI), cultum Divinum publicum orditur. Vespertinus autem (Aftonſången), quoties ille habetur, post meridiem ab utraque ecclesia conjunctim celebratur. *Schola* urbs instructa est, cui Rector *Paedagogiae* cum Collega praeest [3]): quae si in Trivialem mutaretur, ex alterutra urbe

[1]) D. 2 Dec. 1698.

[2]) *Reg. Decret.* d. 20 Jul. 1723.

[3]) Rector (Paedagogus) nullo alio stipendio fruitur, quam pecunia quae ex paroecia *Borgoënsi* in Scholarium usum, veteri instituto, colligitur (Djeſne-penningar), 20 Thaleros imper. quotannis non multum superante, et 6⅔ Thaleris Imper. ex aerario urbis, pro domo conducenda, ei praebita (quae summa major olim fuit). Collega loco stipendii pecunia Scholastica (Djeſne-

vicina (vel Helsingforsia vel Lovisa) huc transferendam, et Borgoënsi Paedagogio compensandam, dubium non est, quin ad studia litteraria Dioeceseos adjuvanda, ex Scholae Trivialis Gymnasiique conspirante industria institutoque conjuncto, insignia redundatura forent commoda.

§ X.

Juri dicendo rebusque urbis administrandis Consul praeest, cui 4 adjuncti sunt Senatores urbici; qui opera ministerioque adjuvantur Notarii, Quaestoris urbani (Casseur), Exactoris (Stads-fogde) et duorum Apparitorum [1]). *Insignia* Urbis docet WEXIONIUS (l. c.) esse „Igniarium, seu instrumentum igni eliciendo aptum“ (et Eldstål); qualem figuram

penningar) ex paroeciis *Sysmä* et *Gustavi Adolphi* (Hardola) redeunte fruitur, et in aedibus arcte habitat ad Scholam pertinentibus, cujus usibus illa domus paullo ante bellum Russicum a. 1741 susceptum, exstructae fuerunt.

[1]) His stipendia hujusmodi a. 1696 constituit Rex Carolus XI: 1 Borgmästare 300 Dal. S:mt; 4 Rådmän à 50 Dal. 200 Dal.; 1 Notarius 100, 1 Casseur 30, 1 Stadsfougde 20, 2 Stadstjenare 22 Dal. Till lack, papper, bläck, Påstpenningar sampt ved och ljus med extraordin:e expenser, hvarföre giöres Räkning, 15 Dal. Till publique byggningar, hvarföre i lika måtto göres Räkning, 80 Dal. Till förberd. Borgå Stads betientes aflöningar samt publique byggningar blifver under berd. Stadsens medel som nu för tiden falla eller framdeles falla kunde, anslagne och anordnade, hvilka, efter den affattade Instructionen och Reglementet blifva handterade och disponerade, hvarföre åhrligen richtig redo och räkning giöras bör, neml. Hemmans Räntor som Staden äro donerade. Källare frijheten 33 Dal. 1 ö. S:mt; Ståndpenningar. Tomptören, Mulbete- Noth- Kattzestånd- Näät- Täppe- Saköres- Mätare- Buur- Domare- Siöbod- Hamn-Penningar. Centonalen af inkommande och utgående varor. — Skulle och någon gång hända, at medlen intet åhrl. indrager den summa som till Statens aflöning och Publique byggningar requireras, så måste brist på hvars och eens aflöning proportionaliter ankomma: Men om några medel öfverskiuta, sedan bristen af det förra åhret är åhrsatt, skola dhe hållas oförrychte til Hans Kongl. Maj:ts disposition. Stockholm d. 18 Septemb. a. 1696.

Sigillum urbis hodieque conspiciendam exhibet: cujus adoptandae (si vere eandem illa antiquitus formam retulit?) caussam omnino ignoramus. Seriem quidem Consulum, qui vel post initium Sec. XVI urbi praefuerunt, plenum exhibere non valemus; quod per graves calamitates quae eandem afflixerunt, vetustiora ejus monumenta omnia perierunt: sed qualem tamen, maxime ex Actis Judicialibus urbis quae in *Archivo Summi Dicasterii Regii Aboënsis* servantur, colligere potuimus, dabimus. Annis igitur 1622—1656 hoc munus obiisse reperitur *Jacobus Heffner* [2]); quo absente, vices ejus gessisse credas *Petrum Laurentii (Pehr Larsson)*, qui exeunte a. 1622 nec non 1625 Consul in actis appellatur. Deinde a. 1659—1661 *Dan. Möller* urbi praefuit, cujus vices a. 1660 gessit *Johannes (Hans) Sieben.* Successit ei *Joh. Plaghman*, qui a. 1663 d. 3 Jan. Consul nuper constitutus audit, ac a. adhuc 1675 in hac eadem erat statione; qua a. 1684 functum fuisse *Johannem Andreae Röök* reperimus. Habuit is successorem a. 1697 *Jac. Wijkman*, urbis Wiburgensis antea Secretarium, qui a. 1726 Consul urbis adhuc salutatur. Annis vero 1727 et 1728 mentio fit *Jac. Wijkman, Consulis Vicarii;* an filius fuit superioris? A. 1728 dicitur *Andream Grönvall*, hactenus Jurisconsultum Equitatus Nylandici (Auditeur vid Nylands- och Tavastehus-Läns Cavallerie Regemente), constitutum fuisse urbis Borgoënsis Consulem, post *Johannem Frese*, ad munus Judicis Territorialis Carcliae admotum. In munere ille mansit (aetate tandem valetudineque corporis factus infirmior [3]), ad a. usque 1742 [4]), quo successorem nactus fuit *Gabr. Hagert*, Vicarium Judicem Territorialem,

---

[2]) Nonnumquam nomen suum scribitur *Höffnär*.

[3]) Unde questi sunt cives de ejus negligentia in munere administrando; cui interim alii nonnulli, ac tandem Dn. *Hagert*, quem deinde successorem habuit, praefuisse reperiuntur.

[4]) A. jam 1739 Regio Diplomate Consulem factum fuisse licet edoctis, dubitationem tamen movet, quod a. 1741 die 3 Apr. Consul Vicarius constitutus fuisse, in actis judicialibus supra laudatis dicatur?

qui a. 1774 decessit. Hujus non vulgaria sunt merita in urbem (cujus ad Comitia Regni fere omnia, per illa tempora habita, deputatus fuit, haud spernenda, in suo Ordine, fide pollens auctoritateque), de qua post infelix incendium a. 1760 restauranda enixam gessit curam; mercaturam simul exercens, auctor etjam fuit Fabricarum tam Tabaci quam Liutei velaris (Bulban) conficiendi, condendarum. Ei successit *Dan. Nylander*, qui Secretarius antea Rei Munimentariae (Fortifications Secreterare) Helsingforsiae fuerat. Quo a. 1782 defuncto, Consul factus fuit *And. Gust. Hoffrén*, rei cibariae militaris antea Procurator (Fält-Commissarius), qui cum a. 1790 mortem obiisset, successorem a. 1792 d. 5 Junii nactus est Dn. *Andream Fabianum Orraeum*, Librarium antea Ordinarium (Ordinarie-Cancellist) Supremi Tribunalis Regii Aboënsis, qui eandem etiamnum stationem ornat.

OBSERVATIONES CIRCA HISTORIAM DECIMARUM ECCLESIASTICARUM IN SVECIA.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISERUNT

GUDM. NYSTRÖM et PETR. AHLSTRÖM.

Aboae 1796, 1798.

§ I.

Ortam sensim in coetu, qui a Christo nomen habet, ex temere applicatis legibus Judaicis eam opinionem, qua *decimam partem* frugum, foetus pecoris etc. instituto et jure divino Ecclesiae atque Clero impertiendam esse statuebatur, monumentorum et antiquitatum ecclesiasticarum peritum latere potest neminem. Quam opinionem, passim sensimque adoptatam, ac seculo post Christum natum VI:o jam fere vulgarem [1]), Hierarchae et maxime Pontifices Romani, ut suis rebus apprime commodam, vehementer probare variisque firmare argumentis, suo pariter ac temporis ingenio accommodatis [2]), haud neglexerunt. Ut igitur caeteros po-

[1]) Vid. Diss. AND. SKARÉN, *Gentium, praecipue Sveogothicarum quod ad decimas, jura excutiens*, Aboae a. 1744, Praes. A. SCARIN edita, § IV sqq. et Diss. BENJ. HULTIN *de Decimis Christianorum*, Lundae a. 1754, Praes. Sv. BRING. (Nob. LAGERBRING) edita, § III sqq. Cfr. THOMASIUS Not. ad LANCELOTTI *Instit. Juris Can.* P. II p. 1132—1139. De instituto Judaico praeclare agit MICHAELIS *Mosaisches Recht.* Tom. I § 52 et Tom. IV § 192. Recte autem viri docti, etiam ex Protestantibus, multi observarunt, (nec omnes tamen aeque vel caute vel solide rem explicantes), cum et aequitas et necessitas postulet, ut non modo Ecclesiae Doctoribus, sed aliis etiam piis usibus, stipendia tamen aliqua et reditus impertiendi et assignandi sint; haud ineptissimum fuisse hoc et Judaeos et alios populos antiquos imitandi consilium, modo sapienter et juste adhibitum atque administratum. Cfr. ex. g. GROTIUS *de Jure Belli et Pacis* L. I, C. I § 17, n. 4; THOMASIUS l. c. L. II Tit. 26, p. 1134; BRING l. c. p. 4.

[2]) Cfr. BRING l. c. p. 10. Argumentum, quo usus est P. *Innocentius* III, deinde ubique adhibitum reperitur. Cfr. *Folia Hebd. Aboëns.* a. 1785. n:o 11, ubi Edicta Regis *Magni* quaedam de Decimis ab incolis Finlandiae pendendis, leguntur. Lon-

pulos sacro suo imperio subjectos, ita etiam nostros majores, postquam ad Religionem Christianam amplectendam perducti fuissent, ad sacrum quoque hoc Decimarum accuratissime et religiosissime solvendarum officium praestandum, magna cura et diligentia permovere et adigere studuerunt; primo quidem modestius et blandius, ne gens ferox recalcitraret, et eadem hic tragoedia excitaretur, quae in vicina Dania nuper acta fuerat [3]); deinde imperiosius ac

---

gius vero adhuc progreditur ANTON. DE DOMINIS, *de Rep. Ecclesiast.* L. IX. C. 2 (cfr. THOMAS. l. c. p. 1134): „Qui, Praecepta, „inquit, de decimis cum non sint pure judicialia neque ceremo„nialia pro solo populo Judaeorum: sed sint moralia et juris „Divini naturalis a Deo comprobati et explicati; illa omnes ho„mines perpetuo obligabunt de jure, quamvis de facto a solis „fidelibus Dei cognitionem habentibus illa serventur." Semina hujus doctrinae jam insunt GRATIANI *Decreto* P. II. Caus. XVI Quaest. I Can. LXVIII *Decimae*. Ridiculorum quorundam argumentorum e Scriptura S. petitorum exempla sistunt Leges nostrae antiquae: vid. *Cod. Christoph.* et L. *Upl. Kirk. Balk.* Cap. I init. *Leg. Suderm. Kirk. B.* Fl. I etc. Docet porro BRING l. c. quo usque jus illud dilataverint Pontificii. Vid. inprimis SARPIUS in *Tract. de Beneficiis*, apud THOMAS. l. c. p. 1140 sqq. Ac quod ad questionem attinet, de qua idem BRING l. c. p. 12 disputat contra PETRUM ABRAHAMSON (in Notis ad *Kg. B. LL.* p. 24, qui a STIERNHÖÖKIO, dubie loquente, *de Jure Sveon. vet.* L. II P. Post. C. ult. p. 421 parum habet subsidii), mens ac intentio saltim fuit Pontificis indubia et perpetua, ut fructuum quorumcunque, etiam ex Hortis provenientium, Decimae religiose et diligenter solverentur. Quod vel ex Bulla patet Papae BENEDICTI XII in *Registro Eccles. Ab.* Fol. I servata, de qua cfr. *Fol. Hebd. Ab.* a. 1785 Append. p. 124 et D:ni Praesidis *Annott. ad Pauli Juusten Chronicon Episcopor. Finland.* p. 80, not. [104]), p. 253, not. [75]).

[3]) Ubi Rex *Canutus* Svenonis, idem consilium acerbius urgens, a subditis suis rebellantibus interfectus fuit; ideo a Clero, pro cujus commodis martyrium passus fuerat, in numerum Sanctorum relatus. Vid. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* 2 Del. C. I, § 20 p. 27; et qui rem Legendae et Cleri Pontificii ingenio conformiter adornatam, exhibet, PONTOPPIDAN *Annal. Eccles. Dan.* Tom I Lib. I, C. 3, ad ann. 1086, p. 221 sqq. Etiam Rustici Scaniae, armis captis, onus decimarum pendendarum a se amovere conabantur, infelici licet eventu; cfr. LAGERBRING l.

vehementius: donec obsequiosissime tandem per totum regnum observaretur, ac severissimis legibus poenisque munitum coleretur [4]).

§ II.

Vulgo traditur, (ex testimonio Appendicis ad Leges vett. Westrogothicas, seriem Episcoporum primorum Scarensium exhibentis, confirmato auctoritate Episc. BRYNOLPHI in *Chronico Episcopor. Scarens.* [1]) eodem illo ex fonte magnam partem hausto), per *Jerpulverum*, XIII:m Episcopum Scarensem, jus Decimarum pendendarum in Patria nostra fuisse, si non primo inductum, tamen lege solenniter denique firmatum et publica auctoritate munitum: quod igitur circa finem demum sec. XII aut initium sec. XIII factum fuisse, colligunt [2]). Verum cum vetus auctor de Westro-

c. C. XI § 7 p. 249. Feroces seculi mores, magna sine dubio in culpa erant, cur in Religione propaganda ejusque urgendis officiis, adeo violenter sese et Reges et Ecclesiae doctores gererent: cujus rei atrocissima exempla Historia inprimis Norvegica exhibet. Cfr. BOTIN *Sv. Folkets Hist.* Ed. II Vol. I p. 272 sq.

[4]) Cfr. Literae, humanitatis plenae, ferocis alias illius Papae *Gregorii* VII, apud ÖRNHJÄLM *Hist. Eccles.* p. 331 (ex JOHANNIS MAGNI *Metropoli* p. 25 et VASTOVII *Vit. Aquilon.* Ed. Colon. p. 154); cfr. A CELSE *Apparatus ad Hist. Sveog.* p. 23, N. 3, et LAGERBRING l. c. G. II § 6. Postea autem, si ante diem Paschae quis decimas non solvisset, excommunicationis poenam incurrebat. Vid. *Legg. Christophor. et Upl. Kirk. Balk XII Cap. Leg. Westrog. K. B. XIV Fl.* etc. Singulare est, quod in Literis Episc. Scarensis *Brynolphi*, Legib. Westrogg. adnexis, mentione nulla facta excommunicationis, hujusmodi peccatoribus mulcta XVI Ortugorum irrogatur: num ad illam poenam haec accessit?

[1]) Apud BENZELIUM *Monum. vet. Eccles. Sveog.* p. 74.

[2]) Cfr. LAGERBRING l. c. C. XI § 7, et inprimis not. [1]). WILSKMAN (*Svea Rikes Eccl. Värk*, Art. *Tionde*) indubitanter asserit, hoc a. 1200 factum, et pro publico totius Regni decreto venditare videtur. Quod ad observationem attinet, quam ibidem inserit, de titulo ac dignitate *Senatorum Regni*, eodem jam tempore adhibito; suspicamur Episc. *Brynolphum*, qui vergente sec.

gothia sola, et non nisi de *Episcopali Decima* ibidem constituta, diserte loquatur [3]); lis adhuc sub judice pendet, quo

XV et initio sec. XVI vixit (BENZELIUS l. c. Prol. p. XVIII sq.) ad sui forte aevi morem verba sua nimis conformasse? Unde et hanc legem in *Concilio Senatorum* ac *Optimatium* s. *Procerum (Herredag)* constitutam fuisse dicit, cum tamen in auctore vetere (Append. ad LL. Westrogg.), unde facti memoriam hausit, mentio fit *Comitiorum populi Westrogothici (Ting)*, nec de *Senatoribus* aut *Senatus consulto* (moribus ac rationi ejus aevi minus adhuc congruo?) verbum ullum legatur. Cujusmodi cautio in aliis quoque nonnullis monumentis, res horum temporum tangentibus, erit fortasse necessaria? Caeterum de tempore quo per adoptatos in Senatum Regium Legiferos, potestas Legislatoria a Populo ad Optimates et ad Senatum transiit, cfr. praeclari nostri Historici (non usquequaque tamen concinentes) Nobb. LAGERBRING l. c. C. 10 § 2 et 3 (cf. C. 13 § 6 et 15), et BOTIN l. c, Vol. II C. 5 p. 168; quorum egregia diligentia et perspicacia, spicilegii tamen faciendi Antiquariorum criticorum industriae non omnem eripuit opportunitatem.

[3]) „Han kum fyrsta sinni Tiunde af Bondom *Biskupi*, tha „fick han doma til a *Thingi*, fyrst tha thing hafdis oc hjolds „wider Askubäck." Putat quidem LAGERBRING, non potuisse *Decimam Episcopalem* a reliqua Decima (cui inclusa fuit) separari: sed quamdiu non ex necessitate, aut vi legis sancitae, sed ex benignitate quadam libera, genus quoddam decimae, neque plene neque forte ab omnibus, pendebatur; quidni fieri potuit, ut nonnisi Curatis suis, partem tantum ejus, (forte trientem?) more sensim per imitationem aliorum Christianorum adoptato, sponte darent? Quem morem et accuratius et plenius observari in sua Dioecesi, sede antiquissima Christianismi, saltim stabiliti, in Svecia, Episcopus, *lege interposita* curaverit, sibi etiam suisque successoribus, jure Canonico debitam partem (fortassis etiam tertias Ecclesiae ac pauperibus dandas?) nunc demum pietati Dioecesanorum eliciens? Aut num locus ille veteris auctoris omnino non agit de solenni et per leges Canonicas injuncta Decima, sed de illa a Westrogothis inter Sveciae incolas solis, Episcopo et Curato suo (inter eos aequaliter dividendo) sponte oblato Decimae genere, quod *Hovodtiunde* vocabatur, *(Decima Capitalis)*, quodque LOCCENIO, in versione Literar. Episc. *Brynolphi* Legi Westrog. adjunctarum Dec. *Principalis*, in versione vero Legis Westrog. (de *Jure Eccles.* C. XXVIII) *Universalis* audit (ut et D:no IHRE, *Glossar. Sveog.* T. I p. 920, qui definitioni ejus addit, fuisse *decimo quovis anno pendendam?)*. Hanc *Decimam*

tempore vel prima hujus moris apud nos recepti quasi semina sparsa sint, vel per universam ille patriam invaluerit? Quod sensim, nec ubivis simul contigisse, credas? Hoc saltem constat, hunc morem secundo seculi XIII decennio ita jam invaluisse, ut Papa *Gregorius* IX non dubitaret severis Literis, a. 1233 datis, excommunicationis poenam Ostrogothis tergiversantibus minari [4]).

§ III

Notum est, dispesci Decimas in *reales* sive *praediales*, et *personales*, solere; quarum has tam exacte in Svecia, ut

Capitalem etiam in provincia Bahusiensi (an per totam Norvegiam?) olim fuisse solutam, docet LAGERBRING l. c. C. XI § 7 not. [5]); unde fortassis exempli contagio ad Westrogothos pervenit? Rationem gravis sane hujus tributi, (ex omnibus bonis mobilibus, excepto frumento, pendendi), exhibet cum *Lex* ipsa *Westrog.* l. c. tum literae Episc. *Brynolphi* nuper commemoratae (qui tamen locus uterque, a *Loccenio* non optime versus, commentario indiget diligenti): quibus addi debet Bulla Papae *Honorii* III ad Episc. Scarensem (*Benedictum* II s. juniorem), data *Laterani III Nonas Novembris, Pontificatus anno quinto* (a. 1220. d. 3 Nov.) in Collectione Bullarum Papalium in Sveciam missarum, sed hactenus in patria incognitarum, *Fredenheimiana* reperiunda; quam egregiam Collectionem, ex Archivis Pontificis Romani accurate descriptam, Bibliothecae nostrae Academicae munifice nuper donavit perpetuus ejus benefactor Generosiss. Dn. FREDENHEIM, *Supremus Ædificior. Regiorum Praefectus et Eques de Stella Polari.* Scribit autem Papa: - - - „Decimas in quibus Parrochiani tui secundum Canonicas sanctiones tibi tenentur, *et aliam Decimam que dicitur Capitalis, ad quam solvendam se voto voluntarie obligarunt*, sicut eas juste ac pacifice obtines, tibi et per te successoribus tuis auctoritate Apostolica confirmamus" etc. Cfr. TEGEL *Hist. Gustavi I*, T. I, p. 189.

[4]) Cfr. A CELSE l. c. p. 65 n. 14 et 17. Non putes verisimile, vel litteras illas *Gregorii VII* totque Pontificum et Episcoporum curas atque consilia, interim nihil prorsus effecisse, vel Clero nullos omnino per CC annos fuisse in Patria nostra reditus certos assignatos, ac inprimis Decimae pendendae morem nullibi obtinuisse, maxime in Westrogothia, Danis et Norvegis vicina, ac ad Christianismum mature conversa?

multis aliis locis solutas haud fuisse, constat. *Reales* illae partim ex frumento (tritico, secali, hordeo, avena) partim ex aliis terrae proventibus (pisis, fabis, rapis, olere, lupulo, lino, cannabi etc.) solvebantur [1]). Quo etiam pertinebant, quae ex foetura animalium domesticorum *(Quicktionde)*, nec non ex piscatura et venatu solvebantur [2]). *Personales* vero sunt, quae ex rebus proveniunt, quae sua ipsius solertia industriaque, negotiatione, artificio, militia atque scientia quis sibi comparaverit [3]): quarum loco certam pecuniae summam, a Legibus definitam, homines etiam ruri habitantes, sed agros quos colerent nullos possidentes, apud nos pendere debebant. Praeter frugum decimam, reliqua omnis Curato cessit; paucis locis exceptis, de quibus infra commemorabitur [4]).

§ IV.

Distributio porro harum Decimarum varie olim apud veteres instituebatur. GRATIANI *Decretum* P. II *Caus.* XII, *Quaest.* II *Can.* XXVI *Concesso,* in quatuor partes dividi omnes reditus et oblationes fidelium jubet, ut ex his ejus verbis apparet: „Reditus et oblationes fidelium in *quatuor* „*partes* dividat: quarum *unam Episcopus* sibi ipsi retineat, „et *alteram Clericis* pro officiorum suorum sedulitate distri„buat: *fabricis tertiam: quartam pauperibus* et peregrinis „habeat fideliter erogandam, quarum rationem divino est „redditurus examini". In quibus verbis semina ejus, quae apud nostros olim majores in Decimarum distributione obtinuit, rationis, reperire non est difficile. Ejusdem tamen

---

[1]) THOMASIUS l. c. p. 1139 sq.

[2]) Vid. STIERNHÖÖK l. c. p. 421 sq. ubi Decimarum realium genera, qualia apud nostrates pendebantur, diligenter recenset. Decimas ex *venatu* et *piscatu* ad *personales* refert LAGERBRING l. c. C. XI § 7, p. 429; minus accurate?

[3]) THOMASIUS l. l. c. c.

[4]) Vid. *Legg. Christoph. Upl.* et *Westrog.* l. l. c. c. *Ostrog.* Kr. B. IX Fl. *Suderm.* K. B. 6 et 7 Fl. *Westm.* K. B. VI Fl. *Dal.* K. B. § 4, 5, 6; et *Hels.* K. B. VII Fl. Cfr. LAGERBRING l. c. C. XI § 7.

alius locus *(Caus.* XVI, *Quaest.* I *Can.* LXII *Episcopo, tam de oblationibus, quam de tributis ac tertiam* partem; alius *(Caus.* X *Quaest.* I *Can. tiquos)* eidem *de his quae altario oblatione fidelium utur medietatem,* et *medietatem secundi gradus Clero* videtur: ita ut non semper eadem primitus ratio se videatur? Ac Dn. DU CANGE *Glossar.* T. II voc. (p. 1334) „Tantum, inquit (de ratione distribuendae- ecimarum in Gallia primitus adhibita loquens), „mo- decimas ecclesiasticas in tres partes divisas, quarum ad ornamentum ecclesiae, altera ad pauperes, tertia acerdotes spectabat" (nulla hic Episcopi mentio fit!). odo vero apud nos olim divisae fuerint, docent nobb. NHÖÖK (l. c. p. 409) et LAGERBRING (l. c. C. XI § 7). et Decimae frumenti ita plerumque distributae sunt, iens Pastori s. *Curato* cederet; residuarum vero in tres s rursus divisarum una *Episcopo*, altera ecclesiae, ter- Pauperibus [1]) tribueretur: hinc nota sunt nomina nostris nnia *Prästetionde, Biskopstionde, Kyrkotionde* et *Fattig- de;* quarum tres posteriores, aerario Regis, post refor- ionem Religionis, dicatae, vocari jam sveverunt *Krono- ide* sive *Konungstionde*, atque etiam aliquando, voce cras- s sumta, *Kyrkotionde.* Sed neque apud nostros eadem ique valuit Decimas distribuendi ratio. *Lex Westrogo- ica* (K. B. Fl. XIV) diserte sciscit: „A akri skal tiunda skipta ock aflata; taki Präster swa sum kyrkia är til vigd [2]). Sidan skal skipta i threr lötä, een a kyrkia, an-

[1]) Num haec Decimarum pars, in plerisque extra Patriam ocis, sensim ab aliis illis accrescentibus circumrosa partibus, penitus tandem evanuit? Quae, ut alios taceamus, neque vicinis Danis erat in usu; apud quos, nonnisi inter Episcopum, Ecclesiam et Curatum tota Decimarum summa dividebatur: ut mox docebimus. Hinc Dn. DU CANGE l. c. quid sint *Decimae Pauperum* explicaturus, non aliis quam ex nostro SCHEFFERO (ad *Chron. Archiepiscopor. Upsal.)* petitis utitur testimoniis. Cfr. tamen BÖHMERI *Jus Ecclesiast. Protestantium* L. III Tit. XXX § 32.

[2]) Excidisse videtur verbum *Tridiung*, quod et contextus postulat, et collatio locorum parallelorum, in aliis Legibus no-

„nan Biskuper, tridia wäslir män“: quibus verbis extremis unus codex, recentior tamen, notatu dignum hoc adjungit interpretamentum: „Thridi skal skipta i tu; en lot til spe„talsens, ock annan hawi bonde hemma medh sik, fatöka „manna lot“. Ac in caeteris quoque Codicibus deinde mentio fit frumenti ad *Xenodochium* pertinentis *(spitalskorn)*; ita ut pars hujus decimae instituto ejusmodi consecrata utique fuisse videatur [3]). Cum hoc scito Legis Westrogothicae

stris antiquis obvenientium, confirmat. Ultima verba *swa sum Kyrkia är tilvigd* mire interpretatur LOCCENIUS: *prout Ecclesia templumque ad eas consecratum est;* cum aperte sit sermo de *Sacerdote, qui consecratus fuerit ejus templi* (vel ecclesiae) *Curatus.* Nec LUNDIUS, vel in textu hujus capitis constituendo, vel in sensu explicando, satis diligenter versatus est. Inter alia, explicatio verborum *Faluskäppa* et *Faluköpungs*, in hoc capite occurentium, a STIERNHIELMIO facta (in vocabulorum interpretatione, editioni suae Legis hujus adjecta), quam LUNDIUS etiam amplectitur, (nempe ut sit *portio frumenti, Episcopo quotannis Falucopiae pendenda)*, nobis minime satisfacit. Illam enim ex portione *Pauperum*, domi apud rusticos servanda, hi decerpere debuisse videntur; nec *Praepositi* portione majorem fuisse, verba legis docent, atque a Decima Episcopi, longe uberiore, aperte distingvunt (pro cujus etiam detentione duplo major mulcta statuitur); quod idem ex Epistola Episc. *Brynolphi*, saepius laudata, adhuc clarius patet, ubi sermo est de poena ejus, qui *af Biskupsins, eller Prästins eller Kyrkiunar, eller spitalsins, eller Provestar gifft, eller Faluköpungs sköppu*, quid retinet. Quid autem rei fuerit, fatemur nondum nosmet scire; ac rem eruditis ejus regionis Antiquariis explicandam remittimus. Asserit Nob. LAGERBRING l. c. C. XIII § 21 p. 410, *Falcopiam* olim tanti factam fuisse, ut ejus urbis mensura publicae instar normae inservierit, omneque frumentum modio Falcopensi *(Faluskäppa)* fuerit metiendum. Argumenti loco ad *Leg. Westrog. Kyrk. B. Fl.* 20 provocat; ubi nihil tale habetur. An nostrum indicare voluit Caput (XIV)? Unde tamen parum praesidii illi asserto accedit.

[3]) Qui in ejus Provinciae antiquas res studiosius inquirunt, explicent etiam nobis, si fieri potest, Xenodochium illud, ubinam fuerit? Nisi vetuissent verba *Brynolphi* nuper allata, suspicati fere fuissemus, *Falcopiae* illud fuisse: aut num ibi aliud tale iis temporibus fuit institutum publicum? In universum antiquae nostrae Leges Provinciales (ac inprimis Westrogothica), quae ne-

concinunt *Lex Ostrogothica (Kristnu Balk, Flukk.* IX § 1, 2 et 3) *Sudermannica (Kirk.* B. Fl. VI), *Westmannica (Kr. B.* Fl. VI), et *Dalica (K. B.* § 3). Paullo aliam in *Helsingia* (hoc est *Norrlandia* nostra hodierna) Oeconomiae ratio, pro coeli et soli ingenio, agriculturae minus favente, diversa, decimandi rationem peperit. Igitur praeter consvetas *decimas praediales*, veteri regionis more dividendas, non modo decimam Curato *ex omni piscium et avium captura* (verbis utimur STIERNHÖÖKII l. c.), et *ex feris prostratis* debitam, *ut armum ex alce vel urso*, Lex dari jussit; sed etiam Episcopo *decimum quintum* quemque *Salmonem*, *decimam quintam* quamque *libram Harengorum (Pund Sill* eller *Ströming)*, tantundemque, ut videtur, ex *phocis* et *sciuris* captis, cujus decimae residua pars inter Curatum et Ecclesiam deinde dividi aequaliter debuit [4]). Quae explicantur, (ut et reliqua redituum Curato debitorum ratio) disertius in *Statuto R. Biryeri pro Helsingis, de eorum decimis* etc. quod HADORPHIUS adjunxit Legibus antiquis Urbicis, *(Biärköa Rätten)*, a se editis (Stockh. 1687 Fol.) p. 6 sq. Unde patet, triente *Curati* primum demto, tum alium trientem frumenti integrum *Pauperibus* fuisse tributum, ac tertium demum inter *Episcopum* et *Ecclesiam* divisum, ita ut utrique non nisi sextans cesserit: quae sine dubio caussa fuit, cur in partem etiam decimae ex animalibus, quasi compensationis loco, venerint? Decimae vero quas *Pontifici*

---

que criticam hactenus industriam satis accuratam expertae sunt, neque interpretem satis attentum et locupletem, pro rei dignitate repererunt, uberem adhuc fundum Antiquariis nostris, in quo colendo elaborent, messemque haud contemnendam colligant, offerre credimus.

[4]) Verba *Legis Helsingicae* (K. B. VII Fl.) sunt: „Korn „tiund ok all annar aker tiund, göris äpti thy gamul sidwänia „hawer warit, ok skiptis samalund - - *Quick tiund* äller *smör-* „*malä* thet a praester ensamin, ok swa af *fuglum* ok *diurum*, „ok *sma fiskum* allum, *bogh af Älghi* ok *Biörni* hwarium. Bi- „skuper taki *hwan fämptandi Lax, Sildapund*, swa ok af *Siäl* „*i Graskinnum* (lege *ok Graskinnum* h. e. *et ex pellibus sciuri-* „*nis)*, ok Präster taki halft vidh Kirkiu".

etiam *Romano* Helsingiae incolas pependisse reperimus [5]), quarumque in Legibus hujus Provinciae nulla mentio fit, unde et quo tempore ortum habuerint, quaque ratione solutae fuerint, expiscari hactenus non potuimus.

In iis Provinciis, quae Danorum subjectae olim erant imperio, eatenus diversa obtinuit ratio Decimas Ecclesiasticas distribuendi, quatenus *Pauperibus* nulla pars concedebatur, sed omnes mox trifariam, (inter Curatum, Episcopum et Ecclesiam) dividebantur. Demonstrat hoc *Jur. Eccles. Scanens.* § 23 (Ed. *Hadorphii*, p. 47); cfr. PONTOPPIDAN *Annal. Eccles. Danicae Diplom.* T. II. p. 893. Unde hodie quoque in iisdem provinciis eadem ratio dispescendi Decimas, scil. in Decimam (trientem) Pastoris *(Prästetionde)*, Regalem *(Kronotionde*, quae ad Episcopum olim pertinens, aerario publico postea vindicata fuit) et Ecclesiae *(Kyrkotionde)* remansit [6]).

§ V.

Ab eo more, qui in reliquis provinciis imperii Sveo-Gothici, quoad Decimarum distributionem obtinuit, eatenus olim abiisse reperimus *Gothlandos*, quatenus Episcopo plane praeterito, trifariam eas diviserunt, inter *Curatum*, *Ecclesiam* et *Pauperes*. *Lex Gothlandica* C. III § 2 habet: *Sognamenn aigu thrithiung, oc Kirchia thrithiung, oc thrithiung Prestr* (Trientem accipiant pauperes, et trientem Ecclesia, et trientem Sacerdos); ubi *Sognamenn* vertendum esse *pauperes (fattige)*, non ut absurde habet interpres Svecanus, *parochiani*, *Socknemän*, (quos haec Lex vocat *Kirchiumenn)*, vel loci aliarum Legum Provincialium paralleli docere poterant [1]). Illustrant rem plures

[5]) Vid. LAGERBRING l. c. C. XIV § I p. 415 sq., inprimis not. 4), A CELSE l. c. p. 65 n. 13, et p. 121 n. 18. Utrum loco *Denarii S. Petri*, vel quo alio nomine elicitae illis sint, intercedente scil. eorum aliquando consensu; hactenus non liquet.

[6]) Cfr. WILSKMAN l. c. P. I Art. *Krono- och Kyrko-Tionde*, p. 341 sq.

[1]) Observat etiam Nobiliss. IHRE *Glossar.* P. II, 695, vocem *Socken stipem* quoque notare; unde *Soknedjäknar* (Scholares medicantes) et *gå Sokn*, derivat.

Bullae Papales, quibus antiqua consuetudo, postea etiam conventione inter Episcopum Lincopensem *Carolum (Magni)* et Populum Gothlandiae, initio seculi XIII stabilita, confirmatur. Nempe *Honorii* III, d. 30 Jan. a. 1217, apud VASTOVIUM *Vitis Aquilon.* Ed. Colon p. 168 (cfr. A CELSE *Apparatus ad Hist. Sveogoth.* Sect. 1 Bullarii Romano Sveo Gothici Recensionem sistent. p. 55 N. 3, et p. 61 N. 27, nec non *Accessionis* ad Recensionem hanc Bullarii Celsianam, *ex Codice Fredenheimiano*, a D:no Praeside editae p. 6 N:o 3); et *Gregorii* IX, d. 21 Jan. a. 1230, *(Accession.* ejusd. p. 21 sq. N:o 2 commemorata), ubi legitur: *Cum ex antiqua consuetudine obtentum sit in Guthlandia, ut in tres partes dividerentur decime integre persolute, quarum una deputaretur fabrice, secunda usibus Clericorum, tertia pauperibus eroganda*, etc. *et super hoc - - - Lincopensis Episcopus loci Diocesanus moverit quaestionem; tandem, mediante Lundensi Archiepiscopo - - super his talis compositio intervenerit, quod in eodem statu earundem decimarum distributio permaneret, - - Nos ergo -, - compositionem ipsam - - auctoritate Apostolica confirmamus* etc.

§ VI.

In *Aboënsi* etiam Dioecesi, sive in *Finlandia*, peculiaris usitata fuit Decimarum partitio. Scilicet tertia quidem pars, hic, ut ubique, cessit *Curato;* reliquae autem partes inter *Episcopum*, *Ecclesiam* parochialem, *sanctum Henricum* (hoc est, *Ecclesiam Cathedralem Aboënsem)* et *Pauperes*, (in quorum jus succedebant *Canonici)* dividebatur; ita ut *Secale* inter *Episcopum*, *Curatum* et *Ecclesiam* in tres aequales partes distribueretur, tertiae autem hujus partis quadrans (totius decimae uncia) pauperibus, seu postea Canonicis, adsignaretur, reliquus *bessis* (totius decimae quadrans) partibus aequalibus inter *Ecclesiam Cathedralem* [1]) et quam-

[1]) Quo tempore, aut ex quo fundamento, Ecclesiae Cathedrali hoc jus contigerit, nos latet. Mature autem, ante Seculi XIII medium, ei tributum fuisse, constat. Cfr. editae a Dn.

que parochialem divideretur, ita ut cuique octava pars totius decimae cederet. Decima vero *Hordei*, *Avenae*, *Tritici*, *Pisorum* et *Fabarum*, partim *Episcopo*, partim *Curato* tota tribuebatur [2]). Sed non per totam tamen Finlandiam haec ratio valuit. Namque in *Nylandia* (atque ora maritima usque ad *Viburgum*) *Alandia* et *Ostrobotnia* [3]), *Episcopo*, loco suae partis Decimarum, vi pacti antiqui *butyrum* solvebatur, quod *Nebbeskatt* (s. *Nebbeskattsmör*) audiit; nempe *annuatim una marcha butyri de quolibet capite, virilis vel muliebris sexus, septimum suae aetatis annum complente* [4]). Unde decima frumenti [5]) (et *secalis* et *hordei*) inter *Curatum* tantum et *Ecclesiam* dividebatur, ac quae huic cessit pars, inter *Canonicos*, *Ecclesiam Cathedralem*, et quamcunque *Parochialem*, modo supra nominato, rursus dispescebatur [6]). In *Carelia* autem (ex simili pacto) de *quolibet fumo* (h. e. familia?) *duae bonae pelles sive Palke*, *Episcopo* erant pendendae [7]); ac in *Tavastia* (itidem ex antiquo pacto) *quatuor pelles*, vel e quolibet *fumo*, vel a quolibet *homine adulto* (masculini saltim sexus?) Episcopo debebantur [8]).

Praeside *Annotationes ad* JUUSTENI *Chronicon Episcopor. Finland.* p. 221, 510, 512, 634 sq.

[2]) Cfr. *Annott. ad Juusteni Chronicon.* p. 635 sq.

[3]) Cf. l. c.

[4]) Cfr. l. c. p. 185, 463 sq. 635 sq.

[5]) Adeo obscure hanc rem vetus monumentum, l. c. p. 635 exhibitum, exponit, ut indubitate pronuntiare nequemus, utrum incolae horum locorum duas tantum partes decimae solvere necesse habuerint, *Episcopi* parte, *butyro*, atque in Tavastia et Carelia *pellibus*, illi solvendis, quasi redemta? Quod suggereret aequitas videtur. An, ob frumenti in his terris penuriam, ut integra tamen decima Curato et Ecclesiae solveretur, necessarium judicatum, adeoque gravius his onus colonis, quam reliquis, impositum fuerit?

[6]) Vid. *Annott. ad Juusteni Chron.* p. 635.

[7]) L. c. p. 185.

[8]) *Quatuor pelles* a *Tavastis*, veteri pacto, fuisse *Episcopo* datas, constat; quarum *quartam* cum *Magnus I*, miseria incolarum commotus, (qui crudeliter a Russis spoliati fuerant) illis quoad tempus remisisset, hi sibi in perpetuum hanc factam fuisse

Curatis vero et *Ecclesiae* in his locis, frumenti eo tempore minus feracibus, alia lege satisfiebat [9]).

§ VII.

Sed non ad illos solum usus, quibus primum destinatae fuerant, etiam vigente apud nos papismo, decimas adhibitas fuisse, reperimus. Interdum enim, non tamen facile sine venia Papae, nisi quis sese censurae objicere Ecclesiasticae vellet et gravi et periculosae [1]), non tantum *Eccle-*

concessionem contendentes, quartam illam pellem solvere postea renuebant: unde vehemens et diuturna lis orta fuit, quae tamen secundum Episcopum tandem fuit dirempta. Cfr. l. c. p. 79, 64 sq. 189. Nempe ferarum frequentia decrescente, hoc tributum sibi gravius sensim fiebat. Non vero jam liquet, 1:o utrum e *quolibet arcu* (h. e. homine XV aetatis annum supergresso, qui igitur arcum tractare poterat, unde *Bogaman* audiit) hoc tributum esset pendendum, ut docet AGRICOLA l. c. p. 635 sq. an de *quolibet fumo*, ut habent literae R. *Magni Ericii* (l. c. p. 185 sq.) de *Careliis*, quos tamen etiam pro *arcuum* numero pelles *Ecclesiae* expendisse, AGRICOLA l. c. (p. 635) adfirmat? 2:o Utrum pelles hae esse deberent vel *Ermineae* vel *Sciurinae? hujus* quidem generis fuisse, quae *Ecclesiae* dabantur, AGRICOLA l. c. diserte indicat, (nisi *Groskin* idem valere existimes ac *Krokskin*, h. e. ex quovis aratro, sive jugero, *krok*, expendendam?) et vel inde colligi posse videtur, quod pro numero arcuum quorum usum in *Ermineis* capiendis nullus esse poterat) exigerentur. Sed contra pugnat, quod l. c. p. 464 docetur, in *Satakundia* olim Curato expendendas fuisse pro quovis *aratro Ecclesiastico (Prästekrok*, quod erat dimidio minus quam aratrum reium, *Konungs Krok) duas pelles albas (tw hvit skin)*, et *Ecclesiae* item; in *Tavastia* vero ex quovis aratro Ecclesiastico *unam pellem albam*, cujus pretium aestimabatur *Orae* aequale (1 *öre engar)*, nimis magnum, si de pelle *Sciurina* ageretur!

[9]) Ut et in *Ostrobotnia*. Cfr. de his rebus *Annott. ad musteni Chron.* p. 79, 185 sq., 188, 221 sq., 462 sq., 503. *Vol. Hebdomad. Aboëns.* A. 1784 N:o 11 et 12.

[1]) Exempla tamen hujusmodi audaciae neque apud nos omnino desunt. Quare non tantum in statutis *Skenningensibus* severe Episcopis *prohibebatur, ne Laico decimas concederent* Vid. A. NETTELBLADT *Schwed. Biblioth.* II Stück p. 124; Cfr. CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. 1, p. 72, n. 19),

siasticis [2]), sed et *civilibus* quibusdam usibus *temporarie et extraordinarie* impendebantur. Sic non solum in subsidium *Belli* sic dicti *Sacri* a Summis Pontificibus pars earum colligebatur [3]), atque hoc praetextu ad alios quoque usus, non

---

sed Papa etiam Reges *Johannem* I et *Ericum Erici* graviter reprehendit, illum et Magnates suos, *quod quoties Ecclesiam Cathedralem vacare contigit, bona vacantis Ecclesiae apprehenderent*, hunc, quod vacantibus iisdem Ecclesiis *bona earum violenter usurparet et pro sua diriperet voluntate.* Vid. A CELSE l. c. p. 57, N. 10, et ACCESSION. ex Codice *Fredenheimiano* p. 18, N. 41.

[2]) Sic aut venia Pontificis obtenta, aut sub spe rati, Episcopos reperimus interdum partem non tantum decimarum suarum, sed etiam *Ecclesiarum* Parochialium, ad *Fabricam* (ut loquebantur) *Ecclesiarum Cathedralium* adjuvandam impendisse. Cfr. A CELSE l. c. p. 69, N:o 8 et 10; p. 79 N. 24.

[3]) Quantam vim pecuniae, quam assidue, et quam impudenter Pontifices, hoc praetextu, vel ex Svecia corraserint, discere licet ex iis quae habet Nobil. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* Tom. II Cap. XIV § 1 p. 415 sqq. Cap. XIX § 2, 3; p. 731 sqq. Cf. T. III, C. II, § 7, p. 172 sq. Cap. III, § 12, p. 148; C. VII, § 16, p. 589 et § 18 p. 595; Cap. VIII, § 8, 9, 10, p. 603 sqq. Cap. XI, § 4, p. 819 sqq. Cfr. A CELSE l. c. p. 85, N. 5; p. 88 sq. N. 2, p. 92, N. 4; p. 100, N. 19; p. 101, N. 2 et p. 102, N. 10; p. 109, N. 16 et p. 110, N. 18; p. 112, N. 24, 25, 26; p. 114, N. 35, 37, 38, 39, 41; p. 120 N. 9, 14, 18, 19; p. 125 N. 6, 7, 8; p. 133 sq. N. 6, 7, 8; p. 165 N. 8; p. 194 N. 2; ac si placet, *Annott. ad Jvsteni Chronic.* p. 200 sq. Ex decreto Concilii *Lateranensis* (a. 1215) vicesimam partem Ecclesiasticorum proventuum per *triennium*, ad succursum terrae sanctae a Papa *Honorio* III fuisse exactam, ipse docet Nob. LAGERBRING l. c. § 3 et 6 p. 428: oblitus autem fuit, ad Literas provocare ejusdem Papae, Anno jam 1216, XI Kal. Dec. huc. missas (adeoque illis, quas affert superiores), apud VASTOVIUM legendas, *Vitis Aquilon.* Ed. Colon. p. 167 (Cfr. A CELSE l. c. p. 55 N. 2, qui tamen male *biennium* habet); quibus geminae sunt literae ejusdem *ad Archiepiscopum Lundensem et ejus Suffraganeos*, eadem de re datae. *Laterani* II Kal. Martii a Pontif. I (die 28 Febr. 1217), recensita in *Access. ad Bull. Cels.* p. 7 N. 6. Consilium porro *Lugdunense* II, et Papa *Gregorius* X, in eundem usum decimam omnium redituum et proventuum Ecclesiasticorum per sex annos dari jussit; cujus vestigiis *Clemens* V, *Johannes* XXII, *Clemens*

emper honestissimos, ab iis magna licentia insumebantur [4]); ed etiam aliquando *Regibus* bella gerentibus, quae ad Regionis vel propagationem vel defensionem aliquo modo ertinere videbantur, a Papa concedi (non sine magna tamen cautione adhibita) solebant [5]). Quae notiora sunt, uam ut iis demonstrandis immorari nobis sit necesse.

I, *Urbanus* V, *Gregorius* XI, *Johannes* XXIII, *Calixtus* III, renue insistebant etc.

[4]) Ut turpem taceamus abusum, quo ad luxuriam et foeas libidines, pecunias hasce Papae cum suis amicis profundeant; vel usus, in quos illas sese colligere publice aliquando rofitebantur, impudentiam eorum produnt: e. g. *Ad sublevanum Papam et Ecclesiam defendendam contra grassantes in Itaa rebelles* (Cfr. A CELSE l. c. p. 112, N. 2); *in subsidium Regni iciliae et terrarum Ecclesiasticae ditionis, guerrarum angustiis ıceratarum, „ob diuturnum Schisma" et Ladislai Dyrrachii iolentiam, regnum illud praetendentis*, quare *decima* jubetur *erogari omnium Ecclesiasticorum Proventuum per triennium, qua exhaustae camerae Apostolicae"* (cui *illam deberi*, addere Papa on erubuit) *provideatur*. A CELSE l. c. p. 165 N. 8.

[5]) Sic Regi Daniae *Erico* V, contra Estones, paganos et arbaros expeditionem suscepturo, a. 1247 Papa *Innocentius* VI ermisit, „ut *tertiam decimarum* partem *fabricis Ecclesiarum Lundensis Provinciae deputatam pro subsidio* expensarum suarum in hujusmodi servitio Jesu Christi *usque ad sex annorum spatium* obtineret; ita tamen, ut de ipsa decimarum tertia parte pro dictis fabricis, sartatectis et luminibus, congrua Ecclesiis portio relinqueretur, nec non pro solvendis debitis, quibus eaedem Ecclesiae pro earum necessitatibus essent medio tempore obligatae. Residuam partem *per Ecclesiasticas Personas*, colligi Archiepiscopus Lundensis facere debebat, Regique tradi, dummodo hic expeditionem dictam susciperet". *Access. ad Bull. elsian.* p. 39, N. 12. Similiter Rex Sveciae *Magnus Erici* belum Russis (qui ut Schismatici, paganis non multo meliores habantur) illaturus, non modo grandem pecuniam, quam exactores Papales in his terris corraserant, mutuo sumsit, de qua reuperanda severe deinde Pontifices egerunt (cfr. LAGERBRING l. T. III, Cap. VI, § 15 et 43, p. 373; C. VII, § 8, p. 557 q. C. VIII § 2, p. 605 sq. A CELSE l. c. p. 125, N. 9; p. 27 N. 16 et 20; p. 128 N. 3 et 4; p. 130 N. 9; p. 135, l. 14; p. 136 N. 20) sed etiam a. 1326, dimidium decimae exennalis, quam Papa praetextu Belli Sacri, a Clero Svecano

§ VIII.

Sed *perpetuis* quoque *usibus*, a primo earum exigendarum consilio alienis, *Ecclesiasticis* tamen, et Hierarchiae stabiliendae idoneis, sunt adhibitae. Ex decimis nempe reditus multis locis assignati sunt *Praelaturis* haud paucis (Archipraepositurae, Archidiaconatui, etc.) atque aliis *Praebendis*. Cujusmodi institutis saepe confirmatio Papalis fuit comparata. Sic habemus Bullam *Innocentii* IV, qua donationem decimarum Episcopalium de *Slaka*, ab Episcopo Lincopensi *Laurentio*, Canonicatui suae Dioeceseos sexto assignatarum confirmat (A CELSE l. c. p. 70, N. 14). Sic *Alexander* IV confirmavit institutam ab *Erico* Rege et *Birgero* Jarl *Scholam Upsaliensem*, concessasque *Scholasticis et Studiosis* Decimas de Upsaliensi Provincia (ib. p. 74 N. 32), et *Adrianus* VI *decimas*, quas Episcopus Lincopensis *Praebendae S. Barbarae* addiderat (ib. p. 218 N. 18). Ac in Bulla *Pauli* II legitur: *Praepositi et Capituli Upsaliensis petitio continebat, quod olim in regno Sveciae, infra quod Ecclesia ipsa consistit, omnes fere Praelaturae et Canoniae ex decimis sunt fundatae* (l. c. p. 201 N. 5). Quare etiam *Innocentius* VII et *Gregorius* XII *Brynolpho* Episcopo Scarensi permiserunt, Decimas suae Dioecesecos multifariam, sicut petierat, in usus Ecclesiae et ejus Ministrorum partiri (ib. p. 160, N. 3; p. 161 N. 1). Hinc *Hemmingus* Episc. Aboënsis, cum *Archipraeposituram* instituisset, inter alia commoda *Decimas novalium* illi adjudicavit [1]); et Episc. *Magnus* II *Archidiaconatum*, ab Antecessore suo *Berone* in Ecclesia Aboensi institutum, restaurans, *Decimas Episcopales* de antiqua Nousis eidem adsignavit [2]). Sed maxime memorabilis fuit adplicatio *Decimae Pauperum* per omnes Patriae Dioeceses ad *Canonicos* sustentandos. Ut enim

extorserat, in expeditionis suae subsidium gratis accepit. Vid. LAGERBRING l. c. T. III, C. III § 29 p. 302; cf. A CELSE l. c. p. 109, N. 10, et p. 122 N. 19, 20, 25.

[1]) Vid. *Annott. ad Juust. Chron.* p. 209, Not. [3]).

[2]) Vid. l. c. p. 408 sq. Not. [28]).

nulla in re sagaciores fuerunt Papae, quam in modis atque rationibus Hierarchiae stabiliendae, operique huic quasi fastigium imponendi; ita hujus finis attingendi caussa, Cardinalis *Wilhelmus* Sabinensis, a Papa missus, in Concilio *Skenningensi*, Anno 1248 celebrato, inter alia perfecit (quod antea quidem jam sensim inchoatum, tarde tamen processerat [3]), ut ad singulas Cathedrales Ecclesias *Collegia Canonicorum* instituerentur [4]). Quo decreto ab *Innocentio* IV, biennio post laete confirmato, Canonicis quaerenda erant subsidia vitae necessaria, nec parcae modo, sed etiam lautioris. In quem usum *Decimae pauperum*, consilio a primo ine eorum alienissimo, arreptae sunt [5]); adeo ut quae ad gestatem atque miseriam multorum sublevandam adhiberi lebuissent, ad ignaviam et luxuriam paucorum alendam, otentiamque injustissimam et a voluntate Divina ac Civiatum salute maxime abhorrentem corroborandam, effundeentur. In *Upsaliensi* Dioecesi *Jarlerum* Archiepiscopum, mortuum anno 1255, non diu post concilium supra commemoratum) ejusmodi Collegium instituisse constat [6]). In aeteris Dioecesibus, ut *Lincopensi, Scarensi, Aboënsi* etc. lem mos sensim invaluit [7]). Adeo ut, cum sic omnes *Decimae Pauperum* (ut in Aboënsi certe Dioecesi factum videtur) *Canonicis* essent impertitae, parum inde ipsis sit

[3]) Episcopo *Lincopensi* anno jam 1232 Papa *Gregorius* X veniam dederat *creandi Canonicos, quos Capitulum ejus nullus antea habuit, item aliarum etiam dignitatum personas pro Ecclesia Lincopensi.* A CELSE l. c. p. 65 N. 15; p. 69 N. 9.

[4]) Vid. LAGERBRING l. c. T. II, C. XIV, § 7, p. 431, ubi amen hanc tantam rem non nisi leviter et quasi in transcursu ttigit. Cf. C. XIX, § 14 p. 771. — It. WILDE *Hist. Sveciae ragm.* p. 389 et A CELSE l. c. p. 74 N. 34, 35, p. 78, . 17.

[5]) Vid. SCHEFFERI Not. ad. Chron. Archiep. Ups. p. 37. CELSE p. 201 N. 5.

[6]) Edit. a SCHEFFERO *Chron. cit.* p. 19 et 37 et 117. A ELSE p. 65 N. 15, p. 74 N. 34 sq. Bulla Alexandri IV a. 256, XI kal. Febr. in Collect. Fredenheimiana.

[7]) Cfr. A CELSE l. c. p. 136 N. 19; p. 160 N. 3. *Annott. d. Juust. Chron.* p. 508—513.

Pauperibus relictum. Unde igitur his succurrebatur? Unde *Domibus Hospitalibus* subsidia praebebantur? Ex Eleemosynis sine dubio, et piorum Donis atque Testamentis? Quamquam partem etiam *Decimarum Pauperibus* primitus destinatarum, hujusmodi institutis, in Dioecesibus saltem cultioribus atque ditioribus, fuisse fortassis tributam, credere queas? Sic, cum Scholae quoque Upsaliensi ex iisdem opis aliquid adfluxisse reperiamus, (Cfr. A CELSE l. c. p. 74, N. 32 et PERINGSKÖLD Monum. Upland. T. II, p. 235), non omnes certe Canonicis ejus Dioecesis (aliunde liberalius dotatis) cessisse, patet. Cfr. SCHEFFERUS l. c. p. 21, 31, et 116 sqq.

§ IX.

Suscepta tandem, tertio seculi XVI decennio, auspiciis R. *Gustavi*, etiam in Svecia Reformatione Religionis, Decimarum quoque adhibendarum ratio mutationem subiit insignem. Triens quidem qui antea Pastoribus Ecclesiarum cesserat, postea quoque iis relictus fuit [1]). Reliquum vero bessem Aerario sensim vindicatum fuisse, Annales rerum eo aevo gestarum abunde testantur. Hujus mutationis initium factum esse in *Comitiis Stockholmiensibus* A. 1525, reperimus; ubi a Regni Consiliariis ceterisque proceribus convocatis decretum fuit, ut Decimae Ecclesiae (h. e. illa Decimarum pars, quae Ecclesiae *Parochiali* tribui solebat; num etiam portionum *Episcopi*, *Ecclesiae Cathedralis* et *Canonicorum*, sive Pauperum?) hoc anno ad Exercitum sustentandum totae quantae impenderentur [2]). Deinde anno sequente (1526) in *Comitiis Wadstenensibus* fuit constitutum, ut duae partes earundem decimarum (tertia pristino usui relicta) ad aes Civitatis alienum solvendum, impenderentur [3]): quibus tamen Decimis Rex, facta cum Episcopis

[1]) Vid. WILSKMANS *Ecclesiastique Värk* Art. *Tionde* p. 663.

[2]) Vid. TEGEL K. *Gustaf* I. *Hist.* I *Del.* p. 103. Cfr. STIERNMAN *Riksd. och Mötens Beslut* T. 1 p. 35.

[3]) TEGEL l. c. p. 115; STIERNMAN l. c. p. 39, unde ex *Epistola* (Episc. Lincop. *Johannis Brask?) ad Electum Aboen-*

Ecclesiarumque caeteris Praelatis ut et Canonicis Pactione, summam XV millium Marcarum pecuniae, per omnes Dioeceses colligendam, recepit. Tandem per Recessum Arosiensem, A. 1527 ab omnibus Regni ordinibus confirmatum, statutum fuit, ut posthac omnes Decimae *Episcoporum*, *Canonicorum*, *Ecclesiarumque* tam *Cathedralium* quam *Parochialium*, partim ad aes alienum, quo Respublica gravissimo obstricta erat, dissolvendum, partim ad alia onera publica sublevanda, postea in perpetuum aerario publico vindicarentur, certa modo summa, Regis judicio definienda, Epi-

---

sem (Ericum Svenonis) haec verba, rei illustrandae caussa (nec TEGELIO, nec CELSIO, nec DALINO, in Historia *Gustavi* I commemoratae) adferre placet: „Et cum nonnulli assererent D. Re„gem ad hoc - - ut a Clero totius Ecclesiae Svecanae pete„rentur duae partes fructuum et omnium reddituum eorundem „per hunc annum, quemadmodum ante annum *duae partes De„cimarum omnium Ecclesiarum Parochialium* in solutionem di„ctorum debitorum expetitae fuerunt; Dominis Electis Upsali„ensi, Scarensi et Strengnensi, ac nonnullis aliis Ecclesia„rum Praelatis ac Canonicis, qui aderant, digesto negotio, inte„gre magis visum fuit ex ipsa tota Ecclesia Svecana offerre unam „contributionem pro hujusmodi debitorum solutione, *semel pro* „*semper*, videlicet XV: m. marcharum, (non obstante, quod ipsa „R. Majestas expeteret XXV:m.): ad quam tandem finaliter de„ventum fuit, ita quod ex ipsa V. Aboënsi Dioecesi per Capi„tulum et totum Clerum juxta V. Fr. moderationem solvantur „tria millia in dicta summa XV:m. nulli assignanda ante ipsius „summae totalem comportationem, absque quavis interpositione „R. Maj. officialium. Reliquae XII:m. inter alias Dioceses fuere „proportionaliter distributae. Et quamvis dictae duae partes „reddituum Clericorum ad tantam summam vix sufficerent; cau„tius tamen multis respectibus visum fuit hujusmodi summae in„sistere, quam redditum descriptionem“ etc. (Cfr. *Annott. ad Juusteni Chronicon* p. 633—643, et p. 676 not. [68]) „Ex his „colligas: 1:o, neque trientem Curatorum fuisse ab ista mulcta „liberam; 2:o Suspectam videri TEGELII narrationem (l. c. p. „115), quam reliqui deinde Historici R. Gustavi I repetierunt, „de dolosis Episcoporum et Cleri consiliis, ad Decretum Comitio„rum Wadstenensium eludendum initis: quae sc. narratio cum „pactione de certa summa pecuniae Regi a Clero exhibenda, „aegre consiliari queat.

scopis, *Canonicis* (quorum tamen officium, viris, qui illo nunc fungebantur, decedentibus, sensim erat abrogandum) et Ecclesiis permissa [4]). Quod decretum postea in Comitiis Strengnesensibus a. 1529 repetitum atque stabilitum porro fuit [5]). Variis deinde usibus hae *Decimae*, inde jam *Publicae (Krono Tionde)* dictae, sunt insumtae; quos enumerare, et longum et a nostro proposito alienum foret. Quare haec sufficiant.

[4]) TEGEL l. c. p. 168 sqq. et STIERNMAN l. c. p. 81 (cfr. p. 69, 77, 89, 90).

[5]) TEGEL l. c. p. 252. STIERNMAN l. c. p. 96.

DE ANNO SUSCEPTI A REGE ERICO SANCTO IMPERII ET EXPEDITIONIS IN FENNIAM MOTAE.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBJECIT

GUST. FRID. BOHM.

Aboae 1797.

§ I.

Quum non tantum primordia Religionis Christianae in Finlandiam introductae, et epocha hujus terrae regno Sveciae constanter subjectae, sed etiam initium omnis Historiae Fennicae certioris, distinctiorisque ab expeditione R. *Erici Sancti* in hanc regionem suscepta, sint arcessenda [1]): magni esse momenti, nemo non videt, ut tempus memorabilis hujus eventus, quoad fieri possit, accurate investigetur ac definiatur. Verum tantis simul haec res circumsepta est difficultatibus, dubiis atque sententiarum discrepantia, ut aegerrime ad liqvidum unquam perduci queat [2]). Tentandum tamen est, quousque in illa extricanda progredi liceat; et caussae saltem dissensus eruditorum virorum, et tenebrarum quibus res premitur, indagandae atque expendendae. Quod quidem his pagellis, tirocinium aliquod impensaeque literis operae specimen edituri, conantes, probe intelligimus quam sit nobis B. L. indulgentia opus; unde eam juvenilibus his ausis, quo par est verborum honore expetimus.

§ II.

Tradit quidem JOHANNES MAGNUS [1]), insignem adstipulatorum cohortem nactus [2]), Regem, comite S. *Henrico,*

---

[1]) Cfr. *Kongl. Witterhets Hist. och Antiquitets Academiens Handlingar,* IV Del. p. 2 seqq.

[2]) Cfr. editum a D:no Praeside PAULI JUUSTEN *Chronicon Episcopor. Finland. Annott. illustratum,* p. 10 seqq.

[1]) Vid. Ejusd. *Gothorum Sveonumque Hist.* L. XIX, C. III fine. Nempe cum initio a. 1151 *S. Henricum* caesum fuisse dicat; anno proxime superiori (1150) huc cum Rege advenerit, necesse est: post cujus abitum, non multis mensibus incolumem in Finlandia vixisse tradunt.

[2]) Cfr. VASTOVIUS *Vitis Aqvilon.* p. 67 Ed. Colon. et p. 65 *Benzel.* MESSENIUS *Chron. Episcopor. C. VII, in vita S.*

anno jam 1150 in Fenniam trajecisse. Sed parum scite calculos ponit; quippe qui, eodem demum anno Sanctum Regem sceptra capessivisse simul asserens [3]), non satis ei temporis ad reliqua peragenda opera egregia relinquit, quae ante susceptum bellum Fennicum praestitisse, vetus legenda testatur [4]). Neque probabile putes, ante constitutas domi

---

Henrici, (cf. *Scond. Illustr.* T. XII p. 97; qvi tamen sententiam mutavit); SCHEFFERUS *not.* ad Vetus *Chronicon de Archiepiscopis — Ecclesiae Upsaliensis*, a se editum, p. 3; aliique. Nisi *Vastovium* eique fidentem *Schefferum*, qui S. Henricum a. 1150 occisum dicunt, expeditionem ad annum superiorem, 1149, retraxisse, putandum sit?

[3]) L. c. C. I initio.

[4]) Cfr. *Legenda S. Erici* in *Breviariis* nostris occurrens; inter quam et ISRAELEM ERLANDI *de vita et miraculis S. Erici, Sveciae Regis*, (a *Joh. Scheffero* editam notisque illustratam, Holmiae 1685, 8:o); tam manifesta arctaque intercedit cognatio, ut aut hunc illam verbotenus descripsisse, (atque passim amplificasse et auxisse), aut ex hujus opere illam fuisse excerptam, statuere necesse sit. Quorum prius illud verisimilius putes: quin enim diu ante *Israëlem*, qui seculi XIV initio scripsit, vita S. *Erici* per omnes Ecclesias Svecicas, sacro memoriae ejus die, Populo praelecta (adeoque literis consignata) fuerit, dubitari haud potest. Sive igitur *vita* illa *S. Erici* quam in *Historia* sua *Regni Sveciae* LAGERBRING *Codicis* nomine *Bildsteniani* (a superiore membranarum, quibus inscripta habetur, possessore, non dicam quam commode, ducta appellatione) laudat, a LANGEBEKIO Tomo IV operis egregii, quod *Scriptores* vocat *rerum Danicarum Medii aevi*, jam inserta (p. 597 seqq.), ex libello *Israëlis* sit translata atque contracta, sive hic inde Latine redditus et interpolatus; longe tamen vetustioris alicujus scriptoris fide praecipua ipsius Historiae momenta nituntur. Neque ego demonstrandum susceperim, Latinam illam quae *Israëli* vulgo tribuitur Sancti Regis Biographiam, illum vere Auctorem agnoscere; qui adjectam quidem de *Miraculis* ejus narrationem se conscripsisse prodit (p. 183 sq.), sed vitam ipsam praemissam, a se fuisse profectam, nullibi asserit; Quam igitur hujus aetate vetustiorem habere licebit? Neque affirmaverim sese *Israëlem* prodere atque suum *Miraculis S. Erici* libellum indigitare, cum p. 14 dicitur: „Reliqua vitae ejus, *et translatio corporis*", (haec tria verba ex „Svetico exemplo absunt) ac miracula ---- quae hic omissa „sunt brevitatis causa, *alibi scripta sunt*". Quae quidem in

res, Regem (licet providentia aut cavendi diligentia singulari eminuisse, haud contendamus) expeditionem tam longinquam et difficilem suscepisse? [5]). Unde jam OLAVUS MAGNUS (*Johannis* frater) Bellum Fennicum in annum transfert 1155 [6]); MESSENIUM eatenus assentientem nactus, quatenus hic (a priori sententia decedens) annum eidem assignat 1154 [7]). Verum ipsam quoque illam traditionem, qua a. 1150 R. *Ericum* regno fuisse admotum perhibetur, multi gravesque Historiae Patriae auctores vehementer impugnant. Quorum qui agmen ducit Nob. ÖRNHJELMIUS, magno eruditionis acuminisque apparatu, veterem oppugnat famam [8]); neque minori rem eandem egit diligentia Cel. WILDE [9]). Quorum rationes adoptarunt Nobb. DALIN [10]) LAGERBRING [11]) et BOTIN [12]). Ita ut penitus fere explosa jam vetus illa traditio judicari queat.

---

isto *Israelis* libello minime habentur, sed alium manifesto spectant librum, qui jam periit.

[5]) In *Legenda* enim, et apud *Israëlem Erlandi*, (nam ab hoc vitam *S. Erici*, quam edidit *Schefferus*, morem communem secuti, interim appellabimus), p. 7 legitur: „*Postremo vero, aedificata ecclesia, ordinato regno*, ad inimicos fidei et hostes populi sui manum convertens, — versus Finnones expeditionem dirigit". — OLAUS tamen PETRI, in *Chronico* MS. disertis ait verbis: „Samma år han nu Konung var vorden, tenkte han til „at förvidga Christi tro in i Finland; for förthenskul thit med itt „stort tal folk" etc.

[6]) *Histor. de Gentibus Septentr.* L. IV. C. 18.

[7]) *Scond. Illustr.* T. II p. 3; T. X p. 4; T. XV p. 26.

[8]) *Histor. Svecorum Gothorumque Ecclesiast.* L. IV, C. IV, p. 452—460.

[9]) Vid. ejus *Anmärkningar till Puffendorffs Inledning til Svenska Statens Hist.* II Del. C. 29, p. 545—564.

[10]) *Svea Rikes Hist.* II Del. C. 3, § 5 seqq. et C. 4, § 3; ubi quod (p. 96) Svercherum a. 1151 obiisse legitur, erratum esse typographicum (pro 1155), putandum: cf. ib. p. 102, et LAGERBRING l. citand. p. 127 not. 1).

[11]) *Svea Rikes Hist.* II Del. C. V, § 7 et 12; C. VII § 1.

[12]) *Svenska Folkets Hist.* 2 Band. p. 42 seqq. et p. 52 sq. Stockh. 1792 8:o).

§ III.

Caussam autem cur a veterum auctoritate recedendum sibi esse diligentissimi Historici censerent, hanc fuisse reperimus, quod *Ericum Sverchero* demum *Majori* successisse ponerent, quem totius Sveciae Gothiaeque fuisse Regem, nec ante a. 1155 decessisse, ex collatis inter se nostris Danorumque monumentis [1]) collegerunt. Ac quod ad mortem quidem *Svercheri* attinet, eodem quo Nob. ÖRNHJELMIUS statuit anno illatam ei fuisse, salva veterum de *Erico* a. jam 1150 electo traditione, concedi potest; similiterque quae sibi cum Danis intercesserunt vel negotia vel bella, ut Gothorum Regem gessisse, asserere licet, si vel Svecos, senectutis suae imbecillitatisque pertaesos, interim alium sibi Regem elegisse, urgeamus. Quam rationem ineuntibus MESSENIUS viam muniisse existimari potest; qui licet non nisi annum inter electionem *Erici* (1150) et mortem *Svercheri* (1151) intercessisse dicat, tamen hoc adhuc vivo Sveones, ejus imperio renuntiantes, *Ericum* sibi Regem delegisse, contendit [2]). Favet huic rationi, quod nulla supersunt vestigia rerum ab *Erico* in Gothicis provinciis gestarum; quem etiam comites belli contra Fennos gesti inprimis ex *Uplandia (Roslagia)* et *Helsingia* sibi adjunxisse, putant [3]). Neque omnes adhuc regni provincias firmo adeo fuisse vinculo conjunctas, ut uni eidemque Regi singulae semper paruerint, turbae illorum temporum, atque Regum *Magni* Danici (Nicolai F.), *Ragvaldi*, *Svercheri* ipsius filiique sui *Caroli* Hi-

---

[1]) *Danicas* quidem res hujus aevi egregie illustratas habemus in Scholiis JOHANNIS GRAMMII ad JOHANNIS MEURSII *Hist. Danicam* (Florent. 1746 Fol.) L. V.

[2]) L. c. T. II p. 1; T. XII p. 97; T. XV p. 25. Cfr. ERICUS OLAI p. 45.

[3]) Cfr. DALIN l. c. C. IV § 4, Annott. ad *Juusteni Chron. Episc. Finl.* p. 20 etc. Credi etiam potest, si Gothicis quoque Provinciis *Ericus* imperasset, hostis sui *Magni* molimina, atque cum exercitu adventum, si is terra advenit, non potuisse eum tam diu latere?

storia docere videtur. Praeterea *Svercherum* vigilantia curaque diligenti Regni sui tuendi atque vindicandi haud praestitisse, plura produnt indicia [4]).

§ IV.

Unum vero superest maximi momenti argumentum, ÖRNHJELMIO illud etiam debitum, quod conficere rem videtur: nempe Bulla ANASTASII IV Rom. Pontificis, *Carissimis in Christo filiis S. Regi et universis Proceribus Svethiae* missa, dataque Laterani IV Kalend. Decemb. (d. 28 Novemb. 1153): in qua, cum et litera initialis S. non possit alium quam Svercherum Regem significare, et *universorum Svethiae Procerum compellatio* nullum eo tempore nisi illum eundem Regem fasces in his terris imperii tenuisse prodere videatur, non potuisse *Ericum* illo adhuc anno, (multo minus ante biennium), solio fuisse Regio admotum, colligunt; praesertim cum probabile haud sit, Regem hunc Clero adeo addictum, in tanta re potuisse aut a *Cardinali Albanensi*, qui Romam ex his oris nuper redierat, aut a Papa praeteriri! Quamobrem maxime huic Bullae Papalis testimonio Nob. BOTIN (l. c. p. 31), merito nititur.

§ V.

In contrariae autem atque veteris sententiae praesidium, non modo omnium veterum *Legendarum* (et *Breviariorum*) consentiens testimonium, Regem *Ericum a. 1160, postquam decem annos regnasset, mortuum fuisse* docentium [1]),

[4]) Cfr. LAGERBRING l. c. C. V, § 1, 2, 3; C. VII § 1; C. VIII § 1.

[1]) Praeter vitam ejus quae *Israeli, Erlandi filio*, adscribitur; idem testatur *Codex* LAGERBRINGII *Bildstenianus:* in quo quod legi etiam posse *attonde are* (anno octavo) pro *a tionde are* (anno decimo) Vir Nobilissimus testatur, id neque lingvae genio optime convenit, neque probabilitate lectionis externa commendatur, (aliis quippe omnibus Legendae hujus exemplaribus repugnantibus), nec tandem rem conficit; neque enim, si Sver-

sed *Annalium* quoque veterum quotquot de hac re commemorant, idem confirmantium auctoritas appellatur [2]): quos omnes in rebus narrandis Herois tanta veneratione per totum septentrionem culti [3]), neque admodum aetate eorum superioribus, nec cognitu difficilibus, adeo turpiter errasse, haud facile credas?

§ VI.

Hanc quidem plene conciliandam monumentorum pugnam in nos suscipere non audemus; sed tamen non sine omni verisimilitudine disputari posse credimus, *Erici* imperium (cui Sveones illud 1150 detulerant) adhuc recens (anno 1152) cum *Nicolaus* Cardinalis Albanensis ex Norvegia adveniens, *Svercheri* aulam visitaret, ab hoc et Gothico po-

---

cherus a. 1155 interfectus fuit, eique demum *Ericus* successit, hic, quem a. 1160 caesum esse constat, *octavo imperii sui anno* occubuit. Cfr. supra § II not. [4]). *Breviarium Arosiense* (Basil. 1513, 8:o), quod nobis ad manus est, in *vita S. Erici*, fol. 62, *Israeli* exacte consentit. Cfr. *Passionale Lubecense* apud LANGEBEKIUM l. c. T. IV p. 599 seqq. et *Breviarium Lundense* ibid. p. 611.

[2]) Vid. LAGERBRING l. c. C. VII § 4, not. [3]): a quo laudatorum Annalium quidam legi jam possunt apud LANGEBEKIUM l. c. T. I p. 388, T. IV, p. 588, sq. Adde etiam apud eundem reperiundos *Annales Minorum Wisbyenses* T. I p. 252 et *Annales Bartholinianos*, ib. p. 341. Quibus praeterea adjungere licet *Annales Dominicanorum Sigtunenses* (qui nondum typis editi, in S. Bibliotheca Stockholmensi asservantur) similiter habentes: *a.* 1160 *passus est S. Ericus Rex Sveciae in Upsalia, XV Kal. Junii, qui regnavit annis X, Hadriani pape III* (IIII) *anno quinto.* Consentiunt *Chronicon Rhytmicum minus* (apud *Hadorphium* p. 11): Cfr. SCHEFFERUS not. in *Israelis vitam S. Erici* p. 97 sq. Idem quoque urget ERICUS OLAI *Hist. Svecorum Gothorumque* L. II p. 45 (Ed. *Loccenii*); licet p. 47 pro a. MCL per vitium typographicum (quod cum in editionem *Messenii* irrepsisset, p. 98, *Loccenius*, valde negligenter editionem suam curans, corrigere neglexit) MCLX exstet, errore, et collatione loci praecedentis (p. 45), et mysticarum ineptiarum quibus p. 47 et 48 *Ericus* indulget, facile deprehendendo.

[3]) Cfr. LANGEBEK l. c. T. IV p. 591 sqq.

pulo ut justum et legitimum haud fuisse agnitum; adeoque Cardinalem, cui *Ericus* et adhaerentes sibi Sveones ut rebelles depicti erant, neque ad hunc iter continuasse [1]), neque alium quam *Svercherum* (in quo singulare praeterea obseqvium repererat) pro vero Sveciae rege habuisse? Quam eandem sententiam cum Papae quoque instillasset, mirum videri haud debet, si hic etjam ad *Svercherum* ut verum et solum totius Sveciae Regem, literas suas misit! Neque existimari potest, tanta adhuc fama pietatem *Erici* atque merita celebrata fuisse, quanta post mortem claruit; ex sanctitatis opinione sibi addita, in majus etiam sine dubio evecta. Atque ex eodem fonte caussa etiam idonea deduci potest, cur in Concilio illo quod Lincopiae habuisse Cardinalem Albanensem volunt, Sveonum Episcopi aut non adfuerint, aut cum Gothicis de sede Archiepiscopali communi deligenda non consenserint; si hujus quidem negotii tum agitati testis afferri queat fide dignior, quam *Saxo Grammaticus*, cujus auctoritatem magni faciendam haud esse, dudum observatum fuit? [2]) Nec difficile intellectu, nostra admissa hypothesi, erit, cur *Sverchero* interfecto filius suus *Carolus* ab Ostrogothis, Sveonum consensu non exspectato, substitutus sit; nisi Sveones ob hunc, vivo adhuc patre, se non consultis successorem destinatum, offensos, hanc ipsam caussam a Gothis discedendi Ericumque Regem eligendi habuisse, malis? Tenebris enim et dubiis has res haud levibus esse obvolutas, negari nequit [3]).

[1]) Sveciam enim proprie dictam adiisse, non apparet; sed in Ostrogothia substitisse videtur, vel faventiora consiliis suis tempora exspectans, vel receptas a Gothis conditiones, facile ad Svecos quoque sensim transituras, satis praevidens.

[2]) Hunc enim unum e veteribus, Historicos nostros testem citare hujus negotii Lincopiae tum agitati video; ut et relicti apud *Eskillum* Lundensem Pallii, Archiepiscopo Sveciae destinati. Quid si nullum aliud ille habuit hujus narrationis fundamentum, nisi quod convenire putaret, ut in Svecia Cardinalis idem faceret, quod in Norvegia fecerat? In Bulla certe Papae *Anastasii* nulla hujus negotii tentati mentio occurrit.

[3]) Cfr. ERICUS OLAI l. c. p. 45 et 51; MESSENIUS l. c.

§ VII.

Licet autem anno jam 1150 R. *Ericum* Sceptra capessivisse vel maxime defenderis; expeditionem tamen suam Fennicam in eundem hunc annum incidisse, commode aut verisimiliter inde vix colligas. (Cfr. supra § II). Neque veterum auctoritate illa confirmari ratio potest; nam annum vel belli illius suscepti vel *S. Henrici* interfecti, (quem non diu post Regis ex Finlandia reditum, occisum esse, tradunt [1]), legenda et Regis et Episcopi tacent [2]). Conjecturam itaque OLAVI MAGNI, Bellum Fennicum ad a. 1155 referentis, haud improbabilem ducas? Nisi adhuc serius contigisse existimes? Sane si ante adventum in Ostrogothiam

T. 1 p. 98; T. XV p. 25 (ad a. 1148). LAGERBRING l. c. C. VII, § 1.

[1]) *S. Henricum* a. 1151 (die 19 Januarii, qui ut dies *natalis*, h. e. per mortem in coelum translati, postea quotannis celebrabatur), occisum esse, asserit JOHANNES MAGNUS l. c. C. 3; qui cum *S. Ericum* anno praecedenti, 1150, solium adscendisse, simul dicat, C. 61, (cujus igitur anni aestate in Fenniam trajecerit necesse est); non multos illum menses *Henrico* ad opus convertendorum Fennorum urgendum concedere, apparet. Quod igitur anno jam 1150 *Henricum* subiisse martyrium, apud VASTOVIUM (in vita *S. Henrici*, ad calcem, Ed. p. 67 Ed. Benzel. p. 65) legitur, sphalma esse, putandum forsitan erit: nam ante *Ericum* regno admotum (quod 1150 maturius factum esse nemo unquam contendit) fieri haud potuit. Cfr. supra p. 278 not. [2]). Quid autem Nob. LAGERBRING secutus sit, cum l. c. C. VII § 4 conjiceret, *Henricum* anno forte post necem *Erici* interfectum fuisse, non intelligimus. Dicit VASTOVIUM annotasse, *Henricum* a. 1150 necatum; cujus rei hanc esse caussam conjicit, quod R. *Ericus* a. 1151 adeoque anno serius, mortem fuisse passus putetur? Sed quis hoc unquam putavit? Non diu autem *Henricum* in Finlandia commoratum fuisse, (Episcopatus scil. sui aliis negotiis intermissis) facile credas: cum per ministros etiam inferiores conversioni Fennorum, non tam docendo quam cogendo peractae, (rebus modo hic in ordinem redactis) insistere, ipse ad sedem suam reversus, commode posset.

[2]) Ut mos fuit illorum temporum, Chronologiam parum adhibendi.

Cardinalis Albanensis res haec tanta fuisset gesta, ac popularis suus *Henricus* [3]), Episcopus Upsalensis, in tam pio scilicet opere martyrium passus fuisset; et famam inde *Erico* natam celebriorem, et illos eventus attentionem Cardinalis excitaturos diligentiorem fuisse, credas? Nullum praeterea alium, praeter primum illum, a Rege factum fuisse conatum legimus, vel novellae ecclesiae Fennicae contra vicinorum insultus barbarorum defendendae, atque armis ampliandae, vel caedis in Episcopum commissae ulciscendae: unde colligere queas, ad ultimos regni sui annos hunc eventum esse referendum? Quamquam existimare etiam possis, Fennos, clade nupera territos, infestare denuo Svecos et neophytos haud fuisse ausos, nec dum conjungere vires, aut vicinorum sibi auxilia comparare valuisse; adeoque novae coloniae Svecicae res suas tranquille constituere permisisse; ad necem autem Episcopi vindicandam, a privato, qui Christianismo nomen dederat, commissam, satis virium atque auctoritatis in antistitibus coloniae hic locorum collocatae fuisse, (a quibus etiam in homicidam vindicatum esse, verisimile est, nisi huic per fugam justae sese poenae subducere contigit? [4]). Verbo, incerta haec manent

[3]) Cfr. LAGERBRING l. c. C. XI § 9; cui licet lubentes largiamur, conjecturam ab *Olavo Petri* profectam, qua *Henricum* cum Cardinali demum Albanensi in Sveciam advenisse statuit, nullo vel argumento vel testimonio veterum firmari (*Ericus Olai* circa a. 1150, adeoque biennio ante, advenisse dicit, p. 48); tamen hoc ideo haud facimus, quod famosarum illarum *Annotationum ex scriptis Karoli Episcopi Arosiensis excerptarum* auctoritate quidquam moveamur: quas spurias commentitiasque esse, cum SCHEFFERUS (*de excerptis* his *annotationibus Judicium*, Ups. 1678; 8:o) et ÖRNHJELMIUS (*Hist. Eccles.* L. IV C. 4 p. 474 sqq.) ad oculum demonstrassent, miror et BENZELIUM (*Prolegom. ad Monum. Hist. Eccles.* p. X seqq. cujus ratiunculas haud difficile fuerit diluere) et LAGERBRINGIUM (l. c. C. I, § 17, not. [1]), C. VI, § 1, not. [1]), etc.) fidem iis tribuere potuisse!

[4]) Quod enim de poena sua miraculosa, vel in Legenda S. *Henrici* vel in variis vulgi traditionibus perhibebatur, non magnam mereri fidem, facile videas. Cfr. LAGERBRING l. c. C. XI § 9.

omnia atque dubia [5]); quibus lucem affundere clariorem, per monumentorum defectum jam non licet.

[5]) Multis igitur nominibus peccavit, qui (recentioribus his temporibus) parieti Templi *S. Mariae Rändämäkiensis* annum 1150 appinxit, quasi illo jam anno aedificati!

DE EXPEDITIONE JOHANNIS IMI SVERCHERIDAE, IN LIVONIAM.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISIT

CAROLUS PET. LINDAHL.

Aboae 1798.

§ I.

Rem gravem ac arduam esse, munus Historici rite ornare, non solum ubi eloqventiae vim atqve egregie narrandi facultatem spectamus, qvae (una cum ingenii sagacitate, locupleti rerum scientia et judicii maturitate) in opere hujus generis praeclaro eminere debet, sed etiam ubi de condendo tantum corpore Historiae simplici, attamen vero, completo ac frugifero agitur; difficile non est ad judicandum. Non enim diligentiae tantum, patientiae atqve laboris, sed etiam judicii prudentiaeqve plurimum postulat, multas et exqvisitas litteras, multum candoris atqve constantiae. Atqve rerum nostrae qvidem Patriae scriptoribus tanto hoc officium est praestitu difficilius, qvanto molestiore monumentorum laboramus penuria. Ut de rebus vetustissimis, dominante adhuc apud majores nostros ethnicismo gestis, nihil dicamus; scriptores fere rudes, qvi medio, qvod dicitur aevo, et tempore proxime illud subseqvente, Gentium Europaearum historiam condere conati sunt, annales rerum gestarum non modo jejunos (*Chronicorum* nomine vulgo notos), incomtos et mancos, sed neqve ad veritatem semper compositos, posteritati tradiderunt: qvorum tamen etiam ipsorum penuria Patriae nostrae Historia gravi admodum laborat. Spissis igitur eam circumfusam esse tenebris, mirum videri neqvit: qvibus qvalitercunqve discutiendis operam navaturo, non nisi ex fragmentis sparsis, saepe etiam repertu difficilibus et perlectu taediosis, colligenda materia est; in qva deinde examinanda, contendenda, concilianda, conjugenda, operosa prudensque ponenda est industria. Ac conqvirendis qvidem his subsidiis egregiam hodie praebet fa-

cem laudatissimum opus Warmholtzianum [1]); sed neqve illud adhuc integrum prodiisse, dolendum est. Vere autem dici potest, hactenus inde difficultatem Historicis nostris valde fuisse auctam, qvod nec ipsos nosse fontes sine diuturna et pertinaci diligentia iis licuerit, multo minus eosdem adire crisi debita exploratos et perpurgatos, ut falsa a veris, certa ab incertis, facile fuerit discernere. Multum igitur abest, ut sine pertinaci, liberali et docta diligentia, in hoc studio versari feliciter liceat. Neqve omnia adhuc monumenta ita excussa sunt, opesqve inprimis in literis manuscriptis hodieqve latentes in auxilium ita vocatae, ut praestandum nihil supersit. Magnam tamen inprimis gratiam debemus Illustris LAGERBRINGII industriae, qvi in Historia medii aevi rimanda singularem posuit operam, et subsidia undiqve diligenter colligendo, et asserta scriptorum superiorum curatius examinando, utilissimam harum rerum studiosis opem attulit. Qvi qvamvis, qvod exspectari ab homine non potest, nec exhaurire omnia, nec ab errore sibi ubiqve cavere posset; tamen benignam non uno nomine censuram, etiam ubi hallucinatur, Lectoris aeqvi meretur, diuqve opus ejus praeclari instar recte habebitur penus: unde et opes nostras in hoc genere aestimare, et subsidia utiliter commodeqve petere, deinceps liceat. Ad qvod igitur sensim supplendum, defaecandum atqve ornandum, non sine insigni fructu diu adhibebitur Historiae Studiosorum opera [2]), anteqvam de novo condendo ejus generis opere consilium sapienter capiatur, qvod ad colligendi et examinandi diligentiam, stili etiam praeclaram laudem adjungat. Ad materiam igitur suscipiendi olim, a viro ei pari, tanti operis, aptandam, nos etiam, specimen litterarium edituri, pro exigua facultate, symbolam conferre conabimur, in fa-

---

[1]) *Bibliotheca Historica Sveo-Gothica* af CARL GUSTAF WARMHOLTZ. I—VII Del. Stockholm 1782—1793, 8:vo.

[2]) Utili hujus generis exemplo praeivit Dissertationibus Academicis, se Praeside editis, Celeb. prof. FANT; inter qvas ex professo hoc agitur in illis, qvae *Animadversiones in Historiam Nob. Lagerbring* sistunt. Upsal. 1796, 1797. 4:o.

ctum inqvirendo, qvod a superioribus Historiae Patriae scriptoribus adoptatum, Vir Illustris, ut spurium prorsus explodendum et ex Historia nostra eliminandum esse judicat [3]): Expeditionem loqvimur Regis Sveciae *Johannis* I:mi, *Svercheridae*, in Livoniam, initio seculi XIII, susceptam; de cujus qvidem expeditionis veritate nondum esse conclamatum censemus, ceterum sententiam nostram aeqvo L. B. judicio submittentes.

§ II.

MESSENIUS, qvi in conqvirendis Veterum monumentis laudabilem collocaverat operam, adeoqve dignus est, qvi de Historia nostra maxime meruisse recte censeatur, (qvamvis fontes suos non ubiqve indicaverit, nec satis religiose iis semper usus sit), hoc modo rem gestam narrat: „A. 1218 „*Johannes* Sveonum Rex, crebra lacessitus Esthonum incur„sione, sicut etiam Christianae religionis et Sveticae domi„nationis propagandae stimulatus amore, modo Livoniam „impugnavit. Et Vichensibus subactis, Lealensem absentis „Hermanni praesulis arcem, violenter occupatam, suo milite „firmavit, huicqve subjugatae regionis defensionem, ast Ca„rolo Lincopensium Episcopo, illic cum plurimis Sacerdoti„bus praesenti, conversionem Gentilium commendavit, et vi„ctor domum velificavit". Deinde ad a. 1219 addit: „Inte„rea temporis Vichiae et Oeseliae populus, de nupero Jo„hannis in Sveciam reditu factus certior, illius in castro „praesidium Lealensi, adoritur, et hujus ductore, cum uni„versis commilitonibus, Episcopoqve cum Presbyteris, ad in„ternecionem deletis, velut etiam arce funditus diruta, ad „idola convertitur". *(Scond. Illustr.* T. II p. 24 cf. T. X p. 6). Qvae deinde T. XII p. 112 locupletius ornat, Regi etiam *Carolum* Ducis Birgeri I Germanum, Episcopi Lincopensis Patruum, et exercitus Archistrategum, inter alios regni proceres freqventissimos, comitem adjungens; qvem

[3]) *Svea Rikes historia.* 2 Del. C. 12 § 21 et 22, p. 325 sqq.

praesidio (500 militum) castri Lealensis praefuisse dicit, hoc autem a. 1220 ab hostibus fuisse occupatum, et Svecos omnes ibi caesos. Observat porro, RUSSOVIUM [1]) male expeditionem ad a. 1208 retulisse, cum nostri annales docerent anno demum 1218 susceptam fuisse, et Lealensem eadem a. 1220 contigisse [2]): locum porro, ad qvem classis Svecica appulerit, rectius a RUSSOVIO *Rokel*, qvam a nostris scriptoribus vel *Rotalum* vel *Rechalum* appellari notat; atqve tandem observat, *nullum Chronographorum nostrorum hanc R. Johannis militiam usqve perspicuo hactenus manifestasse eloqvio.* Qvae ultima ejus arripiens verba

[1]) *Chronica der Provintz Lyfflandt, dörch Balthasar Rossouwen*, (dialecto Germaniae inferioris) Rostochii a. 1578 4. ed. ubi (fol. 8 v. et sq.) legitur: „Anno 1208 Alse Bischop „Herman van Leal na Riga an den Bischop Albrecht vorreiset „gewesen, is Köninck Johannes, de erste des namens, mit Hi„reskrafft uth Schweden in Lyfflandt gekamen, unde hefft Bi„schoppe unde Presters mit sick gebracht, welckere de heidn„schen Eesten tho dem Christendome underrichten scholden. „Unde alse de Köninck tho Rokol angekamen was, hefft he si„nen toch stracks up de Wyckeschen vorgenomen, unde heft „thogelick dat Schlot Leal mit ingenamen, unde sinen Bischop „sambt etliken Prestern, dessgeliken einen Höuetman Carolum „mit 500 man darup gesettet, unde na der besettinge ys de „Köninck wedderrümme in Schweden gesegelt, unde hefft sinen „Volcke dat huss Leal ernstlick tho vorwarende benalen. Als „nu de Köninck uth Lyfflandt weck getagen was, do hebben de „Oeselers unde Wyckschen datsülluige huss wedderrümme mit al„ler macht belegert, unde mit vür beengstiget, unde alse de „Schweden tho den Vienden heruth gefallen werren, unde nicht „gemeinet, dat se starck syn scholden, sint se alle ummeringet „unde erschlagen worden. Darna hebben de Oeselers unde de „Wyckeschen dat huss gestormet, eräuert, unde den Bischop so „wol alse den Stadtholder Carolum, unde alle de darup gewe„sen sint, erschlagen, unde darna dat huss vorbrandt, unde tho „nichte gemaket. Also sint de Düdeschen, so wol alse de Schwe„den, des huses Leal, unde der gantzen Wyke wedderrümme „qwyt geworden."

[2]) Ipse tamen in hoc anno definiendo fluctuat; qvem enim hic 1218, et 1219 fuisse, T. II p. 24, T. X. p. 8 et T. XIII p. 68 contendit, eum 1220 T. XII p. 113 docet.

et dubia praeterea alia contra rem nectens, Nobil. LAGERBRING, fidem RUSSOVII spernendam prosus judicat, nullamqve a R. *Johanne* talem susceptam fuisse expeditionem contendit: eas narrationis Messenianae partes, qvas testibus non carere idoneis reperit, suo modo explicans atqve adornans. Qvod autem ad nostrorum scriptorum coaevorum de hac re silentium attinet, illud qvidem ad eam explodendam parum valet. Rerum enim illius temporis tam parum locupletes aut diligentes habemus testes domesticos, ut nisi ex gentium finitimarum scriptoribus subinde contingeret defectus illorum supplere, plus qvam manca et sterilis esset omnis nostra de fatis Patriae, maximeqve de rebus qvae regnantibus alternatim familiis Ericidarum et Svercheridarum everunt, cognitio. Immo apud *Ericum Olai* et Auctores *Chronici Rhytmici minoris*, atqve *Catalogi Regum Sveogothicorum* Legibus Westrogothicis adjecti, (qvi tamen omnes tempore sunt recentiores), qvam pauca de hac Historiae nostrae periodo afferuntur! Valde igitur lubrica est argumentatio, contra externorum scriptorum idoneorum fidem, ex nostrorum silentio ducta! Atqve inter merita LAGERBRINGII de Historia nostra hoc etiam jure optimo refertur, qvod aliunde saepe ea investigavit, et ex aliarum gentium monumentis illustravit, qvibus parum lucis ex nostris comparari potuit. Ut vero de auctoritate *Russovianae* narrationis existimare tuto liceat, nulla rectior iniri via potest, qvam si in fontem inqviramus, unde *Russovius* (scriptor seculi XVI) sua hauserit, qvoqve igitur fundamento fides sua nitatur? Qvo facto, eam ab auctoritate pendere reperimus *testis coaevi*, magnae fidei, Auctoris nempe Anonymi, (qvem *Henricum* Sacerdotem, natione *Lettum*, esse conjicit, qvi *Chronicon* ejus *Livonicum* edidit JO. DAN. GRUBER [3]), a qvo haec res ita narratur: „Rex Sveciae Johannes, cum Duce „suo Carolo et Episcopis suis [4]), collecto exercitu magno,

[3]) *Origines Livoniae Sacrae et Civilis.* Francof. et Lips. 1740 fol. Vid. Praef. p. II sqq.

[4]) Legendum esse *Episcopo suo*, seqventia satis evincunt. An tali mendo (si exemplum hujus Chronici oculis usurpasse

„venit in Rotaliam, cupiens aliqvas partes in Estonia ac „dominatum adipisci. Et resedit in castro Lealensi, ad „qvod erat Episcopus Hermannus, frater Episcopi Livonien„sis, a Domino Papa confirmatus, eo qvod eadem provincia „fuerat qvondam a Rigensibus expugnata, et fidei rudimen„tis initiata. Et intraverunt Sveci per provinciam, docentes „et baptizantes ex iis, et ecclesias aedificantes. Et perve„nerunt ad Danos in Revele, colloqventes cum eis. Mise„runt qvoqve Rigenses nuntios ad eos, dicentes, ipsas pro„vincias a suis ad fidem Christianam subjugatas, munien„tes etiam ipsos, ne dolosis verbis Estonum perfidorum ni„mium confidentes, minorem circa se custodiam adhiberent. „Rex autem idem locatis in castro viris suis scil. Lealensi, „cum Duce Carolo et Episcopo, reversus est in Sveciam. „Et cum esset eis ex altera parte Livonia, et ex altera „parte Dani, ipsi qvoqve in medio constituti, minorem de „paganis timorem habere coeperunt. Et factum est in uno „dierum, apparente primo diei diluculo, venerunt Osilien„ses de mari cum exercitu magno, et obsidentes eosdem „Svecos, pugnaverunt cum iis, et ignem apposuerunt ad „castrum eorum. Et exiverunt Sveci ad eos, dimicantes „cum eis, et non valuerunt tantae resistere multitudini. Et „ceciderunt Sveci interfecti ab eis, et captum est castrum, „et Dux cecidit. Et Episcopus per ignem et gladium inter„fectus est, et in martyrum consortium commigravit" [5]). Hinc facili negotio discitur, Russovium Auctorem idoneum secutum; nec illius, sed hujus auctoritate, narrationem suam esse aestimandam. Qvem scriptorem, diligentem sane et sincerum, qvomodo rem, sub oculis fere suis gestam, falso enarrasse existimabimus, aut ignorare potuisse, an Rex Sveciae (de cujus et *adventu* et *abitu* commemorat) ipse Livoniam adierit? Praesertim cum plures ab eo traditae even-

credendus sit? deceptum fuisse existimabimus auctorem *Chronici Episcoporum Lincopensium Rhytmici* (qvo de infra), qvi cum Duce Carolo *plures Episcopos* occubuisse dicit? Cfr. Lagerbring l. c. Not. [3]) p. 328.

[5]) L. c. p. 144 sqq.

tus hujus, a se accurate explicati, partes, nostrorum etiam Chronographorum testimonio confirmentur [6]). Cum haud ignotum Nobilissimo LAGERBRING hunc scriptorem fuisse (aliqvoties ab eo laudatum) sciamus [7]); potius oblitum fuisse eundem hoc etiam loco attente consulere, qvam fidem ejus in dubium vocasse, par est, ut credamus. Unde tali teste confirmata res, levibus dubiis aut difficultatibus objectis, non est mox rejicienda: qvam itaqve Nobil. BOTIN in recentissima etiam Historiae suae editione adoptare et exornare non dubitavit [8]).

§ III.

Nec interna probabilitate haec narratio destituitur. Cum enim Estones, adjunctis forte, ut saepe alias, Ingris

---

[6]) Docet ipse Nobil. LAGERBRING, non solum ERICUM OLAI (Ed. Locc. p. 56) *sed et vetera Chronica* apud BENZELIUM (*Monum. Histor. Eccles.* p. 15) et CELSIUM (ed. Ups. 1705, p. 4 cf. p. 46 sq. ac recus. in LANGEBEKII *Script. rer. Danicar.* vid. T. IV p. 593) summo consensu testari, *Carolum* Episcopum Lincopensem et *Carolum* Ducem a. 1220 occisos esse (*VI Idus Aug.* apud *Rotalum* vel *Rotala* a paganis); qvam vero idem Chronicon Benzelianum, eodem loco prodit anno praecedente 1219 susceptam fuisse, *Expeditionem ad Esthoniam*, Danicam illam *R. Waldemari* esse, num omni omnino caret dubio? Eandem porro rem confirmat qvoqve *Chronicon Episcopor. Lincopensium Rhytmicum* a BENZELIO (l. c.) exhibitum (vid. p. 119). Dici igitur accurate neqvit, scriptores nostros veteres hanc Expeditionem prorsus silere.

[7]) Non tamen ipsum opus Latinum, sed interpretationem *Arndtii* Germanicam consuluisse, vel illud allegandi modus minus commodus, a viro Nobil. adhibitus: *Gruber Origines Livoniae sacrae et Civilis utgifna af Joh. Gotf. Arndt*, prodere videtur.

[8]) *Svenska Folkets Historia* T. II Period. V C. II p. 96 sq. Rationes tamen nonnullas ab eo probatas, adoptare haud possumus: qvi nec Bullam Papae Honorii III huc trahere audemus (cf. a CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I p. 55 N:o 1), potius Alexandri III illam, cum LAGERBRINGIO (l. c. p. 326) huc qvadrare putantes (cf. CELSE l. c. p. 35 N:o 1), nec ex loco SPEGELII citato qvidqvam bonae frugis elici posse puta-

ac Russis, crebris incursionibus Sveciae lacessissent oras [1]), et paganismo adhuc essent addicti; non modo licitum habebatur, sed opus etiam meritorium censebatur, bello eos perseqvi, et ad Christianam amplectendam religionem cogere: quo perficiendo opere, non modo Teutones, qvi Livoniam et Lettiam invaserant, atqve Riga condita, perpetuo bello infestabant, sed etiam Dani, Estoniam hoc tempore magnis opibus aggredientes, et Revalia aedificata ditionem suam magis magisqve proferentes, desudabant. Unde verisimile est, Svecos, et patrii moris memoria, et recentibus his exemplis excitatos, et atrocibus praeterea injuriis provocatos, otiosos omnino spectatores horum moliminum haud fuisse. Qvod etiam exemplum confirmat a Nob. LAGERBRING ipso p. 327 allatum, Ducis Svecorum (qvem *Birgerum Brosa* fuisse putat), qvi suppetias *Meinhardo* primo Livonum Episcopo contra paganos allaturus, exscensionem in Wironiam fecerat [2]). Nec sine caussa putes, caedem *Johannis* Jarli in Askanäs, et Regem et Optimates Regni praecipuos co-

---

mus. Scribit nempe hic *Benedictum (Johannem) Hyrne*, Episcopum Scarensem (qvem 1201 conseçratum ac a. 1205 mortuum fuisse, docet RHYZELIUS *Episcoposc.* P. 1 p. 168 sq!) nomen suum a. 1319 apposuisse scripto, omnium civium qverelam de tributis intolerabilibus sibi impositis exhibenti (eidem, sine dubio, qvod legitur apud HADORPHIUM, *Append. ad Chron. Rhythm.* p. II sq). Unde patet, eum cum hoc Episcopo confudisse alium (Benedictum III) seculo juniorem. Ex cujusmodi argumentis ac testibus, exiguus sane fructus est exspectandus.

[1]) Vid. LAGERBRING l. c. et C. 9 § 5 et BOTIN l. c. p. 76 sq. et p. 96. Singularem autem LAGERBRINGII rationem habeas, qvi post a. 1188, qvo Sigtuna ab Estonibus destructa fuit, nullum eorum exercitum instructum (orbentelig frigsh̄r), sed manus tantum praedatorias, oram Svecicam infestasse! Quasi illae qvae a. 1188 Sveciam invadebant copiae, praedatoriae non fuissent: qvae nunc pauciores, nunc numerosiores erant!

[2]) Cfr. GRUBERI *Chronicon* cit. p. 9 sq. ad a. 1196. Ac licet neqve hujus expeditionis mentio ulla a scriptoribus fiat nostratibus, tamen eam pro vera habere Vir Nobilissimus non dubitat.

gnatione contingentis, ad expeditionem hujusmodi suscipiendam eos vehementius impulisse.

§ IV.

Qvamvis igitur allatis testimoniis atqve rationibus, rei veritatem satis confirmari, credere possis; tamen invenit Nobil. LAGERBRING objectiones, qvae non sine magna specie contra afferri qveant. Primum in anno indicando RUSSOVIUM (qvi a. 1208 habet), hallucinatum fuisse, post MESSENIUM *(Scond.* T. XIII p. 68 Not. [679]) recte observat; qvo anno nec dum solium R. *Johannes* ascenderat. Erratum autem in RUSSOVII libro esse suspicamur typographicum, nempe 1208 pro 1218; qvamvis neqve hunc annum esse verum docuerit MESSENIUS l. c. et GRUBERI *Chronicon* a. 1219 recte habeat. Ita ut hinc qvidem nihil difficultatis oriatur. Qvod praeterea ad literas attinet, qvibus a. 1219 Ducem *Carolum*, et a. 1220 Episcopum *Carolum* domi subscripsisse Nob. LAGERBRING docet [1]), diem qvidem et mensem earum datarum non indicat, ac forte diligentius adhuc inspici et examinari fides illarum meretur; sed assumi interim potest, priores illas ante susceptam expeditionem Estonicam esse exaratas, ac Ducem vere anni 1220 Sveciam invisisse, sed Estoniam rursus repetiisse? Nam neqve ipse Vir Nobilissimus contra fidem veterum Chronicorum negare audet, et Episcopum et Ducem hoc anno fuisse a paganis occisos. Qvae autem de loco ipso, ubi mortem invenerunt, disputat, ea nullo modo probari posse, putamus. Verum qvidem est, illud a RUSSOVIO scribi *Rokel* (vel *Rokol)* et ab auctore *Chronici Rhythmici Episcopor. Lincopensium* (supra commemorati) *Rekalum* (vel ut BENZELIUS, Not. ad *Vastovii Vitem Aqvilon.* a se editam habet, p. 59, *Rokalum);* sed qvis non

[1]) Dux nempe *Carolus* an. 1219 testis subscripsit epistolae de piscatu qvodam *Sketunae*, monasterio *Nydalensi* addicto, et Episcopus *Carolus* a. 1220 nomine suo praesens munivit epistolam, qva R. *Johannes* monasterio *Risabergensi Sveabot* donabat.

videt, corrupta haec esse a nomine *Rotala*, *Rotalia* et *Rotalum* (cas. sc. plural.), qvam scripturam non modo ERICUS OLAI et *Chronicon* CELSII, sed etiam GRUBERI Anonymus exhibent: qvorum consensus (cum hic simul, cladem in *Vichia Estoniae* contigisse, locumqve talem ibi haberi expresse et indubitanter asserat), rem extra controversiam ponit [2]). Unde enim scriptori Letto et nomen loci in Svecia, et fatum utriusqve *Caroli*, alias innotuisset? aut qva ex caussa ille, rei gestae scenam, cum omnibus suis circumstantiis relatae, potuisset in Estoniam, ubi tum ipse vixit, temere transferre? Qvomodo, nisi falsa studio commentum esse dicas, potuit de colloqviis et negotiis Danos inter, Revaliam possidentes, Rigenses, et Svecanum exercitum intercedentibus, commemorare? Valde igitur a veri similitudine abhorret, cladem Ducis atqve Episcopi in ora vel Roslagiae, vel lacus Maeleri, contigisse: qvae non modo conjectura est gratis allata, sed etiam veteri famae et monumentis idoneis contraria. Neqve fidem narrationis veteris minuit, qvod Auctor *Chronici Episcopor. Lincopensium* dicit Episcopum *Carolum* interfectum fuisse a *Russis*, ERICUS autem OLAI a *paganis*. Notum enim est, *Estones* cum *Russis*, (qvibus saepe societate conjuncti, aliqvando subjecti erant), in monumentis nostris vetustis haud raro confundi, et hos *(Russos)*, licet religioni Christianae, confessionis Graecae, nomine saltim tenus, addictos, a nostris tamen, utpote barbaros, habitos fuisse paganis parum meliores: unde etiam adversarii Regis *Caroli Canutii* magnae

---

[2]) HUPEL *Topograph. Nachrichten von Lief- und Ehstland*, 1 B. C. II. *Abschn.* IV p. 387 scribit: „*Rötel* oder Ma„rien Magdalenen (Paroecia scil.), Ehstnisch Riddali Kirrck. Die „vormalige sehr alte Stadt *Rotula* oder *Rotalien*, von welcher „man noch kleine spuren hier findet, hat einen grossen district, „ja beynahe der ganzen Wiek den Namen *Rotalien* gegeben", et alio loco (C. 1 Abschn. 1 p. 78) adhuc accuratius observat, *Rotaliam*, regionem fuisse Vikiae, ubi Urbs *Rotula* olim sita fuerit, cujus vestigia in paroecia *Rötel* supersint. Cfr. GRUBER l. c. p. 96 Not. b). Frustra igitur haec *Rotalia* alibi, ac maxime in Svecia, qvaeritur.

ei infamiae vertebant, qvod Praefecti sui minati fuissent, se arces Finlandiae potius *Russis et Paganis (Rytzen och Hedninge)*, qvam civibus suis rebellibus tradituros. (Apud HVITFELDIUM *Danmarckis Rigis Chrönicke* p. 868). Neqve aetatem Regis obstitisse putamus, qvominus expeditioni et gloriosae, ut putabatur, et religiosae simul, comitem semet ipse adjungeret, nomine suo atqve praesentia majorem ei solennitatem et successum comparaturus: licet forte progressuum splendidiorum spe, inter rivales Danos et Teutones inclusus (qvi meliorem jam sibi vindicaverant terrae partem) cito amissa, domum mox repeteret, Duci et Episcopo cura regionis et arcis occupatae defendendae commissa, qvi (anno seqvente?) hostibus numero longe superioribus misere succubuerunt [3]).

[3]) Si locus *Chronici Gruberiani* corruptus non est, (qvod suspicandi ansam praebet ordo verborum turbatus: *locatis in castro viris suis, scil. Lealensi* etc.); tamen ambiguitate laborat, adeo ut Regem vel *locasse in castro viros suos cum Duce Carolo et Episcopo*, vel *cum Duce et Episcopo reversum esse in Sveciam*, interpretari qveas. Sed cum mox addatur, et Ducem et Episcopum fuisse ibidem, castro capto, ab Osiliensibus interfectos, prior explicatio praeferenda foret, nisi et Episcopum a. 1219 in Svecia praesentem fuisse, laudatae a Nob. LAGERBRING litterae docerent, et anno demum seqvente (1220) eum cum Duce *Carolo* interiisse, alia monumenta testarentur: unde probabile habeas, eosdem cum Rege mox reversos, postea rursus Estoniam repetiisse, ibiqve mortem invenisse?

OBSERVATIONES NONNULLAE
DE DIGNITATE JARLORUM IN SVECIA.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISIT

ERICUS JOH. FROSTERUS.

Aboae 1798.

§ I.

Ut *Jarlorum* [1]) dignitatem in Regnis Septentrionalibus olim fuisse constat praecipuam; ita non eadem semper potestate nomen hoc fuisse adhibitum, nec vel auctoritatem vel officia, huic dignitati adjuncta, iisdem semper fuisse limitibus definita, doceri facile potest. Aliqvando enim non tam Magistratum aliqvem in Civitate praecipuum, qvam honorem generis insignem (qvalis Regum aliorumqve virorum Principum proximis tribuebatur cognatis), hanc appellationem indigitasse, reperimus [2]). Praefectis porro Provinciarum supremis, qvi easdem Regis loco gubernarent, hoc nomen datum fuisse novimus; ac summo tandem, post Regem, totius Reipublicae administratori, soli adhaesisse, constat. De qvo qvidem genere utroqve (qvatenus in patria olim floruit) non

---

[1]) De etymo hujus vocis, ut et ejus potestate, cfr. Nob. IHRE *Glossar. Sviog.* voc. *Jarl:* a quo vere disputari putamus, hoc nomen ex Anglia ad Norvegos atqve nostros majores transiisse, ac apud veteres, cum regionis alicujus Praesidem significaret, Latine *Comitem* fuisse vulgo conversum; uti cum totius regni proximum a Rege administratorem denotaret, *Ducis* appellationem ei plerumqve respondisse constat. Cfr. Nob. BOTIN *Svenska Folkets Hist.* II Band. (IV Tidehv.) C. V p. 173.

[2]) Cfr. Nob. IHRE l. c. It. STURLESON *Hist. Reg. Norveg.* (in *Hist. Haraldi Pulcricomi* C. 35, ac per totum opus passim). Plura sane docent exempla, hanc dignitatem, in nonnullis saltem familiis, mature factam fuisse (tam in Svecia, qvam Norvegia) haereditariam (unde formula *vara Jarlboren);* atqve viros illustres, nullis licet provinciis regendis praefectos, hinc *Jarlorum* tamen nomen gessisse reperimus: qvod ex. gr. de filiis celebris illius *Ragvaldi* Jarli observat (ex. STURLONIDE, *Hist. Olavi Sancti* C. 95) Nob. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* P. I C. X § 7, p. 378.

satis diligenter a rerum nostrarum antiqvarum scriptoribus semper distincto, pauca disputare, bona (ut speramus) L. C. venia, his pagellis instituimus.

§ II.

Qvam vetus, inprimis qvatenus Praesides provinciarum indigitaret, nomen *Jarlorum* in Svecia fuerit, facile non est investigatu. Tempora tamen *Ingialdi Illråda* attingere, doceri vix qveat? qvamvis hunc per constitutos, loco Regulorum perfide occisorum, Gubernatores Provinciarum, has regere instituisse, valde sit probabile [1]). Neqve in Norvegia diu ante aetatem R. *Haraldi Pulcricomi* (circa medium seculi IX) illam invaluisse dignitatem, putes [2]): qvae eodem

[1]) Locum *Eddae (Konga heite)* huc tractum, ubi officia *Jarlorum* tanguntur, recentiorem redolere aetatem, qvam ut ad antiqva adeo tempora pertinere qveat, facile patet: „Fyrer thuy „ad Thiodkongur hvor sa er rädur londum mörgum, tha setur „hann til Landstjörnar med sier *Skattkonga og Jarla* ad däma „Lands-Lög og veria lond fyrer öfryde, i tham londum er Kongi „liggia fiärri, oc skulu theirra dömar og reffsijngar vera thar „jafnriettar som sialffs Kongs". Neqve igitur tam confidenter debuerat Generosiss. V. DALIN institutionem *Jarlorum Herserumqve* per Sveciam vel *Ivaro Vidfadme* vindicare, vel eo adhuc antiqviorem facere. Cfr. EJUSD. *Svea Rikes Hist.* T. I C. VII § 21 p. 220 sqq. et C. XV § 2 p. 438 sq.

[2]) Narrat qvidem STURLONIDES l. c. *Yngl. Saga* C. 49. Regem *Halfdanum Hvitben*, filium *Olavi Trätälja*, cum Wermelandiam sibi tributariam fecisset, *Jarlos* ei regendae praefecisse: memoratur porro *Önund Jarl or Sparabui*, (ditionis *Throndhemiensis)*, Pater illius *Ketilli Jamte*, qvi tempore *Eisteyni Illråda* superatis alpibus Norvegicis, primus in Jämtlandiam fugisse dicitur (l. c. C. 49, et *Hist. Olavi Sancti* C. 147); sed suspicari qvis possit, ad ipsam potius horum praefectorum potestatem atqve honoris similitudinem, qvam nomen, Auctorem animum intendisse? Fieri enim saepe solet, ut scriptores sui temporis moribus obsecuti, munera nominibus designent serius demum iisdem additis. Qvae res hoc qvoque in nomine dubitationem interdum parere possit? Cfr. ex. gr. qvae habet STURLESON *Yngl. Saga* C. 31 de *Vottero et Fasto*, Jarlis *Frodonis* R. Daniae). Qvo etiam pertinere credas, qvae idem (ibidem C. 40) narrat

fere aevo ad Svecos etiam transiisse videtur [3]). Instituto autem R. *Haraldi* imprimis fuisse per Norvegiam celebratam dubio caret [4]): licet ordinem ab eo stabilitum nec in suo regno mansisse illaesum reperiamus [5]), multo minus per Sveciam fuisse usqveqvaqve adoptatum [6]) videamus. Praesides limitaneis regni Provinciis praefectos, easdem contra irruptiones hostium defensuros, illustriori hac fuisse dignitate

---

de convocatis, ex toto regno ab *Ingialdo Illråda*, ad cohonestandas exseqvias Patris sui, Regulis et *Jarlis* (Optimates non male hoc loco vertit PERINGSKÖLDIUS) virisque aliis honoratioribus? SNORRONIS verba sunt: „*Ingialdr* Konungr sendi menn „um allą Svithiod, oc baud til sin Konungom ac *Jörlom* ac „ödrom Merkis mönnom." Adde qvae paullo post habet: „That „var sidveniä i thann timae, thar er erfi skyldi giöra eptir „Konga Edr *Jarla*." (PERINGSKÖLDIUS interpretatur: „cum mor„tualia Regum *Principumqve* celebranda forent"). — Quin peregrinorum qvoqve populorum Praefectis *Jarli* nomen veteres scriptores tribuere haud dubitasse, reperimus. Sic ex. gr. de *Jarlo Galliciae* loqvitur STURLONIDES l. c. *Hist. Sigurdi Jörsalafara et fratrum suor.* C. 4.

[3]) Sic regnante in Svecia *Erico Emundi* (circa initia occupatae ab *Haraldo Pulcricomo* totius Norvegiae) illius nomine Ditioni Bahusiensi hodiernae etc. *Jarli* appellatione atqve auctoritate praefuisse docet STURLESON *Ranum Gothicum (Hrane Gautski)*, l. c. *Hist. Haraldi Pulcric.* C. 14 et 18.

[4]) Vid. STURLESON l. c. *Hist. Haraldi Pulcric.* C. 6. Deinceps freqvens occurrit *Jarlorum* mentio, variis regni illius provinciis imperantium. Cfr: IDEM *Hist. Olavi Tryggonis* C. 49.

[5]) Exempla et testimonia affatim praebet STURLESON, turbas enarrans post violenta *Haraldi* consilia Norvegiam diu infestantes, qvibus jactatae provinciae ab aliis aliisqve Regulis et Jarlis subinde occupabantur. Cfr. *Hist. R. Olavi S.* C. 34 et 44 etc.

[6]) Nulla sunt vestigia, qvae ostendant morem ab *Haraldo* Norvegico introductum, singulas regni provincias per Regulos, *Jarlos* atqve *Herseros* gubernandi, nostris qvoqve placuisse. *Herserorum* in Svecia vix ulla (certa qvidem) occurrit mentio; nec *Jarlorum* plurium simul constitutorum ac diversis regni provinciis praefectorum, exempla facile invenias.

ornatos observamus [7]): interiores regiones amplissimo aliqvo tali (praeter Regem) duce minus opus habere, videbantur [8]).

§ III.

Qvali potestate hi *Jarli* apud Svecos olim sint gavisi, qvae illis officia incubuerint, et qvalia stipendia habuerint, partim ex paucis qvae supersunt exemplis, partim ex comparatione cum *Haraldi* Norvegici instituto facta, Historici nostri illustrare solent [1]); interdum tamen paullo qvam decet confidentius ad leges Norvegicas, qvasi plane nostras, provocantes [2]): licet haud dubitemus, magnam utiqve fuisse inter gentis utriusqve mores, ex eodem qvasi fonte derivatos, etiam hac in re similitudinem.

§ IV.

Multo vero celebriorem adhuc locum in Historia Patriae sibi vindicant *Jarli* tertii illius atqve praecipui gene-

---

[7]) Cfr. verba *Eddae* nuper allata (in not. [1]). Hinc *Vestrogothiae*, ut non solum a Regni sede remotiori, sed etiam finibus cum Danicis tum Norvegicis adjacenti, *Jarlos* fuisse praefectos reperimus saepius: qvalis fuit celebris ille *Ragvaldus Ulfonis*.

[8]) Sic nullum commemorari *Jarlum* invenias *Tiundiae*, *Sudermanniae*, *Vestmanniae* etc. sed tantum *Gothiae* et *Vestrogothiae*, (simul etiam *Vikiae* et *Vermelandiae*). Qvi reliqvis praerant provinciis, eos *Landshöfdingar*, *Landsherrar*, etc. appellatos fuisse, constat. Vid. LAGERBRING l. c. T. II, C. XIII § 13 p. 394 sq.

[1]) Locum igitur cum *Eddae* supra laudatum, tum STURLESONII indicatum (*Hist. Haraldi Pulcric.* C. 6) commode allegant. Dicitur ab hoc: „Han setti *Jarl* i hverio fylki, tham er „*däma skyldi lög oc landsrett, oc heimta sakeiri oc landskyldir.* „*oc skyldi Jarl hafa tridiung skatta oc skylda, til bords ser* „*oc kostnadar:* Jarl hverr skyldi hafa under ser IV Hersa edr „fleiri, oc skyldi hverr theirra hafa XX marka veitslo. Jarl „hver skylldi fa Konungi i her LX hermanna af sinum einom „kostnadi: enn Hersir hver XX mann".

[2]) V. DALIN l. c. C. XV § 2. Cfr. LAGERBRING, l. c. C. X § 5, 6, 7, et T. II, C. XIII § 14 p. 394.

ris, apud qvas summam aliqvando fuisse Regni potestatem reperimus, Regibus ipsis non raro formidolosam. Horum dignitatem atqve auctoritatem luculenter inprimis exposuit atqve eos ab altero illo genere distinxit Nobil. BOTIN [1]); qvi itaqve ejus rei rite illustratae praecipuam laudem sibi non immerito vindicat [2]). Sed ut in novis inventis saepe fit, aliqvanto longius eorum seriem, qvam vetera monumenta sinunt, repetiisse, atqve superius illud genus totum fere apud nos delere conatum fuisse, existimes? Ille igitur a R. *Erico Victorioso*, abolito more pristino regnum ope Conregum (s. *Regum simultaneorum*, *Med-Regenter*) administrandi, consilium contra fuisse captum, *Jarlum* hujusmodi, sive primarium Reip. gerendae administrum constituendi, sibiqve adjungendi, contendit [3]); primumqve huic magistratui (post *Styrbjörnum* devictum) praefecisse *Ottarum* [4]), cui deinde seriem XXIII aliorum hujusmodi *Jarlorum*, ordine sese excipientium, adnectit [5]). In qva hypothesi ita adornanda,

---

[1]) L. c. C. V p. 168—174.

[2]) „Derföre hafva alle våre häfdatecknare och publicister „hittills haft et felaktigt begrepp om detta höga ämbete. De „hafva ment, at Jarlar ej voro annat än store höfdingar, hvaraf „flere funnos på en gång, och emellan hvilka Riket var delt i „flera höfdingedömen", etc. Hanc culpam nominatim tribuit WILDIO, STIERNMANNO, LAGERBRINGIO etc. Nescio autem, an *huic* qvidem obverti recte qveat, apud qvem legimus (l. c. T. II, C. XIII § 13): „Näst Konungen var denna tiden oförneke„ligen högsta myndigheten hos *Jarlen*, som på Latin kallades „*Dux*, men sällan eller aldrig *Comes*, som man i nyare skrifter „det öfversatt. I anledning af Edda och andra gamla skrifter, „har oförnekeligen detta ämbete varit meddelt åt flere Herrar i „landet på en och samma tid; *men nu en lång tid bårtåt synes „en allena hafva beklädt denna stora värdighet, och har det „namnet svarat emot det som man i våra sednare tider kallat „Premier Ministre*" etc.

[3]) L. c. T. I, C. V p. 283 et C. X p. 327.

[4]) L. c. T. I, C. X p. 327.

[5]) Qvam etiam seriem, inde repetitam, sistit Ill. L. B. ROSENHANE. Vid. Nob. UGGLA *Svea Rikes Råds Längd*, II Afdeln. p. 22 sqq.

Vir Nobilissimus haud pauca gratis assumsisse, nobis videtur. Ut enim de alia illa hypothesi, huic superiore, de *Simultaneis*, sub *Tertia* Historiae Svecanae *Periodo*, *Regibus*, nihil hoc loco dicam; unde, nisi ex mera conjectura efficitur, R. *Ericum Victoriosum* tale, qvod ei tribuitur, consilium vere iniisse? Unde doceri potest, *Ottarum* Jarlum alia aut majore fuisse potestate auctum, qvam qva *Ranum* Jarlum, tempore *Erici Emundii* floruisse, discimus? [6]) Nihil sane de hoc *Ottaro* aliud STURLESONIUS commemorat, nisi eum *Gothiae* fuisse Praefectum [7]), atqve provinciae sibi commissae defendendae caussa, *Haconi* Norvego, ferro illam vastanti, obviam ivisse, et cum hoc acriter dimicasse, sed superatum, gloriose occubuisse. Nihil de parte aliqva Regiae potestatis in reliqvam Sveciam, maxime superiorem illam, ab eo exercitae, vel STURLONIDES loqvitur, vel alia monumenta produnt.

De *Ulfone*, filio *Skoglari Toste*, et Patre *Ragvaldi Jarli* (de qvo mox), qvem summa illa *Jarli* dignitate proxime post *Ottarum* ab eodem Rege *Erico* auctum fuisse Nob. Auctor asserit, nos omnino nihil scire fatemur. Loca certe STURLESONII laudata, ne mentionem qvidem ejus faciunt, multo minus praecipua illa, qvae ei tribuitur, potestate fuisse gavisum, ostendunt [8]). Ac ne nomen qvidem

[6]) Cfr. supra § II, not. [3]).

[7]) „*Ottarr Jarl, hann red fyrir Gautlandi.* STURLESON Hist. Olavi Tryggonis C. 27, Ed. *Peringsk.* et C. 28, Ed. *Schöning.* Utriqve *Gothiae* (cum *Ostrogothiae* tum *Vestrogothiae)* praefuisse, narratio STURLONIDIS docere videtur. A latere enim orientali *Haconum* Norvegum provinciam *Ottari* aggressum, eoqve superato, Gothia utraqve peragrata, ac nullo praeterea alio praefecto ei obviam facto, in Norvegiam transiisse. expresse docet; „atto their saman orrosto micla, fär tha Hakon „Jarl sigr, enn Ottar Jarl fell, oc micill luti lids med hönum. „Hacon Jarl fär um *Gautland hvarttvegia* oc allt med her„schilldi, til thess er hann cemr i Noreg.“

[8]) Ex *Historia R. Haraldi Grafeldi*, C. XI, discimus, *Sigridem Storråda*, conjugem R. *Erici Victoriosi*, filiam fuisse *Skoglari Toste*, sed cujus nullus ibi filius commemoratur; in *Historia R. Magni Boni*, C. XXIII, de *Ulfone* qvidem *Jarlo* agi-

suum teneremus, nisi de filio suo agens STURLONIDES, docuisset hunc *(Rögnvaldr Jarl, Ulfsson)* patrem habuisse *Ulfonem (Ulfr,* Jarli titulo non addito), fratrem Reginae *Sigridae* Imperiosae [9]).

Ragvaldum (vel *Rognvaldum) Ulfonis, Jarli* dignitate *Vestrogothiae* praefuisse, STURLESONIUS extra dubium ponit [10]). Ad totius autem Regni administrationem (sceptrum tenente consobrino suo R. *Olavo Skötkonung)* ejus vel curam vel auctoritatem pertinuisse, neqve vel is ullibi docet, (contrarium potius aperte significans), vel ex ullis aliis demonstrari idoneis monumentis potest.

Huic in Russiam profecto in Jarli officio successisse porro dicit *Valgöthum Hundheden* [11]), qvem successorem ha-

---

tur, sed alio plane, Dano scilicet illo, *Thorkilli (s. Thorgilsi)* filio, R. *Svenonis* Patre, a R. *Canuto Divite* crudeliter trucidato! Cfr. BOTIN l. c. T. I, C. X, p. 328.

[9]) Vid. STURLESON *Hist. R. Olavi Tryggonis,* C. 112, Ed. *Peringsk.* C. 113, Ed. *Schön.* Ac dubium haberi qveat, utrum *Ulfo* ille et *Sigridis,* vel matre tantum, vel patre, vel utroqve parente eodem, nati fuerint?

[10]) L. c. de eo dicit: *„Rögnvaldr Jarl Ulfsson er tha „var kominn til rikis i Vestra Gautlandi."* Imperium igitur ejus *nonnisi Westrogothiam spectasse,* haec verba aperte docent; qvae per totam consiliorum fatorumqve suorum historiam confirmantur. Admodum ampla in hanc provinciam potestate usum fuisse constat (Cfr. LAGERBRING l. c. T. I, C. X § 5, p. 377); sed nihil omnino juris vel in reliqvas Sveciae regiones, vel in consilia publica extra suam ditionem habuisse, simul patet. In *Vestrogothia* etiam perpetuo habitasse, nec nisi raro (ad Comitia profectum?) Aulam Regiam adiisse, reperimus. — Hunc *Ragvaldum Jarlum* vulgo patrem faciunt R. *Stenkilli:* in qvam rem inqvirere, hoc loco non vacat.

[11]) Hunc *Valgötum (Valgaut)* nobilitate generis in Vestrogothia floruisse (unde filius suus *Tovi,* vocatur *ättstorr madr)* docet STURLESONIUS *Hist.* R. *Olavi S.* C. 165; *Jarlum* vero vel *Vestrogothiae* vel totius adeo *Sveciae* fuisse, nullibi prodit. (Multo minus argumento ullo firmatam narrationem Nob. BOTIN reperimus, qvi hanc ei, licet pagano oblatam fuisse dignitatem asserit, l. c. T. II, C. V. p. 171 vi legis nuper latae de paganis meritorum laude insignibus, a Regis amicitia, praecipuisqve regni

buisse (tempore R. *Anundi Jacobi)* filium suum *Tovium* [12]); qvae juxta nobis incerta videntur.

De *Stenkillo,* postea Rege, qvem *Jarlum* fuisse vitrici sui R. *Emundi,* tradunt [13]), qva fide hoc asseratur, parum

---

muneribus, haud excludendis). Neqve cur probrosum nomen *Hundheden* ei adhaeserit, ratio apparet. STURLESONIUS qvidem l. c. simpliciter, paganum adhuc fuisse indicat („var madr hund heidinn", sine addito scil. contemtus signo, rem adeo turpem commemorari non debere putans!), cum filius suus *Tovius* gratiam R. *Olavi* Norvegici recuperaturus, eum ad Christianam religionem, anteqvam moreretur, amplectendam perduceret. Cui simplici narrationi multae postea laciniae adsutae sunt. Vid. DALIN l. c. T. I, C. XX § 27, not. *m*) p. 657 sq. BOTIN l. c. T. I, C. X. p. 340 (qvi fabulam etiam ab *Emundo* Legifero Vestrogothiae Regi *Olavo Skötkonung* de *Gautio Tofii* filio callide narratam, STURLESON l. c. C. 96, ad hunc nostrum satis temere traxisse videtur?)

[12]) Neqve huic *Jarli* nomen STURLONIDES tribuit. Qvod autem apud ADAMUM BREMENSEM *(Hist. Eccles.* L. III, C. XII) legatur, Regem *Svenonem (Ulfonis)* auxilio *Jacobi* R. Sveciae, et *Ducis Tuph,* regnum Daniae recuperasse; inde colligunt, nescio qvam tuto, non modo de nostro *Tovio* agi, sed hunc etiam *Jarlum* fuisse R. *Anundi Jacobi,* patriqve suo in eo munere successisse. Vid. DALIN l. c. § 27 et BOTIN l. c. (qvi qvod de nuptiis ejus narrat, unde habeat, exqvirere nunc non vacat).

[13]) Ordinem eventuum ac rerum in patria usqve a morte R. *Anundi Jacobi* ad R. *Ericum* S. gestarum, valde imperfecte jam cognosci, notum est. Vel *Stenkilli* natales et ad regnum aditus, exemplo esse possunt. Locus, unde praecipuam de ea re lucem petunt, est C. XIX *Hist. Hervorae,* ubi verba occurrunt (p. 226 Edit. Hafn. 1765 4:o): „*Steinkell* het rikr madr i Svi„thiod ok kinstor; modir hanns het *Astridur* dotter *Malfins* ens „Skialga af Halogalandi, enn *fadir hans var Rögnvaldr hinn* „*gamli. Steinkell var fyrst Jall i Svithiod;* enn eptir dauda „Eymundas Kongs, toku Sviar hann til Kongs. Tha geck Kong„domurin ur langfedga ätt i Svithiod enna fornu Konga. *Stein„kell* var mikill höfdingi, hann atti dottr *Anundar Kongs* etc." *Ragvaldum Priscum,* qvi pater ejus fuisse hic traditur, eundem (nescio an recte?) faciunt, qvem *Jarlum Vestrogothiae* fuisse supra audivimus. Nec firmiori argumento nostrum, privignum fuisse dicunt R. *Emundi.* Cum vero locum Catalogi vetusti Regum

novimus. Nec minus qvae de *Hacono Ivari* [14]), *Jarlo* primum R. *Stenkilli*, ac deinde ejus in solio Regio successore, qvi sibi in Jarlum adsciverit *Ketillum* [15]) *paganum (Kettil Ochristen)*, aeqve obscura sunt.

Ejusdem fere commatis porro sunt, qvae de seqventibus *Jarlis* (ordine (IX—XVII), *Ugino* [16]), *Folcone Crasso* [17]), *Sunone Ivari* [18]), *Canuto Folconis* [19]), *Carolo Sunonis* [20]), *Guttormo* [21]), *Ulfone Sunonis* [22]), *Ragvaldo Henrici* [23]), et *Be-*

Sveciae Christianorum, Legibus Vestrogothicis adjecti, *(ubi Vestrogothos prae omnibus aliis suis amasse civibus* dicitur), cum hoc nuper allato comparamus; non fit improbabile, etiam *Stenkiltum* eidem illi provinciae, anteqvam Regio admoveretur solio, *Jarli* potestate nomineqve praefuisse? Alioqvin mentionem *Jarli Sveciae* hoc primum loco occurrere, credendum sit?

[14]) *Haconi* (s. *Haqvini)* hujus res, qvantae sint obvolutae tenebris, veteres conferenti Catalogos Regum Sveciae apud BENZELIUM *Monum. Vet. Eccles. Sveog.* p. 17 et 18, cum illo qvem *Legum Vestrog.* Codici annexum edidit Nob. IHRE p. 19 sq. mox patebit. Cfr. etiam DALIN l. c. T. II, C. I § 14 sqq. p. 22 sqq., LAGERBRING l. c. T. II, C. I § 14, 15, 16 p. 18 sq. et BOTIN l. c. T. II, C. II p. 16 sqq. *Jarlum* fuisse R. *Stenkilli* inde (satis precario) colligunt, qvod STURLESONIUS *(Hist. Haraldi Severi s. Hårdråde* C. 72) dicit Regem huic *Jarlo* in Wermelandia, ubi ex Norvegia profugus hospitium invenit, feudum concessisse *(veitti Steinkell* Konungr *Jarli* thar yfirsokn).

[15], [16]) Nonnisi talibus argumentis *Jarli* Regii dignitas *Ketillo* (sub R. *Hacono Rufo)* et *Ugino* (sub R. *Ingone* Seniore) vindicatur, quae magnam parere fidem neqveant. *Illum* fuisse *Jarlum* ditionis *Kind* in Ostrogothia, *hunc* auctoritate ejusdem generis in Sudermannia floruisse, si concedatur; qvid inde, ad rei summam proficietur?

[17]) Hunc, a qvo non parum splendoris gens *Folkungica* duxit, auctoritate atqve opibus floruisse insignibus, et connubium suum et veterum fides monumentorum testantur. Vid. BOTIN l. c. T. II, C. X, p. 265, et auctores ibi laudati. Qvod autem in *Chronico Rhythmico Majore* (p. 24) de eo legitur: „*Folke Jarl* var en erlig man, *Rijksens Förman* tha var han", nescio an nimis sit premendum; praecipue in Scriptore multo juniore atqve ex more sui temporis loqvente? Veteres nonnisi *virum inter omnes Svecos nobilissimum* appellant (vid. BENZELII l. c. p. 84).

[18], [20], [22]) *Sunonem Ivari, Jarlum fuisse Anti-Regis Erici*

buisse (tempore R. *Anundi Jacobi*) filium suum ...c minus qvae de...
qvae juxta nobis incerta videntur. ...li, ac deinde ejus in...
De *Stenkillo*, postea Rege, qvem *Jarl*...m adsciverit *Ketillum* 17)...
sui R. *Emundi*, tradunt [13]), qva fide hoc ...obscura sunt.

...commatis porro sunt, qvae de S...
Folconis 19), *Ugino* 16), *Folcone Crasso* 1...
...22), *Ragvaldo Henrici* 23), et *Be*...
...XVII), *Carolo Sunonis* 20), *Gut*...
...Vestrogothicis adjecti, (ubi Ve...
...causae caribus dicitur), cum ...
...fit improbabile, etiam Sten...
...Regio admoveretur solio, ...
...Aloqvin mentionem Jarli ...
...redendum sit?

---

muneribus, haud excludendis). Neqve ...
Hundheden ei adhaeserit, ratio apparet. ...
l. c. simpliciter, paganum adhuc fuisse ...
heidinn", sine addito scil. contemtus ...
commemorari non debere putans!), ...
tiam R. *Olavi* Norvegici recuperatu...
gionem, anteqvam moreretur, ampl...
plici narrationi multae postea la...
l. c. T. I, C. XX § 27, not. m...
X. p. 340 (qvi fabulam etia...
thiae Regi *Olavo Skötkonun*...
ratam, STURLESON l. c. C. ...
traxisse videtur?)

[12]) Neqve huic *Jar*... qvales sint obvolutae
autem apud ADAMUM B... 18, cum illo qvae
XII) legatur, Regem ... C. I § 11 p. 19 sq.
Sveciae, et *Ducis Tupl*... ...
gunt, nescio qvam t... ...
hunc etiam *Jarlum* f... ...
munere successisse. ...
qvod de nuptiis ... ...suece-
vacat).

[13]) Ordine... ...u. LAGERBRING
R. *Anundi Jac*... Cfr. DALIN l. c. T.
jam cognosci, ... p. 131 sqq.; BOTIN l. c.
aditus, exemp... ...ultum esse, docent; ubi etiam
lucem petunt... ...BEK *Scriptores Rer. Danicar.* T.
(p. 226 Ed... c. et III. ROSENHANE l. c. p. 23):
„thiod ok ... ...elligi debere *Ducem Gutormum*, ostendi
„Skialga ...
„*gamli.* ...*rlum* in Svecia fuisse („Ormr flydi austr
„Eymun ...nus brodor sins, er tha var thar Konungr, en
„domu... ...*dir theirra var tha Jarl*") cum frater suus *Mag*-
„*kell* ... esset, prodit STURLESON *Hist. R. Haconi Harda*-
Ragv... 18. An plus significare velit, qvam virum fuisse prin-
(nes ...pibus et potentia florentem, nescio?
pr... [14]) Neqve de hujus auctoritate qvicqvam scimus, nisi
di... illum (genere et cognatione illustrem) a. 1130—1140 *Jar*-
...*in Ostrogothia* fuisse, dicunt.

ibus opportunam hinc natam fuisse oc-
n potentiam (ut in aliis qvoqve Eu-
e novimus) augendi: sed solenni
uisse viros supra nominatos prin-
nporibus eminebant posteriori-
ve saltim eorum, neqvit ra-
l, qvos Nob. BOTIN enu-
ngicae, planior est res
l. idem auctor ob-
STURLESONIO, a
non nisi unum
is omnibus
potentia,
e Re-
admotis,
voqve .post

auctoritate qvadam
appellatione iis tributa,
papae *Alexandri* III ad eum
is, si veram earum inscriptio-
Vit. Aqvilon. Ed. Colon. p. 161
vocari dicitur *Gothormus Dei gratia*
c. 280), *Ulfoni* autem in litteris ejus-
Archiepiscopum, (ab ÖRNHIELMIO *Hist.*
V § II sqq. exhibitis), ubi mentio fit *Ulfii*
(Svecorum et Gothorum), p. 483. Ac qvam-
ocari *Ulff Comitem* in literis Archiep. *Stephani* ab
HIELMIO l. c. L. IV, C. VII § 12 sqq. p. 559 ad-
ppareat; patet tamen ejus consilia in negotiis gravissi-
sse a *Regibus* adhibita.

[26]) Qvorum igitur gesta attingere, atqve ex iis rem con-
mare, eo esse minus necessarium putamus (pagellarum qvoqve angustia hanc operam prohibente), qvo illa diligentius ab illustribus nostris Historicis LAGERBRINGIO et BOTINO legere licet exposita.

[27]) STULESON l. c. *Hist. R. Haraldi Severi* C. 49, hunc dicentem affert: „*Olafr* Konungr brodir min oc Magnus Konungr son hans, tha er their redu riki, leto their einn Jarl vera senn i landi; hefr ec oc sva gört, sidan er ec vard Konungr kalladr."

buisse (tempore R. *Anundi Jacobi*) filium suum T
qvae juxta nobis incerta videntur.

De *Stenkillo*, postea Rege, qvem *Jarlum*
sui R. *Emundi*, tradunt [13]), qva fide hoc at

---

muneribus, haud excludendis). Neqve cur
Hundheden ei adhaeserit, ratio apparet. S
l. c. simpliciter, paganum adhuc fuisse ind
heidinn", sine addito scil. contemtus si
commemorari non debere putans!), cur
tiam R. *Olavi* Norvegici recuperaturus,
gionem, anteqvam moreretur, amplecte
plici narrationi multae postea lacinia
l. c. T. I, C. XX § 27, not. *m*) p.
X. p. 340 (qvi fabulam etiam ab
thiae Regi *Olavo Skötkonung* de
ratam, STURLESON l. c. C. 96,
traxisse videtur?)

[12]) Neqve huic *Jarli* no
autem apud ADAMUM BREMEN
XII) legatur, Regem *Svenon*
Sveciae, et *Ducis Tuph*, regi
gunt, nescio qvam tuto,
hunc etiam *Jarlum* fuisse
munere successisse. Vid.
qvod de nuptiis ejus n
vacat).

[13]) Ordinem eve
R. *Anundi Jacobi* ad
jam cognosci, notun
aditus, exemplo ess
lucem petunt, est
(p. 226 Edit. Ha
„thiod ok kinsto
„Skialga af Ha
„*gamli. Steinl*
„Eymundas K
„domurin ur
„*kell* var mi
Ragvaldum
(nescio an
pra audiv
dicunt K





'nnam hinc natam fuisse oc-
' (ut in aliis qvoqve Eu-
'ngendi: sed solenni
' nominatos prin
'f posteriori-
'qvit ra-
enu-
s
b-
ıO, a
ı unum
, omnibus
,us potentia,
ıc maxime Re-
ıs solio admotis,
ɔvecia qvoqve .post

lfonem auctoritate qvadam *Ducis* appellatione iis tributa, ıeris Papae *Alexandri* III ad eum .. datis, si veram earum inscriptio- ıius *Vit. Aqvilon.* Ed. Colon. p. 161 ıo vocari dicitur *Gothormus Dei gratia* l. c. 280), *Ulfoni* autem in litteris ejus- ın Archiepiscopum, (ab Örnhielmio *Hist.* V § II sqq. exhibitis), ubi mentio fit *Ulfii (Svecorum et Gothorum)*, p. 483. Ac qvam- ıri *Ulff Comitem* in literis Archiep. *Stephani* ab ıLMIO l. c. L. IV, C. VII § 12 sqq. p. 559 ad- reat; patet tamen ejus consilia in negotiis gravissi- ıa Regibus adhibita.

Qvorum igitur gesta attingere, atqve ex iis rem con- eo esse minus necessarium putamus (pagellarum qvoqve a hanc operam prohibente), qvo illa diligentius ab illu- s nostris Historicis Lagerbringio et Botino legere licet sita.

27) Stuleson l. c. *Hist. R. Haraldi Severi* C. 49, hunc entem affert: „*Olafr* Konungr brodir min oc Magnus Konungr son hans, tha er their redu riki, leto their einn Jarl vera senn i landi; hefr ec oc sva gört, sidan er ec vard Konungr kalladr.“

nedicto Snyffel[24]) asseruntur. Praecipuos suo tempore viros fuisse, dubium non est; neqve a verisimilitudine abhorret, Regia auctoritate, turbido illo aevo haud parum fracta, op-

---

Årsäll, asseritur. Nescio qvibus argumentis? Virum opulentum atqve potentem fuisse constat (Cfr. STURLESON l. c. *Ed. Perinsk.* p. 480). Filios suos, primo *Carolum*, deinde *Ulfonem* patri in munere successisse, apud *Ericum Årsäll*, atqve hujus filium *Svercherum Veterem*, similiter pronuntiatur. STURLESONIUS *(Hist. Sigurdi, Ingii* et *Eystenii* C. 2) de *illo* nihil habet aliud, nisi virum principem *(Jarl)* in Gothia fuisse, divitem atqve opum et dominationis avidum („Magnus flydi thadan austr „a Gautland til *Karls Jarls Sona sonar*, han var rikr madr oc agiarn"). Cfr. l. c. C. 22. De altero fratre *Ulfone*, mox dicemus.

[19]) Hunc *(Folconis Crassi filium) Jarlum* fuisse R. *Ingonis Junioris* dicitur; argumenta nos latent.

[21]) Successisse in *Jarli* dignitate, apud R. *Ericum Sanctum*, *Canuto Folconis* dicitur, atqve eodem deinde munere etiam apud R. *Carolum* et R. *Canutum Erici* fuisse functum: qvod ut conciliari possit cum eadem *Jarli* apud R. *Carolum* dignitate, qva eodem tempore *Ulfonem Sunonis* eminuisse s. *Ducis* apud eundem constat, hunc *Gothiae*, illum *Sveciae Jarlum* faciunt. Cfr. DALIN l. c. T. II, C. V, § 2, 3: Caeterum *Gutormo* huic multa praeclara facta, parum idoneis nixa testimoniis, tribuuntur: Ducem fuisse R. *Erici* Fenniam expugnantis praecipuum (qva de re monumenta prorsus silent); expeditionem in Estoniam suscepisse (qvam inter fabulas non immerito refert Nob. LAGERBRING . c. T. II, C. VIII § 8 p. 185 sqq.) etc. Cfr. DALIN l. c. T. II, C. IV, § 4 p. 105, et Cap. V § 4 p. 131 sqq.; BOTIN l. c. p. 279 sqq. Sorae in Dania sepultum esse, docent; ubi etiam insignia sua visuntur. (LANGEBEK *Scriptores Rer. Danicar.* T. IV p. 554. Cfr. BOTIN, l. c. et Ill. ROSENHANE l. c. p. 23): nisi alium a nostro intelligi debere *Ducem Gutormum*, ostendi qveat?

[23]) Hunc *Jarlum* in Svecia fuisse („Ormr flydi austra Svithiod til Magnus brodor sins, er tha var thar Konungr, en *Rognvaldr brodir theirra var tha Jarl*") cum frater suus *Magnus* ibi Rex esset, prodit STURLESON *Hist. R. Haconi Hardabreid* C. 18. An plus significare velit, qvam virum fuisse principem, opibus et potentia florentem, nescio?

[24]) Neqve de hujus auctoritate qvicqvam scimus, nisi qvod illum (genere et cognatione illustrem) a. 1130—1140 *Jarlum in Ostrogothia* fuisse, dicunt.

timatium opulentioribus opportunam hinc natam fuisse occasionem, suam sensim potentiam (ut in aliis qvoqve Europae regnis factum esse novimus) augendi: sed solenni tali polluisse aut ornatos fuisse viros supra nominatos principes, munere, qvali *Jarli* temporibus eminebant posterioribus, idoneis doceri, de plerisqve saltim eorum, neqvit rationibus [25]). De ultimis contra VI, qvos Nob. BOTIN enumerat *Jarlis*, Gentis omnibus Folkungicae, planior est res certiorqve [26]). Neqve incommode Nobil. idem auctor observat (l. c. C. V p. 171), docente etiam STURLESONIO, a tempore R. *Olavi Sancti* in ipsa Norvegia non nisi unum fuisse *Jarlum* constitutum, hoc nomine caeteris omnibus Praefectis Regiis dignitate superiorem [27]): cujus potentia, inter lites de successione Regia perpetuas, ac maxime Regibus vel minorennibus vel imbecillioribus solio admotis, vehementer crevit. Qvem morem in Svecia qvoqve .post

---

[25]) Inprimis *Gutormum* et *Ulfonem* auctoritate qvadam praecipua jam eminuisse, vel ex *Ducis* appellatione iis tributa, colligi potest: illi qvidem in litteris Papae *Alexandri* III ad eum et *Stephanum* Archiep. Upsal. datis, si veram earum inscriptionem nobis servavit VASTOVIUS *Vit. Aqvilon.* Ed. Colon. p. 161 (qvin etiam in Sigillo suo vocari dicitur *Gothormus Dei gratia Dux Svecorum*, BOTIN l. c. 280), *Ulfoni* autem in litteris ejusdem Papae ad eundem Archiepiscopum, (ab ÖRNHIELMIO *Hist. Eccles.* L. IV, C. V § II sqq. exhibitis), ubi mentio fit *Ulfi Ducis regni illius (Svecorum et Gothorum)*, p. 483. Ac qvamvis eundem vocari *Ulff Comitem* in literis Archiep. *Stephani* ab eodem ÖRNHIELMIO l. c. L. IV, C. VII § 12 sqq. p. 559 adductis, appareat; patet tamen ejus consilia in negotiis gravissimis fuisse a Regibus adhibita.

[26]) Qvorum igitur gesta attingere, atqve ex iis rem confirmare, eo esse minus necessarium putamus (pagellarum qvoqve angustia hanc operam prohibente), qvo illa diligentius ab illustribus nostris Historicis LAGERBRINGIO et BOTINO legere licet exposita.

[27]) STULESON l. c. *Hist. R. Haraldi Severi* C. 49, hunc dicentem affert: „*Olafr* Konungr brodir min oc Magnus Konungr „son hans, tha er their redu riki, leto their einn Jarl vera senn „i landi; hefr ec oc sva gört, sidan er ec vard Konungr kalladr."

prosapiam Regiam morte *Emundi* Senis exstinctam, ex iisdem caussis invaluisse, verisimile putes.

§ V.

Potentissimorum horum *Jarlorum* auctoritas atqve munus, qvo Regibus ipsis videri debuit formidolosius, eo nobis minus videtur verisimile, Principi prudenti et majestatis suae tuendae avido, qvalem R. *Ericum Victoriosum* fuisse accepimus, originem suam debere. In regnis orientalibus, ubi ad se omnia negotia publica, pro suo arbitrio promte gerenda, trahit Princeps, legum nulla fere coërcitus veneratione, talem instituere despoticae suae potestatis ministrum (Vizirum etc.), illi consultum fortassis visum fuerit; sed in imperio moderato, qvale Regum Europaeorum illis temporibus fuisse constat, vix nisi per Regum imbecillitatem et socordiam, opportunitatem praebitam fuisse uni alicui optimatum existimes, omnium Regii muneris partium administrationem sibi soli vindicandi, atqve socium qvodammodo cum ipso Rege imperium sic exercendi. Cujus viri privatis qvoqve opibus cum auctoritatis regiae conservatio magnopere niteretur; mirum non est, si neqve facile ab ejus consiliis recedere Rex unqvam auderet, neqve aliis qvam potentissimarum familiarum capitibus hanc potestatem committere; qvae sic haereditaria sensim facta, Regi vix nisi umbram qvandam majestatis reliqvam tandem fecit. Qvam rem non tantum Norvegica Historia, sed Francica etiam egregie illustrat; qvae immodicum *Majorum Domus (Maires de Palais)* sub dynastia Merovingica potentiam (cum qva commode ultimorum *Jarlorum* nostrorum illam l. c. comparat Nob. *Botin)* ex similibus enatam fuisse caussis, aperte ostendit. Unde sapienter Rex *Magnus Birgeri (Ladulås* vulgo dictus), potestatem *Jarli* inter *Drotzetum* et *Marscalcum* dividens, formidolosum illud munus abrogando, gravi aemulo atqve qvasi tutore Regiam auctoritatem liberavit [1]); qvam tamen imbecilles successores sui, contra in-

[1]) Cfr. LAGERBRING l. c. T. II, C. XVIII, § 8 p. 696 sq.

valescentes optimatium opes, audaciam et callida consilia, tueri et integram servare non valebant.

et BOTIN l. c. T. II, C. V, p. 174. Qvum vero neqve R. *Valdemarum* mortuo Patri suo successorem in *Jarli* munere atqve dignitate dedisse reperiamus; non sine verisimilitudine, a *Birgeri* ipsius consilio atqve prudentia, formidolosi hujus muneris abrogationem arcessere licet.

DE PRAECIPUIS DIALECTIS LINGUAE FENNICAE.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMISIT

JOHANNES SARELIUS.

Aboae 1801.

§ I.

Dialecti vox latius quidem interdum sumitur, ita ut ad varias significandas lingvas adhibeatur, quas a communi quadam stirpe, cujus arctiorem praeferunt cognationem, esse propagátas appareat [1]); accuratius vero, docente GESNERO

[1]) Ita lingvas non modo *Svecicam* et *Danicam*, sed etiam *Islandicam, Anglo-Saxonicam, Teutonicam, Batavicam* etc. Dialectos appellari ejusdem linguae matris, sive *Gothicae* sive *Germanicae*, audias; ita linguae variarum nationum stirpis Fennicae Russico parentium imperio *(Mordvinica, Votica, Permica, Estonica*, etc.) nec non *Lapponica*, Dialecti interdum vocantur Linguae *Fennicae:* cujus ea forma, quae in Magno Principatu Finlandiae viget, reliquis est et cultior et notior, unde toti generi nomen accrevit. Nemo autem existimet, has linguas (licet affinitatem earum inter se facile agnoscas) arcta adeo cognatione sese attingere, ut homines illas adhibentes colloqui inter se absque ope interpretis, aliusque alium intelligere, possint. Cfr. de his gentibus atque linguis quae paucis habentur in Dn. Praesidis Annotationibus ad JUUSTENI *Chronicon Episcopor. Finlandensium* p. 32—44. Dolendum est, plerasque harum lingvarum nobis parum esse notas, ac etiam qui Grammaticas nonnullarum ediderunt, pares illi rei feliciter exsequendae haud fuisse. Quod mirum tamen von videbitur, si meminerimus, antequam VHAELII acumen et industria facem nobis praetulisset, ne nostrae quidem lingvae Fennicae indolem rite cognitam atque explicatam fuisse, unde lux Grammaticae quoque Lapponicae (opera *Fiellströmii, Ganandri* et Editorum novi *Lexici Lapponici)* deinde praeclara affulsit; qua frui hucusque nescierunt Grammatici lingvae *Estonicae*, apud quos itaque (etiam recentissimos) videas ex. gr. nomina solitos habere *Sex Casus*, e quibus Dativus et Ablativus *duplicem* admittant *terminationem:* promiscue adhibitam! Cfr. HUPEL *Ehstnische Sprachlehre* (Riga 1780, 8:o) 1 Th. 1 Cap. qui simul in Casuum formatione magnam dominari irregularitatem atque pervicacem inconstantiam queritur! Nec in verborum

(Thesaur. lingvae Rom. in voc. *Dialogus), Lingva* ita a *Dialecto* distinguitur, ut illa significet modum loquendi *diversarum gentium;* haec modum loquendi *in diversis provinciis gentis una lingva utentis.* Quo sensu probato, plures quidem *Dialectos Lingvae Fennicae* intra patriam vigere [2]), in diversis saepe paroeciis varias, deprehendimus; sed illas tamen omnes, ut ipsas Finlandiae nostrae incolas [3]), ad duo referri posse genera praecipua, haud aegre animadvertere simul licet, quorum alterum vocari possit *Dialectus communior*, maximae Finlandiae parti, inprimis maritimae (magis

formis proponendis minores defectus observare licet! etc. Neque dubito, quin si abjectis praejudiciis ex Latina Grammatica ad lingvas Fennici generis temere traductis, VHAELII nostri exemplo reliquae communis stirpis propagines, eadem adhibita diligentia et perspicacia, qua ille nostram perscrutatus est vernaculam, examinarentur, ad veram earundem indolem perspiciendam plurimum inde opis esset accessurum.

[2]) Similiter inter *Estones* non levem dialectorum varietatem, inprimis *Revaliensis* illius atque *Dorpatensis*, occurrere, ejus lingvae docent Grammatici.

[3]) Cfr. *Annott. citt. ad Juusteni Chronicon* p. 46 sqq. ubi docetur, in hos quasi ramos potissimos stirpem incolarum terrae nostrae posse distribui; e quibus illa tribus quae oram maritimam atque regiones proxime ei adjacentes occupavit, maturius advenisse videtur, alteram autem, ex vicina Carelia Russica et provincia Olonecensi insequentem, Savolaxiae et Careliae nostrae incolas dedisse, verisimile est. Ut Dialectorum, ita morum et oeconomiae dissimili quadam ratione utraque haec gentis nostrae tribus distinguitur; cujus rei obvium mox specimen offerunt *Nomina Savonum* (et congenerum suorum) *gentilitia*, familiis hominibusque singulis ad eas pertinentibus, constanter adhaerentia, etiam cum ad praedium, pagum aut paroeciam aliam ex natali sede migrant. In quo more illud quoque singulare inest, quod licet nomina Fennica generis differentia de caetero careant, haec tamen nomina gentilitia peculiarem terminationem foemininam habent; ita ut, cum ex. gr. virorum nomina exeant in *nen (Karhunen, Leinonen, Leppänen* etc. quasi *Ursinus, Fervidus, Alneus* etc.) foeminarum illa terminentur in *tar, (Karhutar, Leinotar, Leppätär*, quasi *Ursina, Fervida, Alnea).* Quae tamen terminatio foeminina apud incolas ditionis Rautalambensis in desuetudinem fere jam abiit.

tamen minusve mutata et variata) familiaris, libris frequentata (qua ex re varie aucta, diversarum provinciarum copiis adjuta, et diligentius culta fuit), religionisque praeceptis instillandis plerumque adhibita, unde sensim in totius gentis notitiam quodammodo pervenit; altera Dialectus est *Savonica*, cui non modo subjici debet idioma incolarum ditionis *Rautalambensis* et *Cajaneburgensis* [4]), sed etiam *Carelicum* est adjungendum [5]). Haec per Savolaxiam inprimis regnat;

[4]) Quarum incolae originem suam Savonicam et Dialecto et moribus aperte produnt, traditione etiam majorum et rerum monumentis confirmatam. Nec nullam haec Dialectus in sermonem Ostrobotniensium Borealium, Cajaneburgensibus etc. vicinorum, vim ostendit.

[5]) Careliae nostrae habitatores partim ex Savolaxia advenerunt, in locum emigrantium (cum illa provincia Svecorum adjiceretur imperio), ex coeco religionis zelo veterum incolarum, unde Savonica illi Dialecto utuntur, aliquantum licet sensim mutata; partim reliquiae sunt veterum Careliorum, qvos sermone, ut religione, olim proxime accessisse probabile est ad vicinos incolas ditionis *Olonecensis* in Russia (nostris *Aunus* vel *Anus*, *Aunus Maa* vel *Anus Maa* dictae, unde *Aunus* vel *Anus-kieli*, lingva ibidem usitata): a quibus hodieque Carelii nostri, quotquot nempe Graecae addicti manserunt religioni, vel lingva vel moribus et habitu, praecipue in paroecia Ilomanz illis viciniore, non maxime abludunt. Etiam haec lingva (eique affinis Ingrica) cognosci diligentius meretur, licet ex Russorum consvetudine multas voces, loqvendi formas et pronuntiandi morem adscivisse, in aprico sit; ut ex Svecorum contra familiaritate maritimi profecerunt, hortante usu atque ipsa adeo necessitate, in magna illa priscae nostrae lingvae, quoad res quae cultioris vitae copiam et splendorem, artes atque literas spectant, paupertate atque ruditate. Per illud idiomatis Carelici quasi vehiculum, haud pauca in reliqnam quoque lingvam Fennicam (maxime in Dialectum Savonicam) transierunt vocabula, aut saltem magna eadem attingunt cognatione, quorum nonnulla speciminis loco subjiciemus:

Russ.	*Fenn.*	*Lat.*
Obrók (vectigal l. pecunia Census, rãnta, mantals-penningar)	*Aprakka*	Reditus Sacerdotales, pensio sacerdoti solvenda.
Veréja (postis)	*Veräjä.*	Portae genus (grind, leb).

atque in *Runis*, sive peculiari et domestica Fennorum nostrorum poësi, maxime usurpatur[6]), sed in scriptis prae-

Vorobéj	*Varpuinen*	Passer.
Téteref	*Tetri* (Careliis, reliquis Fennis *Teuri*, *Teeri* l. *Teiri*)	Tetrao Tetrix: Latino et Graeco τετράων, forte originem debet, qualia multa sunt et apud Russos et nostros vocabula, e. gr. (ut ecclesiastica sileam) Russ. *more*, Fennor. *meri*, mare; Russ. *vor*, Fenn. *Varas*, fur, Graece φώρ; Russ. *porosă*, Fenn. *porsas*, porcus, porcellus etc).
Salakuschka (clupea Harengus minor, Strömming)	*Salahka* l. Salkki	Cyprinus alburnus (Löja).
	Silakka	Strömming.
Serp,	*Sirppi*	Falx minor (Skära).
Sapóg	*Saapas*	Caliga (Stöfwel).
Sani	*Saani*	Trahae elegantioris genus (Careliis et Savonibus).
Loschka	*Lusikka*	Cochlear.
Lohovina	*Lohi*	Salmo (Lax).
Sinyj	*Sininen*	Caerulaeus.
Borodà (Slavonice Bradà)	*Parta*	Barba.
Korà	*Kuori*	Cortex.
Polotnó	*Paltina*	Linteum.
Igo	*Ike*	Jugum.
Vihr (turbo)	*Vihuri*	Flatus quidam celeriter exoriens.
Muravèj	*Muurainen*	Formica.
Porób	*Poro*	Cinis (inprimis calidus).
Rósga (virga)	*Ruoska*	Flagellum.
Tavar	*Tavara*	Thesaurus.
Oknó	*Akkuna* l. *Ikkuna*	Fenestra.

Plura non addimus. *Olonecensis* autem illa Dialectus (quam ex parte nostros etiam Carelios, maxime qui Graecae profitentur

terea aliis non adhibetur. Quumque ad lingvae patriae cum cognitionem pleniorem atque accuratiorem, tum culturam feliciorem adjuvandam, haud parum conferre videatur, ut in harum Dialectorum indolem diligentius inquiratur, et peculiares earundem leges atque formae indicentur; non ingratam doctis popularibus nos rem praestituros putavimus, si hujus operae primas quasi lineas ducentes, materiam at-

---

Ecclesiae doctrinam, imitari observavimus), non modo peculiaria quaedam habet verba (Russis saepe debita, aut his impertita?) et significationes communium nobiscum vocum peculiares sed etiam vocum pronuntiationem amat a nostrorum more admodum diversam. Sic literas B, D et G, caeteris Fennis (maxime Savonibus) aut parcius usitatas aut omnino ignotas, cupide adhibent (nominibus abundantes, qualia sunt *Imbi, Obota, Kolbiza)* atque diphthongorum loco, nostris familiarium, easdem (praecipue G loco τῶν U ante liquidas L vel R) frequentant; dicentes ex. gr. *Kagla, Nagla, Tagla, Nagris, Niegla, Siegla, Kegri* (l. *Kakla, Nakla, Takla, Niekla, Siekla, Nakris, Kekri)* pro *Kaula, Naula, Taula, Nauris, Neula, Seula, Käyri; liiga voida* pro *likaa voita.* In quo more, a nostrae vernaculae indole prorsus abludente, *Estones* quoque Olonecensibus suffragantur: quibus pro *aika* (tempus) dicitur *Aig* vel *Aeg,* pro *Hevonen,* Hepo l. Heponen (Equus), *Hobbo, Hobbone* vel *Obbone;* pro *Poika* (filius) *poeg* vel *poig; Vihma Saddab* (pluit) etc. Sed ut ad Dialectum Olonecensem revertamur, cum ad ejus morem quaeritur: *Maltatkos (n. pagista) Aunus Kieli?* (Scisne loqui Olonice?) prioris verbi significatio a nostro usu recedit, alterum et forma et significatione peregrinitatem redolet; quibusdam tamen Savonibus etc. ignotum non est, qui pro *Pagizen* l. *Pngisen,* illud efferunt *Pakisen (Pakisin parin sanoa,* pauca verba locutus sum); unde formatum est nomen *Pakina,* sonus, sermo, inprimis garrulus, quod manifestam cognationem habet cum Lapponum *Pako,* Sermo. Sed non licet diutius his immorari.

[6]) Cujus rei caussa haec quidem prima est, quod illud carminum genus a Savonibus (eorumque congeneribus) inprimis excultum atque frequentatum est, ac hodieque adhibetur: quare praestantissima exempla, poëtis nostris praecipue imitanda, hac Dialecto concinnata reperiuntur. Unde etiam aliarum provinciarum homines, qui in hoc genere colendo industriam collocant, illorum lingvam imitantur. Deinde illa Dialectus est ad hoc poëseos genus multis nominibus maxime adaptata, cantuique

que incitamentum aliis, studium huic rei consecrandi neque otio neque opportunitate destitutis, illam copiosius atque accuratius persequendi atque perficiendi praeberemus; in quam non nisi obiter et sparsim praestantissimum nostrum Grammaticum VHAELIUM (reliqui ne attigerunt quidem) in opere suo, quod nempe mancum et imperfectum (morte auctoris interveniente) ad nos pervenit [7]), aciem intendisse, dolendum est.

§ II.

Primum igitur pauca de *Dialecto Savonica*, ut literis hactenus minus celebrata, afferemus; postquam antea monuimus, exspectari haud posse, ut per omnes illarum provinciarum partes, quarum sermonem ad hanc maxime Dialectum accedere significavimus, usquequaque sibi sit similis, aut omni respectu semper constans. Abit igitur illa a con-

---

et metro egregie favet: quod facile et animadverti et doceri potest.

[7]) Post mortem Auctoris, Vidua ejus ex schedis mariti librum suis edendum sumtibus curavit, operam sibi; ut remur, ministrante successore postea *Vhaelii* in munere (Pastoris Ecclesiae Ilmola) *Gabriele Peldan*, cujus manu variis allatis Annotationibus (in textu etiam impresso deinde comparentibus) exaratum est exemplar manuscriptum, quod Bibliotheca nostra possidet Academica. Instituerat autem Professor tum Aboënsis, postea Episcopus primum Borgoënsis et deinde Scarensis, Rev. DANIEL JUSLENIUS, Lingvae Fennicae et cultor diligens et aestimator idoneus, suis *Vhaelii* hanc Grammaticam illustrare observationibus (Cfr. praef. *Lex. Fenn.* § 4), doctissimis sane et egregiis: quod vero consilium cum viduae et amicis quibusdam Vhaelii (cum assertis viri egregii, quocum et amicitiam coluerat et commercium epistolicum diu continuaverat, licet vel meritis vel laudibus ejus nihil profecto detractum vellet, nos semper assentiri se posse, candide significasset) displicere comperisset, ab instituto (non sine gravi sane jactura litteraturae nostrae) abstitit, unicam etiam plagulam quae typis commissa fuerat, adeo perire passus, ut rarissima facta sit, cujus nempe vix nisi unicum illud exemplum jam superest, quod Bibliothecae Academicae intulit Dn. Praeses.

svetudine. reliquorum Fennorum, primum copia nominum atque verborum his ignotorum aut inusitatorum haud parva, quae ut et caeterarum Dialectorum copiae [1]), in Lexico lingvae nostrae accurato et locupleti (cui concinnandae materiam praeclaram laudatissima diligentia congessit [2]) vernacularum literarum, dum in vivis esset, cultor, et amicus studiosissimus, Plur. Reverendus M. CHRISTFRIDUS GANANDER, Sacellanus in *Frantzila* Paroeciae *Siikajoki*, meritissimus, morte immatura rebus humanis ereptus) studiose notari debent, sedibus suis simul diligenter indicatis [3]). Alienum a praesenti esset instituto, si eorum longum afferre indicem nunc aggrederemur, ratione eo minus probanda, quod

[1]) Nempe ut quae jam in libris nostris adhibetur lingva, ex variis diversarum Dialectorum copiis sensim coaluit; ita eadem adhuc via eandem porro ditandi patet. Neque hactenus ulla ita vilis habita fuit Dialectus, ut inde prudenter opes augere communes non licere putetur. Quare colligendae hoc consilio divitiae nostrae diligenter sunt lustrandae atque custodiendae.

[2]) Multorum annorum labore congestum atque dispositum opus, voluminibus constans (non aeqvalis omnibus molis) IX, in in forma quam dicunt 4:ta, ante mortem transmisit Dn. Praesidi, (qui opes hujus generis communicando, amicorum inprimis benignitate sibi undique transmissas, laudabile illius consilium pro virili promovere studuerat) typis illud publicandi operam expetens. Quod nequaquam consilium seponere huic animus est; licet et alia in antecessum comparanda subsidia sint, et operi ipsi perficiendo atque studiose concinnando manus adhuc sint admovendae assiduae, quarundam Dialectorum opibus porro conquirendis, phrasibus partim addendis, partim recidendis, significationibus sollicite constituendis, earum fontibus et varietate persequenda, atque quasi genealogia exponenda, etc. Hunc interim Lingvae nostrae Thesaurum in Bibliotheca Academica asservandum ut curaret, donec edendi contingeret opportunitas, res ipsa svasit.

[3]) Hujus consilii oblitum esse collectorem Thesauri L. Fenn. nuper laudati diligentissimum, cui ejus exsequendi neque opportunitas defuit neque vires deerant, merito dolemus. Multum enim haec res et molestum nunc poscit laborem, sine quo tamen utilitati Lexici, in tanta Dialectorum nostrarum, etiam quoad vocabulorum usum, varietate, multum decedit.

non omnia ubique locorum, ne per Savolaxiam quidem et Careliam, in usu sunt, alia contra per totam fere jam Finlandiam, literarum auxilio, sensim innotuerunt. Itaque pauca adduxisse exempla, sufficiat. Talia sunt *Uxi* janua, *Usma* l. *Usva* nebula, *Osma* gulo, (Järf, Filfras) *Keralla* (praepos.) cum, etc. Sed praestat, (ut hujus dialecti ubertas, quamque insignem vernaculae ditandae opem afferat, eo clarius pateat), Lexico in auxilium adhibito, vel unius literae seriem sequi; quo consilio deligere placuit initium literae R, fortuito illam sese nobis offerentem:

Raan (Raadan) vehementer (usque ad lassitudinem) laboro *(Uhmaan)*, colo (terram). Cognatum verbo *Raatelen*, discerpo. *Raata maata* terram colere. *Raatet* silva caesa atque exusta, sementi faciendo praeparanda, Swedjeland, Jordbruk. *Raanan* nimio labore fatigo. *Raanata ruumistansa* fatigare corpus suum. *Raanaun* nimis fatigor. *Raanaunut* labore modum excedente exhaustus.

Raakku testa conchae.

Raako (Raakila) fructus immaturus.

Raahin (Rahdin) sustineo nănnas (id. ac *Raskin* l. *Raskitzen*). *Ei rahi* năns ide.

Raamastan (Raavastan) aperio ventrem avis etc. viscera et sordes inde auferens illumque purgans.

Raappana (Suo-kurpu, Suo-vares), Scolopax, avis genus.

Raavas pecus, et *Rahvas* populus, hominum coetus, quae verba male interdum confunduntur. Dicitur nempe: *Raavas Mies* (pro *Rahvas, Rahvaan Mies)* adultus vir. *Käske raavasta sisälle* etc. it. *Rahva* Adj. magnus, immensus: *Rahva maailman rakennus*, immensa mundi fabrica.

Raavilo tignum in tecto.

Rahon (repiän) ex. gr. *lehtiä puista*, rapio, decerpo decutio.

Rahtu (Ratzu, Radzu) equus instratus. Unde *Ratzas mies*, *Ratzastaja*, *Ratzain* et *Ratzus* Eques; *Ratzastan (Rattastan)* equo vehor (it. freno), *Ratzastaminen*, equitatio, *Ratzastin* frenum, et *Ratustimet* frena etc. *Ratzain* (Ratza-

hin, *Rattahin)* equitando, til Häſt. Conf. *Ratas*, rota et inde *Rattaat*, Cisium.

Raavon (Rapaan, Rapoan, Rapajan) subito ferio ex gr. frumentum, ſlår i wägg. *Kuin ma rauvalla (Raudalla) rapajan*, ubi ferro celeriter ferio. It. *Aita rautanen rapaak (rapajak)* sepem ferream subito extrue. *Tauti rapaisi minua* (rapais tunnongin pois), subito me incessit (etiam sensum mihi subito ademit). *Rapaus* Morbus subitus.

Rapain undarum in mari subito exoriens aestus.

Rapahdan (Ravahdan) fundor (instar pinguedinis igni admotae). *Rapahdun* (l. *Ravahdun)* fundor ita ut prorsus effluam. *Rapaun*, fundor, solvor. *Rapuan* ungo etc. etc.

Inter verba autem, quibus haec Dialectus abundat, ei peculiaria, multa sunt usus egregii et ad lingvam communem nostram locupletandam aptissima; quorum pars quidem jam (per Carmina maxime, et scriptorum studium) latius cognosci et adhiberi coepit, sed insignis tamen copia intra patrios adhuc quasi fines inclusa mansit, quae sensim, magno lingvae nostrae lucro, in communen usum, debito judicio et diligentia, ut lectoribus nimis molestum non creent negotium, adhibitis, scriptorum et poëtarum inprimis opera adducere licet [4]).

§ III.

Deinde, praeter *Synonymorum* copiam, quam scripturis haec Dialectus plenius cognita offert [1]), poëtis maxime gra-

[4]) Horatii nempe hic observandum est praeceptum: *Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum (Art. Poët. v. 47 seqq.)* et quae alia ibidem praeclare monet.

[1]) Inepta illa lis, an in ulla lingva verba habeantur plene Synonymica? facile dirimitur, si ex pluribus dialectis plerasque lingvas, (quales quidem in scriptis, et a cultioribus hominibus adhibentur), coaluisse, memineris. Qvis v. g. dubitare possit, quin herbarum, animalium, variorum instrumentorum ruralium etc. nomina varia, in variis provinciis primum usitata, ac deinde

tam [2]), verborum caeterum neque aliis Dialectis ignotorum peculiares frequentat significationes [3]), illis qui loqventes recte intelligere Savones volunt, diligenter notandas, quamvis his (si pueros fortassis ac foeminas, quod idem de multis quoque valet Dialectis Svecicis, ex. gr. Darlecarlica, excipias) sensum tuum, lingva utens Fennica communi (qualis in *Bibliis* et reliquis adhibetur scriptis Ecclesiasticis, *Libro Hymnorum*, *Catechesi* etc.) satis plerumque reddere possis apertum. Maximam autem peculiaris vocabula *Pronuntiandi* ratio [4]), inprimis ob sonos quarundam vocalium crassiores et nonnullarum consonantium devitationem per-

---

in communiorem usum sensim transeuntia, vere Synonymica sint? Ex. gr. nostrorum *Luhdikka*, *Mesi-marja*, *Mesi mansikka*, *Maan-Maarama*, Rubus arcticus; *Maarama* l. *Maaran*, *Vaarama*. *Vaapukka*, *Vattu*, Vatikka s. *Vatukka*, Rubus idaeus (quod idem nomen Savones Rubo etiam arctico tribuunt): *Kamppi* vel *Oma* Gulo; *Kirvinen*, *Kirviäinen*, *Kiuru*, *Leivonen* l. *Leivo* Alauda: *Jyräs* (Satac)., *Junga* vel *Junkka* (Savon.) *Unka* (Ostrob. Austr.), *Rahnus* vel *Rahno* (Nyl.), *Pölkky* (Ostrob., Bor.), instrumentum quo terra aequatur cylindricum, quodque agricolis in usu est, wält. Sic *Räppänä* Tavastorum idem fere est ac *Lakeinen* Savonum, foramen in tecto per quod fumus emittitur: *Navetta* l. *Navetto* (Ostrob. et Sav.), *Ometta* l. *Ometto* (Tav.), *Pihatto* (Ab.) et *Läävä* l. *Leäävä* (Car.), Bovile; sic *Sairas*, *Potovainen (potilas)*, *Kipiä* aegrotum significat; *Pieni* (Diminut. *Pienukainen* l. *Pienykäinen)*, *Pikku*, *Pisku*, *Pikkainen* l. *Pikkuinen* (Dimin. *Pikkarainen*, *Pikkuruinen*, *Piskainen*, *Piskuruinen)*, *Vähä* (Dimin. *Vähäinen)* parvum; etc. Quin autem talis Synonymorum copia et ad variandam orationem, et saepe ad numeri ac metri facilitatem, vehementer prosit, nemo dubitat.

[2]) Inprimis in Lingva Fennica, ubi praeter metri observandi commoditatem, parallelismo illi sententiarum adhibendo prosunt, quem Carmina Runica postulant, quique ad praecipua eorum refertur ornamenta.

[3]) Sic *Haastan*, quod aliis Fennis *provocare*, *minari*, Savonibus simpliciter *loqui* denotat; *Rihma* Savonibus *filum lineum* tråd, (caeteris *Langa*, quae vox illis est *filum laneum)* aliis *taeniam* band, (Savonibus *Nauha*, quod vocabulum reliquis *lorum* valet) significat; ut sexcenta alia taceamus.

[4]) Sic *Fenestra* Savonibus est *Ikkuna*, reliquis Fennis *Akkuna*.

petuam, huic Dialecto peregrinitatis speciem mox affert. Quae paullo accuratius exponenda sunt. Huc igitur pertinet primo, quod E breve in casu Nominativo plurali Pronominum Demonstrativorum convertunt in Diphthongum *Yö*, dicentes *Myö*, *Työ*, *Hyö*, pro *Me*, *Te*, *He*, quam Diphthongum etiam Y longo aliquando substituunt, dicentes ex. gr. *Myön*, *Myöskennellä*, pro *Myyn*, *Myyskennellä*. Deinde A longum crasso valde sono diphthongico efferunt, fere ut *oaa*, maxime in primis vocum syllabis, quibus nempe accentus quoque accedit: Ex. gr. *Moaa*, *Hoaapa*, *Hoaastan*, *Patoaa* (accus.), *Taivoaasta*, *Omoani*, *Manoan*, *Takoa*, pro *Maa*, *Haapa*, *Haastan*, *Pataa*, *Taivaasta*, *Omaani*, *Manaan*, *Takaa;* qui mos pronuntiationem valde reddit agrestem et quodammodo immanem. Saepe etiam, in fine vocum, A et E breve mutantur quasi in O [5]), ex. gr. *Sulo* pro *Sula*, *Tulemmo (Tulemma)* pro *Tulemme;* sed imprimis E longum, quo terminantur tertiae personae Indicativi Activi, in o aut ö longum [6]) (prout vocalis praecedens vel *durior* fuerit, ut a, o, u, vel *mollior* ut e, ä), commutatur. Ex. gr. *Potoo* pro *Potee*, *Tuloo* pro *Tulee*, *Menöö*, *Tekköö* etc. Nec differentiam inter E et Ä, quam reliqui Fenni diligenter adeo observant, satis subtiliter vulgo exprimunt, dicentes fere *täköö* pro *tekee*, *Sy'ämmän*, *Syömmä* (vel Syömmö) *Olämma* vel *Olämmo*, *Tulän*, *Tulämmä* l. *Tulämmo*, pro *Sydämmen*, *Syömme*, *Olemme*, *Tulen*, *Tulemme*.

§ IV.

Nec parum dissimilis sororibus suis facies huic Dialecto inde nascitur, quod Consonantes B, D et G, illis, licet rarius, aliquando tamen, commodioris et svavioris pronun-

---

[5]) Amantes igitur ex. gr. *Emo*, *Neito*, *Kantelo*, *Oro*, pro *Emä (Emi)*, *Neitzy (Neihty, Neihti, Neity, Neiti)*, *Orhi (Orih, Ori, Oris)*, *Kantele (Kandele)*, etc. inde etiam Diminutiva facilius formant: *Emoinen (Emonen)*, *Neitonen* (pro *Neitynen*, *Neitzyinen*, *Neitzykäinen)*, *Oroinen (Oronen)*, *Kanteloinen* (etiam *Kantelvoinen)* etc.

[6]) Cfr. Vhaelii *Grammat. Fenn.* § 9 p. 17 sq.

[illegible] B [illegible]

[illegible] [3]) [illegible]

[illegible] igitur [illegible] utique [illegible] idem [illegible] evitandum [illegible] *Puguu* [illegible] *Veen* [illegible] [illegible] ut [illegible] plerum [illegible] *Mato* [illegible] aut [illegible] (a [illegible] (pro [illegible] seminat [illegible] aut [illegible] (vel [illegible]

[illegible] mor[illegible] svariore [illegible] utque [illegible] (pro [illegible] aegre [illegible] lingvam [illegible] pro illo [illegible] imitantur [illegible] substituunt L [illegible] ante N) [illegible] dicendi [illegible] observant [illegible] *Viela*[illegible] ut illud [illegible] *Syo*[illegible] [illegible] pro *Tahdon*. [illegible] illud durum [illegible] (in quibus Sa[illegible] incomm[illegible] *Tuuon*, *Kahen*, *Kaure*[illegible] *Tuuron*, *Kah*[illegible] more dicunt *Tahi*[illegible] vel *Tuuron*, *Kah*[illegible] vel *Mauran* [illegible] *Kaurexan*, *Ma*[illegible] vel *Pohrin*.

[illegible] *Ombi*, *Saurembi*, *Ambua*, [illegible] *Kandura*, *Kandanut*, [illegible] *Langan*, *Sangari*, *Sangarin*: etc. In qu[illegible] pronuntiantur, paullo tamen mol[illegible]or observ[illegible] quam si *Ompi*, *Saurempi*, *Ampunat*, *Kantau*[illegible] *Sankan*, *Lankan*, *Sankarin*, etc. dicatur: nec incons[illegible] tes, si paullo molliori pronuntiationi aures hominum [illegible] quantum fieri possit, sensim adsvefiant: quod aliis qu[illegible] gvis, culturae beneficio emollitis, accidisse reperimus: [illegible] diphthongorum etiam copiam, ut in Latina lingva, sensi[illegible]

[3]) Etjam saepe ante vocales: *Ut Odotan*, *Pöy*[illegible] *Kaa*[illegible] [illegible]*an*, *Tuodaan*, *Pidetään*, *Tiedän*, *Sydämmen*, *Pidin*, [illegible]*un*, *Lugun* etc.

Totuuden, *Kuuden*; aut dissolvens diphtongum, vocalium, ex quibus constat, priorem producit, posteriore abjecta [4]), ut *Syyään*, *(Syyvään?) Juuaan (Juuvvaan?) Tuuaan*, *(Tuuvvaan?) Viään*, *(Viijään)*, *Tiijän*, (pro *Syödään*, *Tuodaan*, *Juodaan*, *Viedään*, *Tiedän)*, aut posteriorem in Consonantem mutat affinem: *Neijet*, *Noijat*, *Voijeltiin*, pro *Neidet*, *Noidat*, *Voideltiin*, (a *Neiti*, *Noita* et *Voitelen)*.

[4]) Ad quem fere morem etiam diphthongos *Au*, *Eu*, *Ou*, litera Consonante (T vel P) inserta saepe dissolvunt, dicentes ex. gr. *Atra* pro *Aura*, *Petra* pro *Peura*, *Kopra* pro *Koura*.

OBSERVATIONES
CIRCA HISTORIAM DENARII PETRINI IN SVECIA.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBJECERUNT

HENR. JOH. MECHELIN et JOH. GUIL. TUDERUS.

Aboae 1802.

---

§ I.

Inter infinitas fere alias artes [1]), pecunia credulos nostros majores emungendi, quas olim impudentia Curiae Papalis adhibuit, sic dictus *Census* sive *Denarius beati Petri* eminet, genus tributi annui, ipsius quidem summae magnitudine, quae olim ex Patria nostra Pontifici Romano quotannis redibat, non maximum, sed antiquitate tamen commemorabile, necessaria perpetuaque illud pendendi lege grave; ac dominationis ab una parte superbae, humilisque ab altera obsequii specie turpe atque acerbum. Mature hoc onus fidelibus imponere conatos fuisse Episcopos Romanos constat [2]), simplicitate allectos Christianorum, ex paganismi tenebris in crepusculum novae superstitionis nuper translatorum, quibus callide persvaderi curabant, Cathedrae a Petro, Apostolorum Principe, constitutae singularem et venerationem et benignitatem ab omnibus fidelibus deberi. Prima autem vestigia succedentis eis ex sententia hujus consilii, annuum tributum a Regnis populisque alioquin liberis eliciendi, in Historia Anglica reperiri, homines eruditi docent [3]); quod exemplum alii deinde populi sensim imitati sunt. Neque tamen primo nisi spontaneum fuit subsidium (quare

---

[1]) Quas acri imprimis perstringit calamo Nob. Botin *Beskrifn. om Svenska Hemman och Jorda Gods*, II Del. III Cap. 3, 4, 5 §§. Neque eandem graphice depingere impudentem callidamque avaritiam negligit Nob. Lagerbring in *Hist. Regni Svec.* T. II et III passim.

[2]) Cfr. Schroeckh *Christl. Kirkengesch.* XIX Th. p. 135, et XXVIII Th. p. 76 sqq. Diss. *de Denario b. Petri*, hic Aboae, Praeside Alg. Scarin, a. 1737 editae § VII sqq.

[3]) Auctores proxime laudati. Cfr. Du Cange *Glossar. ad Scriptores mediae et infimae Latinitatis*, voc. *Denarius S. Petri.*

etiam *Eleemosynae* nomine solebat designari [4]), partim ad inopiam sublevandam juventutis literarum sacrarum discendarum caussa Romam profectae, partim ad res Ecclesiae Romanae (tanquam reliquarum parentis et principis) adjuvandas collatum atque illuc missum [5]); quod succedente tempore ac superstitiosa Romanae Sedis veneratione sensim aucta, debiti instar exigere atque etiam extorquere, Pontifices non dubitabant: imperium non sacrum tantum sed etiam civile quoddam, in totum orbem Christianum sibi arrogantes, cujus hunc quoque censum tanquam signum quoddam atque fructum spectari volebant [6]). Ex originis autem suae ratione evenit, ut aliis in populis atque terris alia hujus tributi pendendi obtineret consvetudo, partim pro diversa gentium fortuna, partim pro conditionibus diversis quibus illud pendendum in se receperant [7]), discrepans. In Svecia quo tempore, qua ex caussa, quaque lege primum conferri sacer hic census coeperit, accurate definire hodie aegre licet [8]). Non pauci tempore jam *Regis Olavi Skötkonung*, ideoque mox inter ipsa initia Religionis Christianae in patria nostra dominantis, hunc morem (primitus admodum licet precarium) irrepsisse, haud absurde disputant [9]): quorum rationi non modo plerorumque primorum

[4]) Vid. Du Cange l. c. Cfr. Örnhjelm *Hist. Svеonum Gothorumque Ecclesiast.* L. III, C. VIII § 47 sqq.

[5]) Du Cange et Schroeckh l. l. c. c.

[6]) Cfr. Scarin l. c. § X, XI, p. 18 sqq.

[7]) In Anglia erat severissimum et onerosissimum, unde Pontifices ad eundem morem aliis quoque populis illud injungere tentabant, non aeque felici ubique successu, ut ex sequentibus apparebit.

[8]) Cfr. Scarin l. c. Diss. II § VI p. 39 sq.

[9]) Örnhjelm l. c. (Cfr. Messenius *Scond. Illustr.* T. XV p. 15, ad a. 1020.) Argumentum autem, cui, ex cognomine Regis *Olavi, (Skautkonung, in sinu gestati*, ob infantilem suam aetatem, cum Rex eligeretur, ducto), idem Messenio duce *(Scond. Illustr.* T. XII p. 41) innititur, putans paganos eum, ob tributum hoc Papae Romano concessum, per contemtum vocasse *Skottkonung*, quasi *Tributarium*, totum inane atque fictum est. Neque Scarini disputatio (l. c. Diss. II § VII p. 41 sqq.) quidquam

illorum Doctorum ex Anglia (ubi idem mos jam invaluerat), ortus atque ad nos adventus admodum favet, sed etiam auctoritas Capituli concinere videtur Upsaliensis, cui negotium exigendi hujus tributi Pontifex demandaverat, quodque literis ad hunc datis testatur: *Mox ut rex et incolae regni ejusdem* (Svéciae) *colla sua jugo fidei submiserunt, seipsos constituerunt Sedis Apostolicae censuales, censum qui dicitur Denarius b. Petri de foco quolibet annis singulis exsolvendo* [10]). Sententia igitur virorum doctorum [11]), qui opera demum Cardinalis Albanensis, atque in concilio sive Comitiis Lincopiae circa medium seculi XII congregatis, hoc tributi genus fuisse in Svecia primo constitutum asserunt, ita fortassis est temperanda, ut in eo denique concilio, solenni quodam populi Sveo-Gothici consensu vetus mos fuerit confirmatus? Valde igitur a vero aberrant, manifestissimisque rerum testimoniis repugnant Baazius [12]), et Bankius [13]), qui patriam nostram turpe hoc Paparum ju-

huic hypothesi addit ponderis. Cfr. a Celse *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I p. 34, qui merito ad consensum monumentorum antiquiorum, contrarium docentium, provocat.

[10]) Vid. edita a Dn. Praeside *Accessio ad Recensionem Celsianam Bullarii Romano Sveo-Gothici*, p. 126. Nescio an haec commode referri possint ad gesta Cardinalis Albanensis, et Concilium Lincopense, sesqui seculo antequam haec scriberentur celebratum, postquam inde per sesqui seculum jam Rex et magna pars Populi Christianam fidem professi fuerant? nisi tum demum, cum Hierarchiae ratio per decreta illius concilii stabiliorem nancisceretur formam, eosdem *colla sua jugo fidei submisisse*, satis profecto ingenue, auctores Epistolae significasse, existimes? Quum jam a. 1140 Papa Paschalis II Archiepiscopum Lundensem admonuerit de more census b. Petri pendendi, per *aliquod tempus in Dania intermisso;* aegre credas, nihil fuisse in Svecia de eo exprimendo, ante a. 1152 tentatum? Ac ipsa illa differentia insignis, quae inter rationem tributi hujus in diversis Regni provinciis pendendi obtinuit, indicare videtur, non eodem tempore, aut communi decreto, fuisse introductum.

[11]) Vid. Lagerbring l. c. T. II, C. V, § 115. a Celse l. c. p. 34, § XXVIII.

[12]) *Inventar. Ecclesiae Sveo-Goth.* L. I, C. XII, p. 144.

[13]) Laur. Banck *de Tyrannide Papae*, p. 418 sqq.

gum passam omnino non fuisse, contendunt [14]); neque minus (ut in sequentibus docebitur) hallucinatus fuit vir doctissimus, qui illud gravius majorum nostrorum quam vicinorum Danorum incubuisse humeris, existimavit [15]).

§ II.

Quod ad magnitudinem pecuniae attinet, a civibus hujus census nomine olim pendendae, eam hodie non est facile definire. Multis quidem constat certisque testimoniis non ut in Anglia [1]), ab homine quovis, (quem morem apud nos quoque Pontifices, sed frustra, introducere tentarunt [2]), sed a quovis patrefamilias [3]), neque illo nisi fundi simul

---

[14]) Cfr. SCARIN l. c. Diss. I, § IV, p. 30 sqq. et NETTELBLADT Diss. *de Episcopis Regni Svionici Romano-Catholicis*, in EJUSD. *Schwed. Bibl.* P. III, § X.

[15]) SPITTLER in Diss. *de Regnis septentrionalibus Sedi Romanae olim censualibus*, (a R. Societate Scientiar. Daniae praemio ornata); cfr. SCHROECKH. l. c. T. XXVIII, p. 78.

[1]) DU CANGE l. c. idoneis docet testimoniis, ibi *neque Regem, neque Archiepiscopum, vel Episcopum, vel Priorem, aut quemlibet de regno, ab ejus solutione fuisse immunem;* dare autem debuisse *unumquemque qui haberet feminam, unum Denarium, et qui non haberet, unum Obulum, praeter Francalanos* (h. e. ut in hac voce idem explicat, *qui liberum tenementum possiderent).*

[2]) Sic commiserat Papa Archiepiscopo et Capitulo Upsaliensi, ut Denarium *a quolibet humano capite* exigerent; cui illi morem leniorem, in hoc regno receptum, opposuerunt. Cfr. A. CELSE l. c. p. 121, et LAGERBRING l. c. T. II, C. XIII, § 18 p. 402. Itaque temere MESSENIUS l. c. affirmat, Anglorum exemplo apud nos quoque obtinuisse, ut „*per universas regni ditiones quilibet homo, trium marcarum, praeter vestes et arma possessor, unum quovis anno contribueret nummum.*“ A quo in eundem errorem se induci passus fuit SCARIN l. c. Diss. III, § 3 p. 7.

[3]) De *foco quolibet* (hwarje Röf?) ut habent Literae Capituli Upsaliensis, (ad Papam Johannem XXII, circa initium saeculi XIV, datae) supra citatae ex *Access. ad Recens. Bullar. Celsianam*, p. 126.

possessore atque agrum colente [4]), Denarium hunc quotannis fuisse solvendum. Sed qualis nummus quantique pretii is fuerit, dubium videtur. *Örtugam* (Örtug) sive tertiam *Orae* (Öre) partem, vulgo *Denarium* Latine olim fuisse vocatam, satis constat [5]); quae hoc semper nomine apud BRENNERUM inde significatur [6]). Tales *Ortugae* XXIV *Marcam* Argenti (*Thalerum* fere *Imperialem* hodiernum) circa medium seculi XV valore aequabant, antiquioribus temporibus multo majoris, recentioribus autem minoris erant pretii [7]). Cujusmodi Denarii pars dimidia, *Semidenarius* vel *Obolus* (Half-Örtug, Fyrk) audiit, octava autem pars (cujusmodi XXIV Oram, CLXXXXII Marcam implebant), *Penningus* (Penning) dicebatur [8]). Hujus igitur valoris Denarius (Ortuga) si quo-

---

[4]) In responso igitur Archiep. *Hemmingi* et Capituli Upsaliensis ad Actionem *Johannis Guilaberti* (vid. LAGERBRING et A CELSE l. l. c. c.) dicitur, „quod *Rustici, qui in dioecesi Upsaliensi colunt et seminant in anno denarium integrum monetae in regno currentis solvant*, (LAGERBRING l. c. p. 403, not. 2 habet clarius: „dant et conferunt in illo anno pro se et tota familia suae Domus unum denarium integrum monetae in regno Sveciae communiter currentis"), *quamvis in aliis suae dioecesis provinciis* (LAGERBRING planius et commodius, an ad fidem exempli originalis accuratius? „qvamvis in aliis dioecesibus Provinciae Upsaliensis"), *non conferant nisi Obulum, sive medium denarii dictae monetae; aliis vero qui non colunt nec seminant, non consvevisse* (LAGERBRING commodius: „alii vero - - - non consveverunt") *dare istum censum.* Inquilini itaque, operarii atque opifices omnis generis, ab hoc tributo solvendo erant immunes. Urbium incolae, agris carentes, nondum multi in Svecia reperiebantur.

[5]) BRENNERI *Thesaurus Nummorum Sveo-Gothicorum*, Praef. pag. penult. „*Ortugae, quos nummos olim nostrates Latine vocarunt Denarios.*"

[6]) In opere laudato.

[7]) Cfr. BOTIN *Jämförelse imellan mynts och varors värden i Sverige* (Stockh. 1771) et HALLENBERG *Hist. afh. om Mynt och Varors värde i Sverige under K. Gustaf I:s Regering*, (Stockh. 1790).

[8]) Vid. BRENNER, BOTIN et HALLENBERG l. l. c. c.

tannis pendebatur (2 circiter hodierni nostri Skillingi, medio seculi XV, antea plus), grave sane pro illorum ratione temporum atque in illa pecuniae raritate, erat tributum [9]).

§ III.

Sed alium longeque minorem Denario [1]) huic valorem tribuit ÖRNHJELM, qui ea voce *Penningum* (24 partem Orae) significari autumat [2]), *Ortugam* vero *Solidi* nomine (nescio an veterum consvetudini satis convenienter?) appellat [3]). Favet huic rationi, quod Ortugas non ante medium seculi XIV cudi coepisse, antiquitatum nostrarum consulti docent; ad quam usque aetatem nullam fere aliam pecuniam quam Penningos (et Semi-Penningos) in patria fuisse signatam,

---

[9]) Hoc inprimis ex mercium aliarum cum pecunia existimari potest collatione. Sic observat BOTIN, in Lege Dalica, *Anserem Semi Penningo*, *Vitulum* qui octiduum aetatis impleverat *Penningo* aestimari (l. c. p. 9); initio seculi XIV (circa a. 1335), *Vacca* 12 *Oris*, *Ovis* 1 Ora cum triente (8 penningis), libra *Butyri* et *Carnis Suillae* 3 penningis emebatur, et s. p. (ib. p. 20 sq.) *Denarium* tamen *S. Petri*, quem apud Anglos singuli homines pendere cogebantur, ipse asserit LAGERBRING (l. c.) valore nummos (nuperos) VI Orarum aequasse; cui si Denarius nostrorum Petrinus aequipollebat, totus ejus huic rationi superstructus de multitudine incolarum in Svecia olim viventium calculus atque disputatio, ibidem legenda (nec alioquin firmissimis, pro nostro quidem judicio, nixa fundamentis), corruit. Neque mirum videbitur, si tantae hic census fuit gravitatis, eum reluctantius, neque aut constanter aut accurate satis, fuisse solutum.

[1]) Cujus vocabuli, ut plerorumque aliorum ad veterem rationem pecuniariam significandam adhibitorum, admodum varium fuisse usum negari nequit: adeo ut saepe nonnisi quemcunque, in genere, nummum significasse videatur?

[2]) Cfr. EJUSDEM *Hist. Ecclesiast.* L. IV, C. VII, § 17 p. 559. Cum eo facit LAGERBRING l. c. T. II, C. XIII, § 18, p. 402.

[3]) Aegre saltem quidquam ad sententiam suam confirmandam roboris ex literis Archiepiscopi *Stephani* ibidem (p. 558) legendis accedit, qui per *Marcas* et *Solidos* numerat, sed apud quem *Solidus* sine dubio *Oram* significat?

observant [4]). Neque omnino inepte ad eandem rationem confirmandam adhiberi queat locus ex Epistola *Osteni* Episcopi Asloensis, apud PONTOPPIDANUM legenda (*Annal. Ecclesiae Dan.* T. II, L. V, C. 2 p. 248) qui a. 1395 ad suos scribit Norvegos: „Curate omnes, ut tributum Romanum „pendatis, unusquisque qui Eucharistiam accedit [5]), nume„ratum *nummum minimum qui ex inoude Regia decidit*; hanc „pecuniam Sanctus Petrus qui Romae est, possidet, ideo„que tributum Romanum (Denarius S. Petri) vocatur." Mira autem videatur, (nec fortassis nisi ex diversitate temporum et conditionum, quibus censum hunc sibi imponi passi sunt, explicari potest) magna illa diversitas, quae in illo pendendo inter incolas provinciarum diversarum Patriae obvenit: quorum alii, ut trium *Folklandiarum*, (Thiundaland, Attundaland et Fjärdundaland) h. e. *Uplandiae*, habitatores, duplo plus quam reliqui solverunt [6]), alii autem, ut in-

---

[4]) Cfr. BRENNER l. c. p. 15, et Tab. V; nec non BERCH *Beskrifning öfver Svenska Mynt*, p. 25.

[5]) Docent haec verba, acerbius in Norvegia (ubi *viritim* illud pendere debebant) quam in Svecia exactum hoc fuisse tributum, contra quam nonnulli putarunt viri eruditi.

[6]) Quam rem satis illustrat locus ex responso Archiep. et Capituli Upsaliensis contra *Guilabertum*, nuper adductus (§ II Not. [4]). Praeter *Gothiam* (Dioeceses *Scarensem*, *Lincopensem* et *Wexionensem*) neque in Svecia *Strengnesensem* et *Arosiensem*, (quamvis Episcopi, etiam in his, ab incolis integrum Denarium exigerent), nisi dimidium voluisse Romam mittere, ex querela *Nicolai Sigvasti*, Canonici Upsaliensis simulque Exactoris Apostolici, patet, qui in Epistola ad Papam saepe commemorata, scribit: „Duo sunt ibidem (in Svecia) *Episcopatus*, videlicet „*Strengnesensis et Arosiensis, de quibus non potuit habere nisi* „*dimidium denarium usualem, Episcopis praetendentibus, quod* „*ipsorum Ecclesiae plus exsolvere non consveverant ab antiquo.* „- - - Sed quoniam in tali exsolutione fraudem reputamus fa„ctam legi, et Sedem Apostolicam laesam in tanto, quod esse „non debet, praesertim *cum tantum levent a laycis illarum Dyo*„*cesium, quantum alii, qui integrum denarium exhibent* etc." (Vid. *Access. ad Rec. Bullar. Celsianam*, p. 124). Neque Gothicarum Dioecesium, neque Aboënsis, hic ulla fit mentio. An quia, licet neque illarum Episcopi nonnisi dimidium denarium,

colae *Helsingiae* [7]), et verisimiliter Finlandiae [8]), omnino nihil dederunt [9]).

---

aut adeo nihil, Papae darent, tamen *fraudem facere legi* (obligationi in se receptae) dici non possent, quia nec plus a dioecesanis suis exigerent? Vel num vocabulum *alii* plures quam Upsaliensem respicere Antistitem (quique igitur et illi integrum solvebant denarium) existimari debet? Probabile sane videtur, per totam saltem *Sveciam*, proprie sic dictam, eandem olim obtinuisse tributi hujus solvendi rationem; et quod Episcopi Strengnesensis et Arosiensis nonnisi dimidium Papae concederent (reliquam partem Ecclesiarum suarum Cathedralium usibus reservantes), cum Denarii tamen Petrini nomine integrum a laicis exigerent, abusum prodere, et audaciam illis temporibus insignem? Quod de Lincopensibus satis constat ex monumentis infra allegandis, id de Scarensibus ex querela ejusdem, quem nuper nominavimus *Nicolai Sigvasti*, (l. c. p. 126 sq.) apparet, nempe eosdem etiam Denarium S. Petri solvisse: idemque de Wexionensibus existimandum est?

[7]) *Norrlandiae* nostrae incolas, a censu hoc solvendo omnino fuisse immunes, ex testimonio Archiep. et Capituli Upsaliensis ad actionem Johannis Guilaberti, supra commemoratam (cfr. LAGERBRING l. c. p. 403, Not. 2 et A CELSE l. c. p. 18) liqvet, ubi dicitur: „Est autem quaedam regio in dicta dioecesi Upsalensi, quae vocatur *Helsingonia*, *Angermannia* et *Jampcia*, quae nunquam consvevit dare aliquid pro dicto censu, nec aliquid fuit exactum ab eisdem.“ Ex adductis a LAGERBRINGIO l. c. C. XIV, § I, Not. 4. Literis Papae *Gregorii* IX, (cfr. A CELSE p. 65, N:o 13), quibus jubet Decimas ab Helsingis sibi debitas (quas cum illi solvere denegassent, Archiepiscopus Upsal. in suppletionem ipsarum, Papae quandam transmiserat pecuniae quantitatem) accurate et severe exigi; colligi fortasse possit, harum decimarum Papalium nomine, ab incolis hujus provinciae peculiariter solvendarum, illos a censu pendendo Petrino fuisse exemptos? aut illas hujus loco fuisse iis impositas? (quod suspicari LAGERBRINGIUS videtur (l. c. p. 415). Sed primo, hujus rei in Apologia Archiep. et Capituli Upsal. saepe laudata, nulla fit mentio; deinde respici, probabile videtur, vicesimam decimarum quam pendere (in subsidium recuperandae Terrae Sanctae) atque ad Papam transmittere, ex decreto Concilii Lateranensis tota Ecclesia Latina debuit, quamque Clerus Helsingicus erogare fortassis recusavit?

[8]) In *Rationibus Receptorum per Joannem de Serrone* — et *Bernardum de Ortal* (Hortulis?) *Nuntios Apostolicos et Collectores* (ab a. 1316 ad 1319) *in Norvegia, Svecia et Gocia*

§ IV.

Mediocrem admodum summam ex hoc censu ad Cameram Apostolicam (ut aerarium suum Pontifices Romani vocabant) rediisse, vel ex supra dictis colligi potest. Neque vel totam pecuniam hoc nomine collectam Pontifici cessisse, vel accurate et constanter illam semper fuisse a nostris exactam et transmissam, credere licet. Caussa enim est putandi, trientem ejus *Fratribus Hospitalis Sancti Johannis*, hic, ut in Dania olim cessisse [1]). Romam vero ne quotannis prompte et diligenter mitteretur, cum locorum in-

---

etc. quorum exemplum ex Codice Archivi Vaticani descriptum, Generosiss. Dn. FREDENHEIM, Bibliothecae R. Acad. Aboënsis dono dedit, (vid. Praef. *Accessionis* editae a Dn Praeside ad *Rec. Bullar. Celsianam*), docetur: Fratrem *Goshalcum*, *Lectorem Fratrum Praedicatorum Fillandiae* (Finlandiae), quem Nuntii iidem ad hoc negotium in Finlandia gerendum adhibuerant, testatum, illis non renuentibus, fuisse: *De Denariis S. Petri nihil colligi in dicto Episcopatu* (Aboënsi). Cfr. dictae *Access. ad Rec. Bullar. Celsianam* p. 132, et *Annott. ad Juusteni Chronicon Episcopor. Finland.* p. 200 sq. Neque exacti hinc illius tributi, ulla apud nos vestigia hactenus reperta sunt.

[9]) Credas harum terrarum incolas, cum primum census ille Svecis imponeretur, partim nondum fuisse Christianam fidem amplexos, partim conditionem eorum tenuiorem visam, quam ut hoc onere gravari deberent? Postea autem, Decimarum pendendarum necessitati, quam Clerus inprimis urgere haud neglexit, populo reluctanti eum addere, minus visum fuisse consultum? Praeterea, aliis inventis redituum generibus, magis fructuosis, Curiam Romanam minoris hunc censum habuisse momenti; nec posteriores doctores adeo de Sedis Romanae augendis reditibus fuisse sollicitos, ac primos illos ex Anglia missos huc Apostolos existimes, quos ipsos tot impositis oneribus, quot eorum successores, illa nondum gravaverat.

[1]) *Nicolaus Sigvasti*, loco supra citato, p. 125: „Scio, in„quit, quod in Lundensi et Roskildensi Dyocesibus, *solvuntur „tres obuli, quorum unum levant Fratres Hospitalis Sancti Jo„hannis*, et duo, prout audivi pro vero a veridicis, Ecclesiae „Romanae debentur, et similiter nobiscum (apud nos?) *Fratres „praedicti partem levant.* Consveverunt enim illa tria regna in „talibus ad similia judicari."

tercapedinem atque itineris difficultatem impedivisse putandum est (Tabellariorum publicorum, Commerciorum et Cambii ratione expedita, quae hodie obtinet, nondum inventa atque constituta), tum frequentes bellorum ac seditionum procellas, internam Reip. tranquillitatem subinde turbantes [2]). Quare saepe de tarda nimis hujus tributi vel exactione vel transmissione questos fuisse Pontifices, reperimus, atque de pecunia collecta in Italiam tuto transferenda consilia dedisse [3]); quin peculiares tandem Exactores atque Nuntios, ejus impetrandi atque apportandi caussa huc in septentrionem Roma misisse. Primo quidem colligendae ejus cura, hic ut in Anglia [4]), ad Presbyteros Parochiales et cujusque Dioeceseos Episcopos pertinuit [5]). Deinde autem cum in-

---

[2]) *Idem ibidem:* „Noverit Sanctitas Vestra, quod Decimae „Terrae Sanctae indictae - - - collectae sunt et servantur in „moneta usuali, nec possunt subito utiliter commutari, quia ca„ristia auri et argenti est ibi, sed modo praecipue propter guer„rarum commotiones omnia devastantes, quae ibi saevierant mul„tis annis, - - - et ideo de ipsarum commutatione et depor„tatione major difficultas ingeritur, praecipue quia Rex terrae „*(Magnus Erici)* puer est, et principes communiter dominantur, „incedentes singuli in multitudine nimis gravi, et ex hoc pluri„mum vacillat Regni gubernaculum, nec Praelati ibi aliquam „ibidem jurisdictionem obtinent temporalem, et multi Nobiles „sunt egentes, ac propter guerras ad insidiandum et rapiendum „expositi jugiter et parati.“ Atque infra (p. 126): „Canonici „Skarensis Ecclesiae, cum dudum ex mandato - - - Archiepi„scopi et Capituli Upsalensis Denarium S. Petri ad Upsalensem „Ecclesiam deferrent, assignandum eisdem, fuerunt statim ante„quam duas leucas peregissent, summa totali quam ferebant et „rebus aliis ac equis in itinere spoliati.“ Cfr. ibid. p. 78.

[3]) Cfr. ex. g. *Access. ad Recens. Bullar. Celsianam*, p. 56 sq. 112.

[4]) „Colligebatur in festo Vinculorum S. Petri - - - a Praelatis ipsis, ut liquet ex Innocentii III. Lib. XVI, Epist. 173.“ Du Cange l. c.

[5]) *Nicolaus Sigvasti* l. c. p. 124: „Simile inveni in Dacia, scilicet quod a rusticis solvitur et per Presbiteros parochiales colligitur; collectusque defertur ad Ecclesias Cathedrales.“ In Bulla Papae *Anastasii* IV ad *Episcopos Svecos*, medio seculi XII

commodius videretur, hanc molestiam, censum Dioecesium suarum Romam mittendi singulis injungere Episcopis; uni alicui negotium symbolas reliquorum colligendi, et confectam inde summam ad Sedem Pontificiam transmittendi, committere consultius videbatur. Hanc curam Episcopo *Arosiensi* (ita ut munere quodam ordinario *Collectoris generalis, sive Sedis Romanae in Sveonia* perpetui *Commissarii* et *Thesaurarii*, defungeretur), in patria olim incubuisse, viri doctissimi asserunt [6]); frustra, ut nobis quidem videtur. Ex monumentis enim superstitibus patet, hoc officium *per Regna Daniae et Sveciae* administrandum a Papa *Innocentio* III (initio seculi XIV) commissum fuisse *Andreae* Archiepiscopo Lundensi (cf. A CELSE l. c. p. 49 sq. N:o 7); cui opem in hoc negotio perficiendo Archiepiscopus Upsaliensis tulisse videtur, (vid. Epistola Ejusd. Papae ad omnes incolas Dioecesis Upsaliensis, 13 annis serius data, A CELSE l. c. p. 54 N:o 23). Eidem curae P. *Honorium* III deinde praefecisse Episcopum *Arosiensem*, ex literis illius discimus (A

---

data (quae una cum Papae ejusdem literis ad R. *Svercherum* Seniorem eodem tempore exaratis, antiquissima sunt monumenta in quibus *Denarii* hujus *S. Petri* fit mentio) monet eos, „ut censum, quem regnum et populus b. Petro annuatim statuerat solvendum, *quisque de suo Episcopatu annis singulis colligere et Sedi Apostolicae transmittere* fideliter studeat." Habetur apud MESSENIUM *Scondiae Illustr.* T. XII, p. 93 sq. Cfr. A CELSE l. c. p. 34, N:o 2. Similiter in Epistola altera ad R. *Svercherum* et universos Proceres Svethiae missa, scribit: „Censum autem quem *in argumentum devotionis vestrae* b. Petro *de terris vestris* persolvendum annis singulis statuistis, fratribus nostris *Episcopis tribui faciatis, ut per eos Sedi Apostolicae transmittatur.*" Exhibet eam ÖRNHJELM l. c. p. 452 sq. Cfr. A CELSE l. c. p. 34, N:o 1.

[6]) MESSENII auctoritatem secuti (qui hoc pluribus locis asserit *Scond.* T. II, p. 7, XII, p. 125, XI, p. 41) SCARIN l. c. Diss. III, § IV, et A CELSE l. c. p. 34, N:o 2 (qui ad Bullam Papae *Honorii* III, 3 Non. Jan. 1221 dat. provocat) aliique hoc urgent. Ex Bulla autem illa *Honorii* nihil aliud liquet, nisi tum temporis, (ut alias aliquoties) fuisse hanc curam *Arosiensi* demandatam Episcopo, quae deinde quibusdam aliis similiter fuit commissa.

CELSE l. c. p. 58, N:o 14). Postea autem fuisse idem hoc munus creditum *Archiepiscopo Upsaliensi*, ex literis videmus ad eum P. *Clementis* V (initio seculi sequentis XIV datis), quibus de ratione reddenda pecuniae hujus a se collectae, et ea secum, ubi ad Concilium generale veniret, apportanda, monetur (A CELSE, l. c. p. 104 [7]). Ab eodem Archiepiscopo ejusque Capitulo, hujus collecti census rationes exposcebat etiam triennio post P. *Johannes* XXII (A CELSE l. c. p. 107, N:o 5 et 6, cfr. p. 108 N:o 11 et 12 [8]); nec minus *Johannes Guilaberti* (Nuncius et Collector Apostolicus), medio ejusdem seculi, ab Archiepiscopo et Capitulo Upsaliensi (nulla facta *Arosiensis* Episcopi, aut ullius suae de hoc negotio curae, mentione) ejusdem Census rationes severe exigebat (A CELSE l. c. p. 121, N:o 18). Anno 1382 *Nicolaum* Episcopum Lincopensem munus gessisse reperimus *Nuncii et Collectoris Sedis seu Camerae Apostolicae in Regno Sveciae, specialiter deputati* (Vid. NETTELBLADT *Schwed. Biblioth.* P. III p. 234); et anno demum 1396 *Nicolaum* Episcopum *Arosiensem* hac eadem dignitate *Apostolicae Sedis Nuncii atque Collectoris* rursus reperimus ornatum. (A CELSE l. c. p. 153). Vectigalibus autem Curiae Romanae ex Svecia coactis sensim crescentibus, atque ut simul accurate atque tempestive magis in Cameram Apostolicam apportarentur, operae pretium visum fuit, peculiares hoc consilio *Nun-*

---

[7]) Vi hujus mandati, Archiepiscopus *Styrberno* Episc. Strengnesensi sub excommunicationis censura injunxit, ut Denarium Petrinum per suam Provinciam collectum, intra mensem apportaret; quod cum factum non fuisset, minasque suas ille implevisset, occasionem hoc dedit Canonicis Strengnesensibus. Epistola ad Archiepiscopum missa, protestandi contra immissam ipsis, quod censum illum non erogassent, excommunicationem: regerebant nempe se hujus debiti antea non fuisse admonitos. (Vid. A CELSE l. c. p. 113, N:o 28). Videtur idem abusus in caussa fuisse, de quo querentem supra *Nicolaum Sigvasti* audivimus.

[8]) Ex hujus literis cum ad Regem tum ad Electum et Capitulum Upsaliense colligas, aegrius homines hoc tributum solvisse.

tios atque *Collectores* huc mittere [9]): quorum nomina haud pauca, monumenta nostra vetera conservarunt.

§ V.

Tales fuerunt [1]): (ut de *Nicolao* Cardinali *Albanensi*, et *Wilhelmo* Episcopo *Mutinensi*, postea Card. *Sabinensi*, nihil dicamus) *Gregorius de Crescentio, S. Theodori Diaconus Cardinalis, Apostolicae Sedis Legatus*, a Papa *Honorio III* ad terras Septentrionales circa a. 1220 missus. (Vid. A CELSE *Apparat. ad Hist. Sveogoth. Sect. I* (s. *Recensio Bullarii Romano-Sveogothici)* p. 58, N:o 12 et *Access.* ad illam (hic Aboae ed.) p. 14, N:o 28).

Guido tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Apost. Sedis Legatus, circa a. 1266 has terras visitans. (Vid. A CELSE l. c. p. 82 sq. N:o 6—16).

Magister *Bertrandus Amalrici, Canonicus Remensis et Papae Capellanus*, a *Gregorio X* circa A. 1274 missus in Sveciam et Daniam, inprimis ad colligenda ex decreto Concilii Lugdunensis subsidia pro passagio ad Terram sanctam, nempe *decimam omnium ecclesiasticorum redituum et proventuum per sex annos:* Qvem vero, ut plures suos successores, nec reliqvorum redituum Papalium recipiendorum molestiam detrectasse, verisimile est; ac de qvo, et corrasa hic per eum pecunia, (praeter LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* II Del. C. 19 § 2 et 3, p. 731—735) Vid. A CELSE l. c. p. 85, N:o 5, et p. 88 N:o 2. Hunc anno adhuc 1279 in

[9]) Qui adjungebant sibi in hoc negotio non modo Episcopos et Capitula, sed alios quoque adjutores et sub-Collectores; cujus generis Procuratores, nostrates quoque Antistites, quibus haec provincia cesserat, adhibebant: talem fuisse laudatum a nobis saepius *Nicolaum Sigvasti* reperimus (vid. A CELSE l. c. p. 108, N:o 11 et 12, et *Access. ad Recensionem hanc suam Bullarii* p. 124 et 131).

[1]) Ediderunt Upsaliae a. 1763 et 1764, *Joh. Gust. Kinberg* et *Laur. Lönner* Dissertationes II, Praeside Cel. *Ekerman, de Legatis Nuntiisque Papalibus in Sveciam missis;* quibus supplementum locuples ex indicatis a nobis hac § fontibus, haurire atque addere licet.

Svecia fuisse commoratum, Papamqve de collecto ab eo thesauro in Italiam, ex *Portu Scarensi* (fortassis *Ludosia*, Svet. Lödöse?) per Franciam tuto deferendo, curam gessisse, constat: cf. *Access. ad Recens. Bullarii Cels.* p. 56 sq. N:o 1.

Franciscus Nicolai de Tibertis, Papae Clementis V Thesaurarius, et Procurator Hospitalis S. Johannis, qvi cum *Martino de Jugulo*, circa a. 1308, pecunias conqvisitum in Septentrionem advenit (Vid. A CELSE p. 102, N:o 10).

Johannes de Serone, vel *Serrone* [2]), *Prior Fratrum Ordinis Praedicatorum de Figiaco*, et Magister *Bernardus de Ortulis* [3]), *Rector Ecclesiae S. Mariae de Novalibus*, ille Caturiensis, hic Electensis Dioecesium, de rebus procurandis pecuniariis illi qvoqve ab eodem Pontifice, circa a. 1316–1326, Nuntii in Sveciam ablegati (Vid. A CELSE l. c. p. 109 sq. N:o 16, 17, 18. Cf. *Access.* p. 74 sq. N:o 8 et p. 132).

Bernhardus de Monte Valrano, Archidiaconus Sicaloniae in Ecclesia Bituricensi, cui Nuncio suo Papam *Johannem XXII*, circa a. 1322, cum negotium colligendi *Nummi Petrini*, tum aliorum redituum camerae Apostolicae vindicatorum exigendorum, demandasse, reperimus: (Vid. A CELSE l. c. p. 108, N:o 14, et ad ejus opus *Access.* p. 73, N:o 6 et p. 132.

Petrus Gervasii, Canonicus Vivariensis, qvo idem Papa, diligens redituum Apostolicorum conqvisitor, ad negotia sua pecuniaria hic curanda Nuntio, circa a. 1328—1333, utebatur. (Vid. A CELSE l. c. p. 112—114, N:o 24 sq. *Access.* p. 78 et 132 ac *Annott. ad M. Pauli Juusten Chronicon Episcopor. Finland.* p. 200 sq.)

Johannes Guilaberti, (qvem alibi etiam *Philaberti* vel *Lamberti* vocari docet A CELSE), *Decanus Tarbatensis et Canonicus Virdunensis, in Regnis Daciae (Daniae) Sveciae ac Norvegiae, Apostolicae Sedis Nuncius et Collector omnium*

[2]) A CELSE habet etiam *Senone*, quod vitio deberi scriptionis, putamus.

[3]) An de *Hortulis?* Scribitur etiam *Ortolis* et *Ortalis*, vitiose.

(et) singularum qvantitatum, Pecuniarum, bonorum, jurium et rerum qvarumlibet aliarum, ad Romanam Ecclesiam sive Cameram Apostolicam pertinentium, Papae *Clementis VI* et *Innocentii VI* jussu, circa a. 1346—1360, hoc munere fungens. (Vid. A CELSE l. c. p. 120—127, N:o 14, 18, 21, 22, 24, 25; porro 6, 7, 8, 13, 14, 16.

Raymundus de Galancio, Nuncius Papae *Innocentii VI* circa a. 1353 ad regna haec aqvilonaria. (A CELSE p. 124, N:o 2).

Henricus Biskop, Praepositus Lubecensis, ejusdem Papae *Capellanus* et *Nuncius* a. 1360—1362. (Vid. A CELSE p. 127, N:o 16 et 20: cf. p. 128, N:o 4).

Rogerius, Nuncius Apostolicus (Papae Urbani V) circa a. 1363. (Vid. A CELSE pag. 128, N:o 4).

Guido de Cruce, juris peritus, Rector Ecclesiae S. Andreae de Exociis Mirapicensis dioeceseos, Capellanus Papae, et Apostolicae Sedis per tria regna Septentrionalia Nuncius et Collector, (denarii Petrini, etc.) circa a. 1364 ab *Urbano V* missus. (Cf. A CELSE l. c. p. 128—131, N:o 3, 6, 9—11 et PERINGSKÖLD *Monum. Upland.* T. II p. 149).

Henricus, Episcopus Slesvicensis, Nuncius per regna Daciae, Sveciae, et Norvegiae, Collector Sedis Apostolicae *(Gregorii XI)* circa a. 1372 et 1373 constitutus. (A CELSE p. 133 sq. N:o 3, 5—8). Qvi *Subcollectoribus* usus est cum *Engelberto de Oyen, Canonico Lubecensi*, tum *Henrico Velsceden, Capellano suo.* (Ib. p. 133 et 134, N:o 5 et 7).

Pileus tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Nuncius, per Aqvilonares partes, sedis Apostolicae *(Urbani VI)* circa a. 1378: qvi tamen, an ipse huc accesserit, valde dubium est. (A CELSE p. 138, N:o 3).

Johannes de Castignolliis, Abbas Claravallensis, Commissarius et Collector Apost. (ejusdem Papae) per regna Daciae, Sveciae et Norvegiae, circa a. 1380. (A CELSE p. 143, N:o 24).

Philippus de Alenconio, Cardinalis et Apostolicae Sedis Legatus a latere (Bonifacii IX) circa a. 1395: qui *Subdele-*

gato et Nuntio speciali utebatur *Dethberno Hevenstridt, Ecclesiae Othoniensis Praeposito.* (A CELSE p. 153, N:o 23).

Ludovicus de Ballionibus, Mercator Perusinus, Nuncius et Collector Apostolicus, cui, vacante licet (tempore Concilii Constantiensis) Sede Apostolica, Romanae tamen Ecclesiae et Concilii generalis nomine necessaria haec colligendarum pecuniarum cura (a. 1413—1417) erat commissa, quique *Johanne Grote, Clerico Slesvicensi,* pro *Subcollectore* utebatur. (Vid. A CELSE l. c. p. 168, N:o 3—6).

Bartholomaeus, Episcopus Coronensis, Nuntius et Orator ad Daniae, Sveciae, Norvegiae et Gothiae regna etc. pro nonnullis Papae et Romanae Ecclesiae negotiis, circa a. 1451 (a *Nicolao* V missus). Vid. *Access. ad Rec. Bullarii Celsianam,* p. 103.

Marinus a Fregeno, Nuntius Apostolicus (Pii II) pro *Indulgentiis - - - per Sveciam et alias orbis Christiani regiones specialiter deputatus,* circa a. 1460. (A CELSE p. 197, N:o 3. Cfr. Diss. *Joh. Gust. Kinberg,* supra indic. § XII).

Bartholomaeus de Camerino, Nuncius Apost. (Sixti IV) circa a. 1484. (A CELSE p. 200 sq. N:o 17 et 18. *Kinberg* l. c. § XIV et *Diar. Vadstenense* p. 143).

Antonius Mast, Protonotarius Papae Innocentii VIII *et Nuntius Apost.* ad has partes circa a. 1489. A CELSE p. 208, N:o 9, et *Kinberg* l. c. § XVI, qui a. 1497 Sveciam adiisse ab *Alexandro* VI missum dicit, ad *Diarii Vadstenensis* auctoritatem provocans, ubi tamen p. 150, (*Masci* vocatus), a. 1490 officio legationis in regno Sveciae functum esse, docetur.

Raymundus Pyrander (Peraldus s. *de Perauld), Archidiaconus Alnisensis, Sedis Apost. Protonotarius,* et *Papae Referendarius domesticus,* ad terras has septentrionales *Nuntius et Commissarius Apost. (Innocentii VIII* circa a. 1490). Vid. *Kinberg* l.c. § 15.

Andreas, Episcopus Opsloënsis, cui Papa *Leo* X curam demandavit colligendi per Sveciam, Norvegiam etc. *Denarium S. Petri,* pecuniasque ad argentariam Lubicensem pri-

mum deferendi, hinc per ejus Directorem Romam transmittendam. (Vid. A CELSE p. 214, N:o 1).

Johannes Heytners de Zonvelben, Commissarius Papae (Leonis X) ad Germaniam et Septentrionalia regna, circa a. 1515. (A CELSE p. 215, N:o 11 et 12. *Kinberg* l. c. § XVIII, et SCARIN *de Denario S. Petrino* Diss. II, p. 50).

Johannes Angelus Arcimboldus, J. U. D. Praepositus de Arsate, Sedis Apostolicae Protonotarius, ac Leonis P. X. Referendarius, ac ad nonnullas provincias ultramontanas Nuncius et Commissarius, ab eodem Papa missus, a. 1516—1518. (Vid. A CELSE l. c. p. 217 sq. N:o 17—22, et *Access.* p. 108, 1, 2, 4, 5, 6).

En ordinem bene longum *hominum peregrinorum,* in pecunia ex his terris vario nomine [4]) corradenda et Romam deportanda, assidue occupatorum! Praeter quos fuisse etiam aliquos, quorum nomina ad nostram non pervenerunt notitiam [5]), probabile est. Si non omnes Sveciam ipsi adierunt, tamen et *Subdelegatos* et *Subcollectores* suos huc mittere non neglexerunt [6]), et sic dictas *Procurationes* sive certam sibi, ut Legatis Pontificiis, dum hoc munere fungerentur, debitam pecuniam, exigere haud intermiserunt [7]): quae omnes

---

[4]) Nempe minime hi omnes, *Nummi* tantum *Petrini* colligendi gratia huc advenerant: aliis plerique reditibus inhiabant, uberioribus, ex *Decimis, Dispensationibus, Indulgentiis* etc. provenientibus: sed neque eos, *Census Petrini* omnino neglexisse curam, plurima exempla docent.

[5]) Sic in Bulla Papae *Johannis* XXIII, *Kal. Jun. Pontif. II,* ad Episc. *Petrum* Arosiensem missa, inter eos, qui *taxis Romanae camerae debitis* colligendis deputati fuerant, *Haereticae etiam pravitatis Inquisitores* recensentur. (Vid. A CELSE l. c. p. 164, N:o 6).

[6]) Praeter eos adjutores, quos ex Svecis ipsis, utpote rerum patriae suae diligentiori cognitione instructis, hic sibi adjungebant. (Cf. supra p. 347, Not. [9]).

[7]) Sic debebat Clerus Svecanus pendere *Raymundo de Galancio „duos florenos boni auri et magni ponderis et cunei Flo„rentini, pro singulis diebus,* quibus dictum *Raymundum* eundo, „morando et redeundo prosecutionem negotiorum in litteris Apostolicis expressorum insistere contigerit.“ Cf. A CELSE l. c. p.

artes, ad credulos nostros majores bonis suis turpiter spoliandos, vehementer contulerunt.

§ VI.

Quod supra significatum fuit [1]), Pontifices hanc pecuniam initio modeste callidaque dissimulatione adhibita, tanquam voluntarium fidelium donum expetiisse, mox vero debiti nomine superbe exegisse, id vel collatae inter se Bullae *Anastasii* IV (anno, ut putatur 1153) et *Innocentii III* (a. 1204 data), fidem faciunt. In *illa* ad Regem et Proceres Sveciae scribit Pontifex: „Censum autem, quem in argu„mentum devotionis vestrae beato Petro *de terris vestris* [2]) „persolvendum annis singulis statuistis, fratribus nostris Epi„scopis tribui faciatis, ut per eos Sedi Apostolicae trans„mittatur: quem profecto non tam ad nostram utilitatem, „quam ad salutem animarum vestrarum (!) exigimus, dum „vos (per?) internae devotionis obsequium, beati Petri cupi„mus patrocinium obtinere" [3]). In *hac* [4]) autem Papa (su-

124, N:o 2). Et quamvis Cardinalem *de Alenconio* Sveciam haud adiisse, nisi per *Subdelegatum*, constet; tamen erat ei *Procuratio* pendenda (ib. p. 153, N:o 23 et 24); quomodo Pontifices amicis suis reditus haud spernendos comparabant.

[1]) § 1, p. 336.

[2]) Non tam *de toto regno* haec agere verba videntur, quam id quod supra (§ II, p. 338) observatum fuit confirmare, nummum *Petrinum* apud majores nostros non viritim, sed *ex quovis agricultore*, fuisse exactum.

[3]) Vid. ÖRNHJELM *Hist. Sveonum Gothorumque Eccles.* p. 423.

[4]) Qva superior adhuc (omni respectu) est, quam *Adrianus* IV (qui auctor ipse fuit Concilii Lincopensis, cui Cardinalis *Albanensis* nomine praefuit, quoque durum dominationis Papalis jugum Svecorum humeris imposuit), mox post reditum ex Septentrione Papa factus, ad Regem Sveciae *Carolum Svercheridem* misit, hujusmodi verbis usus: „Dudum sine dubio tua prudentia „novit, Gothorum regnum, a quo Christi nomen ibi agnitum erat, „*potestati Apostolorum Principis ejusque Successorum subditum* „*fuisse, Gothosque Sceptra sua pedibus b. Petri devote subje*„*cisse, ac eo nomine ecclesiae Romanae fideles* (h. e. subditos)

perbae dominationis studio famosus) *Andreae* Archiep. Lundensi hujusmodi dat mandatum: „Istud onus pro nobis as„sumas, ut censum b. *Petri* per regna Daniae et Sveciae „fideliter colligas, et reserves ipsum nobis, per fidelem „nuncium transmissurus: - - Ut autem hujusmodi plenius et „liberius possis efficere, *plenam et liberam tibi concedimus „facultatem, ut contradictores, si qui fuerint, per censuram „ecclesiasticam, appellatione remota compellas* [5]). Quas ejus „minas effectu non caruisse, missae ad proceres Sveciae (a. 1216) litterae, quibus gratias iis agit *pro soluto liberaliter et devote*, sicut Archiepiscopus (Upsaliensis) insinuaverat, *censu denarii S. Petri*, de quo ulterius statis temporibus erogando, admonentur. (Vid. A CELSE l. c. p. 54, N:o 23.) Ipsas literas exhibet SCARIN *(de Denario S. Petrino)* Diss. II, p. 34.

Neque successores suos minus imperiose jus hoc suum ursisse, vel ex Bulla patet *Honorii* III, Dat. *Laterani III Non. Jan. Pontificatus anno V*, (3 Jan. 1221) mox adferenda, qua *excommunicationis sententiam* ab Episcopo Arosiensi ferendam, illis minatur, qui Censum Apostolicae Sedi debitum solvere detrectent. (Vid. A CELSE p. 58, N:o 14).

§ VII.

In quantum Census hujus pendendi necessitas, communi Regis Ordinumque Regni consensu admissa, de majestate atque independentia Imperii Sveo-Gothici aliquid de-

„*factos fuisse*, cui *annuum tributum* hactenus *demisse* solverunt. „Tuam igitur prudentiam *paterna charitate moti* admonemus, *ut „sine mora*, quod sanctae et universali matri juste debetur, per „*praesentes* mittatur.“ Cfr. A CELSE l. c. p. 35, N:o 3, qui tamen *Banckium (de Tyrannide Papae* p. 420) ex quo ejus notitiam hausit, dubitare significat, an genuina haberi debeat; nobis rationes dubitationis suae parum validas *Banckius* attulisse videtur.

[5]) Vid. A CELSE l. c. p. 19, N:o 7. Ipsae litterae supersunt inter epistolas *Innocentii* III a *Baluzio* editas (locum non invenimus) teste LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* II Del. C. 14. § 1, p. 415 sq.

traxerit, aut Rempublicam Sedi Romanae jure quodam clientelae subjecerit? disputari queat. Ac Papas quidem, pro infinita sua et impudenti dominandi cupidine, hoc vere fovisse consilium, dubium non est: qui tributi hoc genus, callide majoribus nostris elicitum, pro civilis cujusdam obsequii, sibi obligati, argumento interpretari atque venditare, non verebantur. Fidem facit Bulla *Honorii* III, nuper commemorata, non minus insidiose quam arroganter scripta, in qua „se non modicum mirari, dicit, *Svecos, quos ex censu, „in quo Sedi Apostolicae tenentur annuatim, appareat manifeste esse Sacrosanctae Romanae ecclesiae filios speciales, „qui ob hoc speciali ejusdem protectione ac patrocinio gaudent*, censum ipsum jam a quinquennio et amplius, licet ab „Episcopo Arosiensi requisitos, *in animarum suarum periculum* solvere neglexisse. Ut igitur divinam et b. Petri, cui „Census debetur hujusmodi, evitarent offensam, eos monet „et hortatur in Domino, in remissionem iis peccaminum injungens, ut Deo et Apostolicae Sedi satisfacientes congrue „de subtracto, sic deinceps censum ipsum hilariter persolvant, ut Dei, qui datorem hilarem diligit, gratiam consequi, „et Apostolicae Sedis favorem mereantur. Alioquin minatur se „sententiam, quam idem Episcopus propter hoc rationabiliter „tulerit in rebelles, ratam habiturum, et facturum, Auctore „Domino, inviolabiliter observari“ [1]). Quis non animadvertat, quam artificiose limites potestatis civilis et ecclesiasticae hic confundantur, et malae caussae praesidia captiose quaerantur? Unde nec oblatas sibi occasiones Pontifices Romani postea amplecti neglexerunt, jus suum praetensum tuendi: quale exemplum praebet Historia R. *Erici* XI *(balbi)*, cujus *personam cum regno et omnibus honoribus et justitiis, sub b. Petri et sua protectione* Papa *(Honorius* III) *suscepit* [2]).

---

[1]) Habetur Bulla haec apud VASTOVIUM *Vitis Aquil.* (Ed. Colon.) p. 172. Cfr. A CELSE l. c. p. 58, N:o 14.

[2]) Vid. A CELSE p. 61 N:o 23. Integram Bullam, datam *Reate II Id. Aug. Pontificatus a. X* (die 12 Aug. 1225) exhibet VASTOVIUS l. c. p. 174. Cfr. LAGERBRING l. c. P. II, C. XII. § 24, p. 334.

Quare nec mirum est, si R. *Valdemarus*, in suis illis angustiis, ad Papae auctoritatem confugit, quem hic (*Gregorius* X) dicit in litteris supplicatoriis ad Papam hac de re scriptis confessum fuisse, *quod praeter Romanum Pontificem nullum superiorem, regnum autem Sveciae Sedi Apostolicae censuale, agnosceret* [3]). Quomodo etiam R. *Carolus Canuti*, de regno minus feliciter dimicans, contra *Christianum* I ad Sedem Apostolicam appellavit [4]). Quos nemo non videt turbarum internarum vi et rebus duris ad consilium amplectendum, quod nec nisi in summo periculo constituti ipsi capturi fuissent, nec legibus regni consentaneum erat, fuisse adactos. Nam populum quidem Svecanum, cum ad censum Petrinum Pontifici Romano, ut summo Religionis antistiti, concedendum pelliceretur, de civili aliquo imperio peregrini principis, cui patriam suam manciparet, ne somniasse quidem, vel ipsa Bulla Papae *Anastasii* IV supra commemorata, antiquissimum hujus rei monumentum, testatur; nec postea majores nostros unquam in talem subjectionem solenniter consensisse, manifestissima radiat luce. Quamobrem neque Pontifices illius generis imperium, nisi per occasiones sibi opportunas, Reipublicae autem calamitosas, quasi ex insidiis exercere tentasse, nec Censum ipsum nisi reluctanter, interrupte et precario quodam modo, ut ecclesiasticum non civile tributum, fuisse a nostris solutum, reperimus. Itaque nec nisi ecclesiasticis armis illud Papa extorquere conatus fuit, nec vel ullum jurisdictionis civilis genus in nostros sibi arrogare, vel umbram ullam Homagii a Regibus nostris exigere, quamvis impudens esset, instituit. Ita ut neque ex verbis literarum Papalium temerariis et superbis

---

[3]) Vid. A CELSE l. c. p. 86, N:o 7. Cfr. LAGERBRING c. C. 15, § 25, p. 529 et 531, Not. [3]) ubi tota Bulla legenda exhibetur.

[4]) Vid. *Access. ad Rec. Bullarii Cels.* p. 103 sq. N:o 3. Ubi Bulla Papae (*Nicolai* V) hanc rem confirmans (data *Romae* 1452 d. 1 *Apr.*) recensetur. Cfr. LAGERBRING l. c. P. IV, C. 8, § 19. p. 464.

neque ex Regum quorundam, adversis rebus pressorum, consiliis praecipitibus, vere Patriam nostram Pontificum clientelae sese submisisse, concludere liceat. Cfr LAGERBRING l. c. Part. II, C. XII, § 24, p. 334.

ORATIO FUNEBRIS,

QUA,

IN MEMORIAM

AMPLISSIMI ATQUE CELEBERRIMI

VIRI

HENRICI HASSEL,

R. CANCELLARIAE CONSILIARII,

ELOQUENTIAE IN R. ACADEMIA ABOENSI
PROFESSORIS P. O.

LYCEI AURAICI PIETATEM,

DIE XXI MAJI A. MDCCLXXVIII,

PUBLICO NOMINE EXPRESSIT

HENR. GABR. PORTHAN.

A. O. O. H. M.

Jacturam ante hos viginti menses Camoenae Auraicae fecerunt tam gravem, decore orbatae sunt tanto, literarum sapientiaeque amiserunt antistitem tam venerabilem, tantis doctrinae opibus, tanta experientia, fide, auctoritate, tantisque in rem nostram Academicam meritis eminentem; ut non modo omnium qui ad literariam hanc civitatem pertinent, pectora animosque tam acerbi vulneris sensus vehementer perturbaret, verum etiam quotquot intra praeterlapsi proxime semisaeculi spatium, in almae hujus matris foti educatique gremio, gratam et amicam in musas nostras conservant mentem, hac illarum clade graviter commoverentur. Nemo Vestrum A. M. non sentit, ereptum nobis me lugere Ordinis in Regio hoc Lyceo Philosophici, atque adeo totius Senatus Academici Seniorem, *Magnae in Regem fidei Virum, Regiae Cancellariae Consiliarium, Eloquentiae in hac Academia Professorem Publicum Ordinarium, Amplissimum atque Celeberrimum* HENRICUM HASSEL; hujus quondam loci, hujus Cathedrae ornamentum! Quam jacturam, tantique Viri memoriam, cum tacitis hucusque moestitiae, desiderii et venerationis motibus mentes nostrae prosecutae sunt: in hunc tandem locum publicamque celebritatem eos adferre, Vestrisque, A. M. doloribus atque sensibus adsociatis, debitum Beatis Manibus officium munusque solenniter hodie persolvere, pietas nos jussit. Ex mora tardiore languorem, affectus nostri veritas et constantia non timuit: qui non ex subiti motus fervore ebulliit, brevi transiturus, sed altis in animum defixus radicibus, stabilis et perpetuus haeret; ad posteritatis etiam memoriam effundere se gestiens, ac ejus pietatis, quam, publica voce, hodie viventibus indicare civibus, supervacuum videri poterat, futu-

rae quoque aetati monumentum, nullis suspicionum nebulis obnoxium, exhibere connitens.

Sed unde illa mihi audacia accessit, ut hujus communis nostri sensus agere interpretem, et facundissimi Viri, ex hac ipsa Cathedra, in qua regnum Ille suum exercuit, laudes explicare, virium oblitus mearum, non reformidarem? Impulit primum pietas, ut in optimum olim Praeceptorem, ac de me innumeris nominibus beneficiisque meritissimum, grati et venerabundi animi affectum publice declarare cuperem. Deinde visum fuit, Illorum quoque judicio, Quorum voluntati mihi nefas erat repugnare, hoc officium mihi praecipue incumbere. Ac ipsa illa, quae temeritatem meam reprimere debuisse videri queat, locupletis doctrinae copia et vis eloquii, qua Vir Beatus valuit, toties ex hoc loco percepta, spem mihi injecit, fore, ut excitata modo memoria Sua meritisque vel leviter delineatis, imaginem illorum adeo vividam mentes Vestrae, Auditores, instauraturae mox essent, ut a dicentis infantia ad Ejus qui celebraretur decora contemplanda abductae, facilem ac benignam pietati et obsequio infacundiae veniam concederent. Fidens igitur animi et alacer, quamvis nihil allaturus nisi nudam ac simplicem vitae Suae consecratorumque usui rei Academicae laborum commemorationem, ad opus aggredior. Date hoc, Auditores, memoriae, date meritis Viri olim lenociniorum, cincinnorum fucatique cujusvis artificii osoris acerrimi, ut non quam eleganter, quam speciose, quam splendide, sed quam vere, quam candide, quam pie, adumbratus, laudatus, planctus fuerit, attendatis!

Tu vero, Candida Anima, cui supremum hoc officium congregatus discipulorum fere olim Tuorum coetus persolvimus, annue huic affectui nostro, (si mortalium Te jam facta et judicia ulla advertunt), nullo inanis pompae aut ostentationis apparatu laedere memoriam Tuam studenti, sed simpliciter impetui et sinceritati suae indulgenti; ac patere, ut florenti patriae juventuti hic collectae, in quam Tu instituendam et ad honesta quaevis praeclaraque fingendam, omnem curam omnesque vires, dum inter mortales

versarere, impendebas, etiam post discessum TUUM vitae tamen atque morum TUORUM egregium exemplum, ad sapientiae et virtutis studium accendendum, confirmandum, dirigendum proponatur! Nos interim, dum fatis TUIS persequendis, meritis enumerandis, virtutibusque contemplandis totam mentem damus, hunc etiam fructum inde percipiemus, ut fallere tantisper desiderium, et amplectenda colendaque amissi boni imagine pascere animum, atque lenire quasi et solari aliquo modo jacturam, valeamus.

Edidit nobis lumen quod exstinctum jam lugemus, Alandia, celebris maris Baltici insula; ubi anno post N. S. millesimo septingentesimo, sive superioris saeculi ultimo, die mensis Novembris duodecimo, in paroecia Jomala, interesse mortalibus coepit. Patrem habuit sibi cognominem, HENRICUM HASSEL [1]), Sacellani tum in illa Ecclesia munere fungentem; ubi et Avus paternus, idem ille quoque nomen gerens, eandemque tenuem ornans stationem, patrii soli cultores cognitione atque sensu religionis et virtutis imbuerat. Matre natus est honestissima foemina MAGDALENA FORSSMAN, in sacerdotali itidem domo suscepta; sed quam a nobilibus genus duxisse majoribus, harum rerum curiosi docent [2]). Unico filio Pater prima ipse literarum atque re-

[1]) Nat. a. 1674, decessit a. 1735; cujus pater *Henricus Pauli Hassel*, (nat. a. 1627, denat. a. 1698), primo se vocavit *Kumlingium*, deinde *Hasselroot* (quo utens nomine publice defendit Aboae a. 1654 *Meditationem S. Epistolae Feria IV Pentecostes*, pl. 2, 4:o, Praes. *Aesch. Petraeo)*, ac tandem *Hassel:* Parentem habuit Rusticum paroeciae Kumlinge, indigenam (aeque ac majores sui, quantum memoria repetere licet), patriae terrae incolam.

[2]) Nata a. 1666, nupta a. 1699, mortua 1750; patrem habuit *Thorbernum Simonis Forssmannium*, Pastorem Legionis Pedestris Dit. Aboensis, cujus majores, ab a. saltem 1550, praedium rusticum *Måssevik* in Paroecia *Bro* Wermelandiae habitasse ac possedisse constat. Unus hic fuit illorum Wermelandorum qui, mox post conditam Aboae a. 1640 Academiam, illuc literarum colendarum consilio migrabant. Mater sua *Catharina Andreae* F. paternum genus duxit a familia nobili til Stora Wånga, (quae in scuto tres fluvios gestabat): maternum autem genus a

ligionis initia instillavit: cum vero mox sentiret, non satis sibi otii superesse ad praeclarum hoc ingenium qua par esset industria atque cura excolendum, praeceptorem Illi domesticum fidum ac prudentem dedit; a quo diligenter, paternis tamen auspiciis, institutus fuit, donec ingruens vis atrocissimorum hostium, quorum crudelitate Fennia misere affligebatur, aliud inire consilium cogeret. Migrabant tum ex his oris undique cives perterriti ac moerentes, avicularum instar, nidos certatim deserentium cum flamma coruscare circum se silvam vident, atque strepitum audiunt fragoremque ignis rapide appropinquantis. Eodem igitur metu Nostri quoque Parens optimus perculsus, atque de tuto utilique perfugio Filio dilectissimo comparando, magis etiam quam de sua salute sollicitus, patria terra relicta, anno saeculi hujus quarto decimo Strengnesiam Illum amandavit; sibi permittere puerum adhuc, consiliis ductuque paterno orbatum, necessitate temporis coactus. Verum indolem Filii, ac prodentis sese jam tum constantiae praecocem maturitatem, Pater cognoverat. Neque paternam Noster spem fefellit. In Gymnasium enim Strengnesense adscriptus, tanto mox ardore tantaque aviditate literas amplexus est, ut neque laborum retardari molestiis, neque voluptatum illecebris avocari ab illis posset; tanta legendi atque meditandi pertinacia inclaruit, ut etiam intemperantius ei indulgere quibusdam videretur, qui languido et segni gradu vastissimum doctrinae campum satis tamen posse feliciter pertransiri putarent. Atque diligentiae tamen pertinacioris illa aetate minus adhuc rara exempla erant, quam nostris hisce temporibus, quibus vix fidem inveniant quae de acri majorum industria tradita accepimus; luxus contagio animos adeo emolliente, ut crudelitatem fere parentes putent ad illam assiduitatis consvetudinem liberos adigere, sine qua tamen

familia nob. *Bratt*, de qua cfr. FERNOW, Beſkr. öfwer Wärmeland, III Afdeln. p. 766 not *d*); sed qui ib. p. 754, not. *g*) *Forssmannium* minus recte vocat Farmors Fader til Herr Ärke-Biſk. *Mennander*, cum dicere debuisset til Herr Ärkeb. *Mennanders Fru*, quae Filia fuit nostri HASSELII.

neque suae neque publicae rei bene olim consulere valebunt. Noster autem, alia, ut diximus, contendens via, cum per quadriennium Strengnesensium musarum consvetudine esset diligentissime usus, discendique cum studio tum felicitate inter condiscipulos eminens, Doctorum qui huic tum praecerant artium bonarum officinae, praestantium ac navorum benevolentiam sibi non minorem comparasset, quam ex institutione illorum percepisset fructum (quem gratus agnoscere, per omne deinde vitae tempus, ac praedicare saepe solebat); praeclare ita formatus, humaniorumque inprimis literarum cultu egregie ornatus, discessit Upsaliam, ad altiorum disciplinarum studia adspirans. Est videlicet hoc publicarum hujusmodi Scholarum, quae quidem sapienter institutae sunt ac reguntur, grande commodum, ut non per summam tantum quasi doctrinae superficiem, celeri lapsu ducant pueros (quod multi hodie parentes insipienter optant, cruda adhuc liberorum studia in rempublicam impie protrudere aventes), sed altiora firmioraque jacere doctrinae humanioris fundamenta cogant, quibus stabile deinde ac magnificum possit aedificium superstrui, non leve et infirmum, specie tantum inani ludens oculos: ut adolescentes ordine, atque composito quasi gradu, in studiis literarum persequendis incedere doceant, non vagari subsultim et discurrere: ut ad diligentiam denique, obsequium et patientiam, necessarias adeo in civitate virtutes, teneros animos mature adsuefaciant. Tutiori igitur huic viae insistens Noster, atque severiorem et accuratiorem secutus rationem, egregiis instructus literarum Gymnasticarum copiis, et commendatione munitus praeceptorum Suorum amplissima, Academiam adiit, anno saeculi hujus octavo decimo. Acerrima in novo etiam hoc stadio versari industria perrexit, ac doctrinam et scientiam curiose auxit indies: linguarum inprimis eruditarum, et literarum quae ab humanitate nomen habent, studio vehementer intentus; quarum amoenitati philosophiae mox adjunxit severitatem, multarumque aliarum, quae in illa tum docebantur Academia, disciplinarum vel limina salutavit, vel adyta retegere annisus est. Efflorait ex

hac discendi diligentia, varia illa atque locuples literarum plurimarum, qua postea eminuit, cognitio: quod non, opificis cujusdam mercenarii instar, in una tantum arte haurienda, quae victum sibi paratura foret necessarium, desudandum sibi esse putaret, arreptaque literarum ope quantula sufficere sibi ad examinum publicorum angustias eluctandas videretur, ex Academia illico fugeret (quod ignobile multorum est consilium); sed arcta cognatione atque sororia amicitia plerasque conjungi disciplinas videns, ab alia non parum auxilii ad aliam feliciter discendam et colendam permanare crederet, atque in elegantioribus inprimis literis tractandis, quas sibi praecipue persequendas delegerat, sine locupletis variaeque doctrinae ope nihil admodum praestari posse, existimaret. Itaque a vulgari illa atque plebeja studiorum urgendorum ratione, recedendum sibi esse ducens, viam quam demonstravimus strenue trivit. Interim vero, ut fortunae conditioni tenuiori suppetias quaereret, aliorum quoque instituendorum curam cum Suae scientiae maturandae industria conjungere coepit: nobilium familiarum pignora, ad spem parentum et patriae sollerter educando; cui jam tum labori, animi maturitas, modum annorum superans, parem illum effecerat. In curriculum ita descendit mature, in quo per totam deinceps vitam versandum Sibi fuit; ac peritiam et experientiam hoc modo sensim auxit eam, quae ad tam praeclare tamque feliciter has partes in eminentiore olim statione peragendas, idoneum reddidit. Stockholmiae his temporibus, discipulos domum secutus, per intervalla versabatur; memorabilium qui illos exercebant annos eventuum ac conversionum publicarum testis et spectator; non ille qui attonitus imperite cuncta stuperet, sed qui attenta et acri mente rerum seriem, quantum fieri posset, persequeretur. Itaque libenter postea facta horum temporum, mutationes et consilia, prudenti ac memori condita mente, narrare solebat; id quod et svaviter et acute atque intelligenter fecisse, non pauci meministis probe, Auditores. Addidicit illam tum rationem, quam per totam deinde vitam constanter servavit, ut diligenti animo, publice gesto-

rum ordinem apud Se persequeretur; ac caute quidem et modeste, ut ab arcanis consiliorum machinationibus remotus, sed acute tamen, ut philosophus animi humani haud vulgari pollens cognitione, civiliumque rerum ac Historiae cum veteris tum recentioris aevi plus quam communi notitia instructus, de iis quae fierent judicaret. Cui mori debuimus, quod discipulis quoque et auditoribus Suis Historiae studium commendare soleret non intra nudam subsistens temporum nominumque enumerationem memoria custodiendam, sed eventus sollerter cum caussis effectisque suis expendens, et doctrinas inde elicere vitae utiles enitens; cujus amorem, non exemplo minus quam consiliis praeceptisque, instillare juventuti feliciter ac inculcare noverat.

Tristissimi belli, quod Fenniam nostram crudeliter pervastaverat, procellis tandem cessantibus, et alma pace miseris, qui supererant, civibus restituta; Camoenas Auraicas cum reliquis exsulibus domum reduces, laetus Noster, ut Patrias, non multo post invisit. Noluit autem, qui aliarum familiaritate tantum jam profecerat, ad nostras ut ignotus hospes vacuis accedere manibus; quamobrem huc adveniens Disputationis docte elaboratae Particulas binas, Upsaliae typis jam expressas, Secum attulit, eruditionis Suae navataeque literis diligentiae testes haud dubias [3]): quibus hic mascule defensis, aliisque, pro more, doctrinae specimini-bus editis, adeo illam Ordini Academicorum nostrorum Philosophico, cujus est hoc judicium, probavit, ut non modo laurea ornandum, anno seculi XXVI:to, censeret promerita, sed Senatui etiam Academico persvaderet, ut literis ad Illustrissimum qui tum res Academiae tutabatur Cancellarium datis, amplissima commendatione muniret atque decoraret. Iis nimirum excellere animi atque ingenii dotibus, iisque

[3]) *De usu et applicatione Historiae ad vitam civilem;* cujus *Caput Prooemiale* Praeside Rev. *Dan. Juslenio*, et *Partem Priorem* Praes. Cel. *Alg. Scarin*, intra hebdomadis spatium defendit; praestito etiam interim examine Candidati, quod vocant, Philosophiae

esse doctrinae praesidiis instructum testabantur, quae favore Maecenatis singulari dignum redderent, ac idoneum demonstrarent, qui occasione enascente, docendi muneri ampliori, magno rei Academicae emolumento admoveretur. Rari exempli atque honorificum hoc judicium, aliud non multo post, Nostro etiam fructuosius, opinionis quam de se haberet Senatus Academicus, excepit documentum. Reverendissimo enim *Juslenio* (Episcopo postea Borgoënsi atque demum Scarensi) ad Theologorum ordinem translato, inter eos quos vacanti Linguarum Sacrarum docendarum administrando pares officio, Academici judicabant, anno seculi XXVIII, multa cum laude Noster nominatus fuit. Atque cum eodem tempore, Celeb. *Alstrini* morte Eloquentiae etiam docendae munus in hac Academia vacuum fuisset relictum, et HASSELIUS Noster, Stockholmiae tum degens ac Nobilibus suis discipulis operam tribuens, significasset, lubentius Se hanc provinciam quam illam alteram administrandam susceptarum; summo consensu petitioni Suae Patres annuerunt, amplissimisque verbis illo successu Eum commendarunt, ut huic muneri, Diplomate Regio, die XIII Mensis Maji, ejusdem anni, dato, clementissime praeficeretur.

Nactum igitur fuit Lyceum nostrum suum HASSELIUM, literarum doctorem et antistitem exoptatissimum; ut aetate florentem, corpore vegetum, viribus firmum, ita ingenio maturum, doctrina locupletem, studioque cognitionem et florem literarum inter populares propagandi et adaugendi, ardentem. Ac constitutus fuit felici delectu, illo praecipue loco quem et Ipse lubentissime occuparet, et quo prodesse maxime, comparatasque doctrinae opes ad juventutis patriae fructum conferre valeret uberrimum. Verum Patri Suo minus interim fortuna faverat; qui in tenui manens statione Alandica, laetus Filii progressus celeres comperit. Optatissimam autem pius Filius (qui nisi Patri quoque aliquod accederet dignitatis incrementum, fortunam suam non laetam satis putaret), occasionem invenit, multiplici Senem gaudio complendi; cum anno sequente Stockholmiam reversus, Thori Sociam electam Sibi adjuncturus, tantum si-

mi officia Sua diligentia studioque effecisset, ut in Fen-
niam cum Conjuge proficiscens, Patremque sub itinere in-
visens, Diploma Secum Regium adferre posset, quo ille Pa-
stor Ecclesiae Karis in Nylandia, totius hactenus consilii
ignarus, constitueretur. Rarum felicis pietatis exemplum,
multisque splendidis fortunae muneribus illorum judicio ju-
cundius atque praestabilius, qui, quam sit dulce sanctisque
grati atque venerabundi animi officia exsolvere, virtutisque
frui pura et coelesti voluptate, suo sensu atque experientia
edocti, existimare norunt!

Ad eam igitur vitae defuncti Doctoris nostri perveni-
mus partem, ubi incipit ille quo juventutem Sibi patriam,
hanc *Academ*iam, atque adeo totam civitatem immortaliter
devinxit, meritorum ordo; unde laudes Suae, unde debita
memoriae *Suae* veneratio, maxime pendent. In demandato
nempe Sibi munere obeundo, ex quo primum has suscepis-
set partes, per decem prope lustra eam praestitit diligen-
tiam et fidem, eam scientiam ac dexteritatem expromsit,
tamque insigniter literarum huic sedi ac confluenti huc, bo-
narum artium discendarum caussa, patriae pubi selectissi-
mae profuit; ut inter optimos, meritissimos atque clarissi-
mos, nullo non fatente, referendus sit, qui Auraicum Ly-
ceum illustrarunt, doctores. Praeter doctrinae enim accu-
ratae copiam, et industriae vim, quas in Illo praeclaras
jam laudavimus, eximiis plane instructus fuit docendi doti-
bus: voce clara et gravi, ore explanato, memoria firma, per-
spicuitatis assequendae singulari felicitate, ordinis servandi
curiositate exacta, demonstrandi acumine haud vulgari, ro-
busto ingenii vigore. Res et orationem in potestate acque
habuit. Utilitati discentium omnia tribuens, nihil ambitioso
dedit doctrinam ostentandi studio. Diverticula et anfractus
nullos quaerebat, sed recta ad veritatem et fructuosam re-
rum cognitionem, semper ducebat. Qnod Eloquentiam non
tam praeceptis regulisque subtiliter explicandis, quam prae-
stantissimis exemplis, ac veterum maxime orationibus et
scriptis diligenter tractandis, formari existimaret; omnem fere
in hace juventuti praelegenda, interpretanda atque ad imi-

tandum proponenda, operam impendit. Conatibus scriptionibusque adolescentium, qui stilum exercere nitebantur, castigandis, atque sic ingeniis simul eorum, admota quasi manu, emendandis et fingendis, indefessa patientia studioque incredibili, a primis muneris suscepti diebus, ad seram usque senectutem, operam dedit: atque ita in taediosissimo hoc labore semper versatus est, ut ad verba tantum dicendique formulas, multorum more, attendisse haud contentus, neque satis habens si nugas effundere casto sermone Latino juvenes didicissent, ad rerum quoque copiam, argumentorum robur, ordinis constantiam, sententiarum veritatem, animum accuratissime adverteret; veram Eloquentiam non nisi loquentem esse Sapientiam, probe gnarus. Itaque non scribendi tantum celeritatem orationisque concinnitatem et splendorem, sed cogitandi etiam acumen ac doctrinae omnis copiam, ex scholis Ejus adolescentes reportabant. Qualis Sua fuit oratio, effigiem ingenii animique Sui exprimens, nobili simplicitate et elegantia insignis, illustri claritate aperta, nervosum et masculum spirans sententiarum robur, ab omni coactione, affectatione et inani verborum pompa abhorrens; talem discipulis quoque expetendam, sectandam, imitandam commendavit. Pancioribus enarrari nequit verbis, quam insignem utilitatem quamque uberes fructus, singularis haec Ejus, in istis primis adolescentum tirociniis dirigendis ac formandis, cura et industria progenuerit, quam magnum momentum ad ingenia rite excolenda, ad recti et pulcri judicium sanum et tutum confirmandum, habuerit; quarum rerum tanta est in reliquam vitam, tanta in res suas et Patriae feliciter gerendas, vis et efficacia! Testes vos excitare, Viri dignitate atque honoribus varii generis ornati ac conspicui, qui ad ultimum hoc officium Beati Senis memoriae persolvendum, benigne et amice convenistis, quique maximam partem ex venerabili Ejus ore docentis olim pependistis, testes Vos excitare non dubito: libenter professuros, non mediocre commodum, non leve adjumentum ad judicandi accuratam et firmam facultatem, ex praeclaro hoc Ejus consilio ac diligentia, Vos percepisse!

Ac quamvis Ipsius quidem ingenium non tam ad facetas amplectendas orationis veneres, laetosque effundendos animi ludentis flores, quam ad severiora eloquentiae ornamenta reperienda et adhibenda esset propensum; tamen in amoenissimorum quoque et festivissimorum ingeniorum messem, justo severiorem nunquam immisit falcem: nimiam coërcuisse redundantiam contentus, aut ramos immodice luxuriantes caute recidisse. Igniculos igitur mentium diviniores adeo non oppressit, ut excitaret potius; quod vel praestantium ac floridissimorum Poëtarum, qui e ludo Suo exierunt, exempla luculentissime demonstrant.

Neque vero aut in una hac, quae Sibi praecipue colenda fuerat tradita, literarum parte ita Se penitus abdidit, aut intra illos solum labores atque curas, quae negligi a Se absque inertiae ac dedecoris quadam macula haud poterant, tam arcte Se continuit, ut etiam ad alias subinde artes atque disciplinas animo lustrandas Se conferre, comparatoque divite multiplicium literarum penu studia juventutis adjuvare, non auderet. Ut de plurimis illis nihil amplius dicam variarum literarum subsidiis, quibus carere eloquentiae praecipue studium nequeat; tam frequentia vulgo Academico hujusmodi doctori subnascuntur negotia, quae non unius generis ab eo exposcunt literarum facultatem, ut ab hac destitutus, non facile vel satis ubique juventuti prodesse, vel omnibus muneri sui plene satisfacere partibus valeat. Redeunt vices, adolescentium qui ex minoribus literarum ludis ad Academiam confluunt, profectus explorandi; dirigenda sunt juvenum, quorum alii atque alii coetus singulari Professoris alicujus curae commissi sunt, studia universa [4]); adjuvandi saepe sunt singuli literarum studiosi, utilium librorum notitia impertienda, dubiis exortis removendis: et quae sunt reliqua. In his igitur omnibus officii Sui partibus peragendis, quas levis-

[4]) *Inspector*, qui dici solet. Noster erat *Nationum Borea-Fennicae* et *Wiburgensis*, sive juvenum qui ex Fennia Boreali et Savolaxia, studiorum gratia in hac Academia versabantur.

simi haud esse momenti facile quisque sentit, felicissime versari doctori Academico haud licet, nisi a plurimarum literarum praesidiis parato. Quo in genere Noster plane excelluit. Cui laudi, si sollertiam addamus in illorum industria atque profectibus explorandis, in quorum studia Sibi praecipue fuit inspiciendum, amoris literarum in animos adolescentium infundendi singularem felicitatem, ad virtutem ac bonos mores cohortandi vim gravissimam; quantum instar eximii doctoris Academici musae nostrae in Illo habuerint, et amiserint, facile erit existimatu!

Doctrinae vero forma Suae, (quoniam hujus cognoscendae, in viro Sui generis praecipua quaedam est ratio habenda), gravis quidem fuit ac severa, quod vel ex ingenii Sui atque animi habitu pronum fuit ad intelligendum; sed quae a vulgari barbarie longissime esset sejuncta. Humanitatis enim elegantia ita temperaverat, ut nervi quidem atque ossa firmitatem et robur pulcro corpori darent, sed nuda atque aspera turpiter non exstarent. *Theologica* scientia gavisus est, quae non aliorum solum auctoritate coecaque celebrium doctorum fide, sed accuratae liberalisque meditationis fundamentis niteretur, ipsorumque fontium deberetur perscrutationi [5]). *Hebraicarum* enim literarum quanta juvenis jam peritia clareret, supra significavimus; quam neque in extrema aetate perdidit. In *Graecis* vero prorsus habitavit; quarum cum Suis literis arctissimam conjunctionem, juvenibus etiam qui ad perfectum eniti vellent eruditionis et eloquentiae decus, diligenter ostendit ac inculcavit. Ipse quidem ita scriptoribus doctissimae atque acutissimae gentis delectabatur, ut neque *Ciceronem* Sibi ad

[5]) Quamobrem, cum consilium A. S. MDCCXXXIV iniisset munus ambiendi Professoris Theologiae, eruditionis apparatu ad illud praeclare obeundum instructissimum esse fatebatur Senatus Academicus; sed quod dubium nonnullis videretur, utrum liceret, affine Suo D. *Andrea Bergio* jam Theol. Prof., Nostrum praeterea ad Theologorum ordinum adjungere, ad quem tres tantum, apud nos, Professores pertinent, qui Assessores simul Consistorii Ecclesiastici semper sunt; ab hac petitione destitit. Prot. Consistorii Acad. A. 1734, d. 28 Junii, 1 Julii, 14 et 16 Sept.

Demostheneam vim assurgere videri, haud raro significaret, et Auctorum omnium, Sacros si excipias, *Platonem* de manibus deponeret ultimum. In Officiorum tradenda Doctrina *Grotium* sibi magnopere placere non dissimulavit, literarum non minus quam ingenii opibus locupletissimum; neque tamen ut aut de *Pufendorfii*, aut eorum qui post acutum hunc doctorem illi scientiae ornandae laborem consecrassent, laudibus quidquam detractum vellet. Atque ut semper, cum auctores juventuti quoscunque explicaret, quid inesset in rebus ab iis traditis, ad vitam et prudentiam rite effingendam utile ac fructuosum, demonstrare auditoribus solebat; ita non obscure, in seligendis quos interpretaretur probatissimae auctoritatis scriptoribus, praetulisse illos maxime reperimus, qui ista excellere dote, Sibi viderentur. Quamobrem etiam, ultimis administrati muneris annis, aureos *Ciceronis de Officiis Libros* solebat publice juventuti assidue exponere; et aetati Suae et gravitati convenientissimum existimans, in opere explanando elaborare, quod orationis suavissimae virtutem cum morum honestissimorum praeceptis conjungeret. In *Dialecticis* et *Metaphysicis* erat ad *Cartesianam* rationem probandam propensior; ordinem et perspicuitatem hujus scholae miratus, atque evidentiae illustris quaerendae, antequam assensum praebeas, praecepto amicissimus. Hujus rationis amorem in Gymnasio jam Strengnesensi hauserat; ac memini ex ore B. Senis me audiisse, cum ad Upsaliense accedens Lyceum, exemplo sodalium ad scholam se contulisset viri Celeberrimi, qui Logicam Aristoteliam magno applausu, ingeniique et doctrinae laude haud mediocri doceret, adeo visam Sibi fuisse obscuram atque asperam, quamvis singulari doctoris diligentia propositam et ornatam, ut rursus ad *Artem Cogitandi*, *Portus Regii* Monachorum industria conscriptam et Cartesianae praeceptioni accommodatam, prae taedio istarum tricarum strenue Se reciperet, nec illis Se unquam postea laqueis irretiri pateretur. Percepit nostra hinc Academia illud commodi, ut ad Scholasticum philosophandi morem, qui licet a Cartesianis acriter subinde lacessitus,

vinci tamen apud nos penitus ante Instaurationem Academiae haud potuerat, sed strenuos quosdam in Cathedra nostra semper retinuerat defensores, ex hoc loco tandem penitus expellendam, Noster efficaciter conferret. Atque cum non multo post, *Leibnitio-Wolfiana* philosophia, quae cum multis non contemnendis bonis, commentitia haud pauca placita et mirabiles quasdam opiniones, affectata ac jejuna disputandi forma propositas, continebat, ex Germania, ubi maximis tum animorum motibus ferbuit, in has oras magno impetu irrueret, novitatisque illecebra ab utiliorum, ac humaniorum inprimis, literarum studio abducere velle juvenes videretur; exsultantem nimis, auctoritate et industria Noster repressit. Immortalia hinc esse, in Philosophiae cultioris et accuratioris apud nos formam constituendam, Viri perspicacissimi merita, nemo non agnoscit. Ut autem in nullius Ipse verba juravit magistri; ita neque a discipulis servile postulans obsequium, ingeniis honestam libertatem in tantum permisit, ut juvenes, qui propositos ad disputandum libellos Se moderante in lucem ederent, Wolfiana etiam quaedam placita, sibi licet minus probata, defendere nonnunquam pateretur. Adeo non abscondere, ab oculis adolescentium removere, aut hostili animo persequi, conatus est! Sed veri more Philosophi, expendere atque ad diligens examen revocare discrepantes hominum eruditorum sententias, solenne habuit, atque ad judicandum, non credendum modo, discipulos adducere studuit [6]). *Physicam*

[6]) Non abs re fuerit, quo judicium Suum de officio hoc Publici Doctoris perspiciatur dilucidius, Sua ipsius verba (quae in Oratione exstant quam a. 1738 in solemni dixit panegyri, Magistrorum creandorum caussa celebrata), adponere: „Praeter curam institutionis, quae attentionem ad res ipsas, earumque tradendarum ordinem, requirit, jugis lectio et meditatio, somni quam noctis tempora arctiora efficiunt illis, qui huic se operae addixerunt. Quid? quod in orbe literario nova indies dogmata proveniunt, quae non lecta nedum intellecta proscribere velle, ut quam mitissime dicam, nimis est rigidum. Unde in publico docendi munere constitutis incumbit ista pervolvere, et judicio a partium studio immuni examinare, ut et ipsi verum a falso, a

Cartesii rationem adeo non probavit, ut demonstratam a magno *Verulamio* viam unice veram esse, et solam ad naturae vestigia persequenda commodam, identidem moneret; cujus *de Augmento Scientiarum* opus, et Ipse legit diligenter, et aliis legendum impense commendavit; acumen viri ac libertatem ingenii admiratus, consiliique magnitudinem. Inventa autem et incrementa Naturalis Scientiae, quoties oblectare animum vellet, curiosa mente lustrare solebat: quae ita Sibi jucunda videbantur, ita admirabilia, ita humanae vitae fructuosa, atque ad divini Numinis sapientiam, bonitatem ac potentiam illustrandam accommodata, ut non alia de re libentius loqueretur. *Historiae* omnis generis cognitione valuit exquisitissima; quam indefesso augere studio, curiose per totam vitam perrexit. Omnium hanc reliquarum adjutricem praestantissimam, ac lumen vitae humanae existimavit; quo carere, non turpe minus quam noxium esse censeret. Itaque studium ejus etiam atque etiam juventuti commendabat, atque jucunditatis non minus quam utilitatis illecebra gratum reddere annitebatur. Nullum denique eruditionis genus contemsit, nisi quod tricis horridum inutilibus, ac sordibus barbariei esset deforme; quas vehementer oderat, ingenia adolescentum iis opprimi, bonasque horas turpiter perdi dolens, ac gravissime saepe conquestus.

Uberrimae autem hujus doctrinae Suae rariora typis edita exstant documenta: quod in juventute Academica assidue erudienda praecipuam Suam versari debere ratus industriam, eamque esse credens quam a Se, demandati Sibi muneris ratio maxime requireret, si huic abunde satisfecisset, nihil esse existimaret quod Sibi animus negligentiam aut inertiam exprobraret. Quin hanc docendi diligentiam, licet ad famam minus splendidam, ad Patriae tamen et succrescentis ejus spei, juventutis studiosae utilitatem, magis etiam fructuosam putavit. Neque etiam ea fuit (aut hodie

---

noxio utile discernant, et juventutem suae fidei commissam ad optima quaelibet deducant, atque contra errores et fraudes praemuniant." Etc.

fere est), rei literariae apud nos conditio, ut ad scribendi industriam fructus alicujus aut emolumenti spe homines excitarentur; qui felices sese haud raro existimare deberent, si hanc vel gloriolam vel bene de literis merendi laudem damno rei familiaris redimere non cogerentur. Usus tamen est diligenter opportunitate, quam mos Academiarum nostrarum Sibi offerret, ut exercitiis atque speciminibus moderandis, quae juvenes, industriae probandae caussa in lucem ederent, varias utilesque, civibus saltem Reipublicae Academicae meditationes atque veritates impertiret ac inculcaret. In quo quidem opere ita versatus fuit, ut neque adolescentibus occasionem eriperet vires exercendi, laudisque reportandae in illis cupiditatem exstingueret, (quod facere Sibi doctores videbantur, qui totas semper hujusmodi Disputationes Academicas ipsi perscriberent, longe plerumque faciliore defuncti labore, quam qui in emendandis juvenum conatibus, formaque quadam decenti ingenii illorum foetibus danda exhauriendus sit), neque omnem aut Suae famae aut fructus adolescentibus comparandi curam ita penitus abjiceret, ut turpi abusu infamiam pulcherrimo instituto conflaret, quod tam praeclaram, fere unicam saepe, doctoribus nostris Academicis occasionem praeberet, observationes doctrinasque utilissimas in lucem emittendi publicam, cuique tot debeamus haud vulgares, summo etiam eruditorum studio quaesitas ac laude exquisita decoratas, lucubratiunculas. Nostro igitur dirigente ac limante editi hujusmodi atque propositi publice ad disputandum libelli, numero ultra centum et viginti [7]), alii majorem licet, minorem alii, opem Ejus experti, utili tamen

---

[7]) Quorum reperire indicem licet in Cel. LIDÉN *Catal. Disputationum in Academiis — Sveciae habitarum*, Sect. III, p. 79—87; cui addere oportet: 1, *Bened. Bergenholtz*, Smol. Diss. de sobria lectione Poëtarum, 1738, 8:o pl. $2^1/_2$. 2, *Jac. Haartman*, Jo. Fil., Tentamen philosophicum circa caussas dissensus atque diversitatis sententiarum in judicando occupatum, 1741, 8:o, pl. 2. 3, *Henr. E. Carling*, Tav. Theses Miscellaneae, G. 1745, 4·o pl. 1. Adeo ut numero sint omnino CXXV.

omnes doctrina referti sunt, nec sine cura atque studio confecti; quidam eximii etiam laudeque digni singulari [8]). Reliqua quae vulgata typis reperiuntur ingenii Sui industriaeque monumenta, per occasiones scripta Academicas, Oratio Panegyrica, et Programmata plura [9]), (digna

---

[8]) Arbitrium quidem nobis hujus rei non sumimus; qui vero perlegere vel illos voluerit, qui de *Fabulis Philosophorum*, *Injuriis Regni Papistici in Principes Regnumque Sveciae*, *Discrimine inter Ecclesiam et Rempublicam*, *Libertate Philosophandi*, *Eloquentia Veterum*, *Perspicuitate Orationis*, *Praesenti Reipublicae Literariae flore*, *Virtute liberae civitatis fundamento praecipuo*, (plures ut taceam) Eo moderante lucem adspexerunt; ipse praestantem in illis doctrinae judiciique vim haud difficulter agnoscat.

[9]) Nobis quidem sequentia oculis usurpare licuit: I, quo ad audiendam Orationem Nob. LAURENTII STIÄRNELDH, die natali Regis FRIDERICI I habendam invitavit, die XIII Apr. a. 1735. II, quo munus Rectoris Acad, in D. *Andr. Bergium*, die XX Junii ej. anni sese translaturum, indicavit. III, quo solemnitatem Magistrorum Philosophiae, a se creandorum, die XXX Junii a. 1738 indixit. IV, quo Rectoris Ac. munus se D. *Joh. Browallio* traditurum, die XXX Junii a. 1745 significavit. V, quo ad lugendum R. FRIDERICUM I rebus humanis ereptum, omnes ordines, die II Julii a. 1751 convocavit. VI, quo funebrem solemnitatem Ejusdem Regis memoriae consecratam, die XXIV Sept. ej. anni edixit. VII, quo festum Coronationis R. ADOLPHI FRIDERICI solenniter agendum, die XXIV Nov. ej. anni denuntiavit. VIII. quo Panegyrico, Acad. Maecenati R. Senatori Comiti CAROLO GUST. TESSIN, a D. CAROLO FRID. MENNANDER dicendo, praelusit, die X Apr. anni 1752. IX, quo R. ADOLPHUM FRIDERICUM, ut Orationi interesse dignaretur, qua adventum Illi Suum in Fenniam gratulari Academia instituerat, devote rogavit die XII Julii ej. anni. X, quo se munus Rectoris Acad. in D. *Joh. Tillandrum* esse derivaturum, demonstravit die XXX Jul. ej. anni. XI, quo Academiae pietatem in magnos suos R. Senatores Comites C. G. TESSIN et CLAUDIUM EKEBLAD, alterum hoc onus deponentem, alterum illi succedentem, Oratione solenni testandum esse docuit, die XXI Nov. anni 1762. XII, quo successurum Sibi in Rectoris Ac. provincia D. *Jacobum Gadolin*, die XXII Junii a. 1763 ostendit. XIII, quo ad audiendas Orationes funebres memoriae R. ADOLPHI FRIDERICI dicatas, die XXV Julii a. 1771 acciret. XIV, quo ad Inaugurationem R.

haec omnino quae minores, exemplorum in hoc scriptionis genere instar imitentur), doctrinae Suae dicendique facultatis testimonia exhibent luculentissima. Saepe autem praeterea ex hoc loco publice et solemniter dixit, attente semper cupideque auditus; non modo propter virtutem dicendi excellentem, sed quod materiam etiam et argumenta tractanda adferre soleret ad communem audientium intelligentiam et sensum accommodata [10]). Orationem quam prelo typothetarum excudendam unam commisit (ab hac cupiditate alienior, qua incensi quidam immaturos etiam atque ineptos ingenioli sui foetus in publicum protrudere festinant), ex scriniis Suis argumenti atque temporis elicuit dignitas festaque solemnitas; quippe sacris dicatam Nataliciis celebrandis recens tum geniti Principis Successoris exoptatissimi, Regis jam nostri Augustissimi [11]): ex cujus felicissimi

---

GUSTAVI III faustis adclamationibus piisque votis prosequendam, die XXVIII Maji a. 1772 vocavit. XV, quo funebri Oratione memoriam defuncti Musagetae Comitis CL. EKEBLAD colendam esse, die XXI Junii ej. anni palam fecit. XVI, quo Professoris munus solenniter auspicaturum esse D. *Laurentium O. Lefrén*, die eodem publice declaravit. XVII, quo Rectoris Ac. provinciam se D. *Petro Kalm* esse concessurum, testatum fecit die XII Julii ej. anni.

[10]) Reperiri V tantum Orationes Mss. inter schedas Suas potuerunt superstites: I. *de Emolumento Reipublicae ex Reformatione Religionis*, dicta a. 1730 die XV Junii, in memoriam exhibitae ante saeculum Augustanae Confessionis. II. Gratulatoria in R. Senatorem Comitem JOH. ERN. CREUTZ, Cancellarii Acad. munus ad se deferri passum, a. 1736 pronuntiata. III, *de Consensu Reipublicae civilis et literariae ad promovendum publicum emolumentum*, habita a. 1738 die IV Julii, in solemnitate Magistrorum creandorum. IV, *de studiis humanitatis, eorumque fatis praecipuis*, recitata d. XXV Jun. a. 1763, cum Rectoris Acad. provincia quartum decederet. V, *Splendida Romanorum miseria*, a. 1772, d. XIV Julii declamata, cum Rectoris munus quintum deponeret. Reliquae perierunt.

[11]) „Oratio de Meritis Gustavianae Familiae in Patriam, quam, Augustam nativitatem Serenissimi Domini GUSTAVI, Regni Sveciae D. G. Principis Haereditarii longe exoptatissimi, pie gratulaturus, in R. Academia Aboënsi die III Maji MDCCXLVI ha-

sideris exortu conceptam publicam laetitiam expressit vivide, civiumque animis spem inculcavit dulcissimam, quam, sensu multo etiam laetiore, cumulate impletam, priusquam ex terrenis his migraret habitaculis, non videre modo, sed etiam, Academiae nostrae nomine, luculento edito Programmate, quintum Lycei hujus Rectori, sub initiis faustissimi regni gravissime celebrare, singulari felicitate licuit. Piissimae memoriae Rege ADOLPHO FRIDERICO Augusta Sua praesentia ha soras exhilarante, quae a multis inde temporibus Regum suorum vultus non viderant, atque hoc etiam simul Musarum delubrum benigne invisente, cui nunquam antea, ex quo consecratum fuit, id contigerat honoris atque ornamenti; HASSELIUS Noster, Rector etiam tum, felici rerum nostrarum sidere, atque dux Consilii Coetusque Academici, mitissimo Regi pietatem Civitatis hujus literariae declaravit publice [12]), ac ita illam, eloquentiamque simul, fidem et dexteritatem probavit Suam, ut non dubiis et Ipse et totum hoc Lyceum benivolentiae Regiae documentis mactarentur.

Diversa illa, quibus per vices Academicis est fungendum doctoribus, officia partesque, Noster industria, fide ac prudentia singulari omnes sustinuit. Rectoris munia (qui Magistratus in hac Academia annuus est), quinquies, unico

---

buit *Henricus Hassel*, Eloqu. Profess. Reg. et Ord." Aboae excud. Joh. Kämpe, Acad. Typogr. Fol.

[12]) Orationes suas, Svethico sermone habitas, legendas exhibet *Narratio de favore indulgentissimo quo Rex Augustissimus* ADOLPHUS FRIDERICUS, *Aboae praesens, Academiam hanc Suam beavit* (Kort berättelſe om den Råd, ſom Hans Kongl. Maj:t wår Allernådigſte Herre och Konung ADOLPH FRIEDRICH, under Deß Höga närwaroelſe i Åbo Stad ifrån den 10 Julii til den 15 ejusdem 1752, Deß Academie derſtädes täftes bewiſa), Svethice edita, ac Orationi adjecta, qua nomine Academiae pietas in Principem Optimum hoc tempore expressa fuit. *(Plausus et vota, quibus ADOLPHO FRIDERICO — Regi, — Magnum Ducatum Finlandiae peragranti, exoptatissimum in ejusdem metropolin adventum, a.* 1752, *— die mensis Jul. XIII. — subjectissime gratulatus est* OLAVUS PRYSS, *Jur. D. et Prof. Ord.* Aboae impr. ap. Jac. Merckell, Fol.)

hactenus apud nos exemplo, obivit [13]). Atque ut nec inops consilii, nec laboris fuit remissi, rei autem Academicae omnis peritissimus; ita praecipua hanc provinciam laude, quoties illi praeficeretur, semper administravit. Circuitus et ambages nunquam amavit ullas, sed res celeriter et acute secuit. Minutis rebus, anxius et haesitabundus animum nos infixit; nec cavillationibus turbari judicium Suum passus est. Justitiae immobilis et aequitati adhaesit; atque ita severitatem indulgentia temperavit, ut non minus amore civium quam reverentia, imperia Sua valerent. Quintum etiam hoc Magistratu suscepto, sic gessisse meminimus, ut non Senis in Illo tarditatem, dubitationem et frigus, sed vegetae aetatis alacritatem et industriam cerneremus. In consilio Patrum Academicorum, diligentia Sua, fides ac prudentia, magni semper habitae sunt; quibus experientia tandem ususque rerum plurimus tantam auctoritatem addiderant, ut et ornamenti ejusdem et oraculi fere instar, merito censeretur: servanturque in Actis perspicaciae Suae, diligentiae et masculae dictionis ea documenta, quae memoriam Suam in illo consessu perpetuo reddent laudatissimam. Concordiae ac pacis adeo fuit studiosus, ut non modo lites Ipse non sereret, sed etiam motas forte ab aliis consopire diligentissime niteretur. Collegis itaque Suis (quorum nullum fere adsidere Sibi tandem vidit, nisi quem discipulum olim Suum fuisse meminisset), charus juxta atque venerabilis fuit; nec alium facile deinceps Collegium nostrum Assessorem habiturum est, cui tot quaesitae meritis praemio auctoritatis tam eximio tamque jucundo, frui contingat.

In quibus meritis, silentio praeteriri, Vobis praesertim, Patres Academici, audientibus, minime debet, quod ad rationem constituendam stipendiorum nostrorum annuorum, simplicemque, commodam ac tutiorem reddendam, Noster plurimum contulerit; quae cum et confusior olim et tenuior

---

[13]) Annis nempe 1734, 1744, 1751, 1762 et 1771 media aestate susceptum, pro more apud nos solenni, ad idem tempus anni sequentis gessit.

ac incertior esset, Hujus inprimis diligentissimi atque prudentissimi Viri, paucorumque qui sociam Sibi adjunxerant operam Collegarum Suorum cura. providentia et labore factum est, ut in eum quo jam fruimur redigeretur ordinem, nec facile sit nobis metuendum, quod praedecessoribus nostris haud raro contigit, ne inter perpetuas sollicitudines curasque molestas, subsidiis vitae tolerandae necessariis careamus [14]). Necesse, credo, haud videbitur, ut multis verbis, quantum hoc fuerit, et in nostrum ordinem et in totam rem Academicam beneficium, exponere laborem; ad singulos enim Reipublicae hujus nostrae literariae ordines aliqua ex hoc instituto redundavit utilitas. Neque adferri aliud potest exemplum, quod apertius doceat quam tristia ex superioribus illis turbis metuenda Rei Academicae essent vulnera, quam quod B. etiam Doctorem nostrum in eam jam rationem impulerant, ut valedicere musis nostris, ac alia Sibi via liberaliorem conciliare fortunae favorem, constitueret. Anno enim saeculi XXXVII locum munusque ambiit (quod plures ante Se Academici olim susceperant) Assessoris in Supremo quod in urbe nostra fulget Dicasterio Regio; eaque fuit de perspicacia Viri Celeberrimi, dicendi juris peritia (quam Sibi diligenti legum studio, et causis in Senatu Academico accuratissime cognoscendis, non mediocrem comparaverat), atque integritate animi opinio, ut splendidissimi Collegii suffragiis judicioque dignus omnino videretur, qui consessui adjungeretur suo. Verum majore alius Aulae favore, generis nobilitate suffulto, valuit; itaque suo porro frui Doctore musis nostris licuit. Cumque rebus nostris sapientius postea constitutis, ac nova stipendiorum percipiendorum ratione Regia auctoritate confirmata, metus penuriae victus esset in posterum; nullo praeterea hujusmodi consilio amorem Suum musarum superari passus fuit,

[14]) De tota hac re cfr. Cel. BILMARK *Historia R. Academiae Aboënsis,* Part. II. § VI. Debemus autem emendatam feliciter rerum nostrarum hanc faciem, magna ex parte industriae sagacissimorum Academicorum (praeter nostrum *Hasselium*) *Nic. Hasselbom, Andr. Bergii* etc.

sed omnem discedendi ab iis cogitationem ex animo penitus ejecit. Perrexit igitur studio quo diximus omnes muneris partes praeclare tueri; nec morem docendi immutavit, nisi quod novissimis viginti annis, a speciminibus abstineret adolescentum castigandis moderandisque, quae profectuum suorum in literis demonstrandorum caussa publicarent; ad juniores hunc laborem collegas deferens, istam Sibi requiem libenter concedentes. Interrupit hoc consilium eventus unicus, atque in cathedram, disputandi hujusmodi exercitio praefuturum, Senem revocavit; cum Nepoti ex Filia dilectissimo, pulcherrimum doctrinae specimen edenti, adesse, et exempli raritas et vis affectus juberet [15]). Quem ultimum esse merito voluit literariarum istarum concertationum actum, se dirigente susceptarum; quo, cum Nepos ingenium probasset ad eximia quaevis praestanda aptum, atque ad honoris stadium amplissimum currendum felicibus Sese auspiciis comparasset, Avus, annis jam gravior, Academicae palaestrae bona omnium venia solemniter renuntiavit.

Interim merita Viri, qui musis nostris longiorem quam ullus ante Se doctor Aboënsis Lycei, eamque fidelem adeo et egregiam praestiterat, quique doctorum tandem omnium, in Patriis Academiis studium suum laboresque literis tribuentium, annis aetateque evaserat administrati muneris Professorii maximus, eam Illi sensim famam eamque gloriam peperere, quae homini videri Academico maxima sane atque jucundissima debet, ut communis fere civium literatorum, qui variam fortunae atque officiorum stationem occupantes, hanc inprimis Patriae oram ornarent, praeceptor haberetur, cunctis charus, cunctis honoratus. Nec mediocrem censendus est Ipse voluptatem percepisse, tot Illustres animo intuens, Nobilissimos, Amplissimos, Venerandos, Praestantesque viros, Suae olim scholae discipulos, Reipublicae cum Civili tum Ecclesiasticae ac Literariae, prudentiam

---

[15]) Dn. CAROLO FRIDERICO MENNANDER, Filio, (Nobili FREDENHEIM), Dissertationem Acad. *de Virtute Liberae Civitatis fundamento praecipuo*, a. 1765 defendenti.

suam, dexteritatem et fidem egregie probantes; cujus laudis non omnino nullam ad se quoque partem pertinere, animus laetus admoneret, adeoque nec Se frustra bene merendi de patria studio flagrasse. Agricolae nempe similis fuit seni, qui lucum perambulans arboribus conspicuum sua manu vel satis olim vel cultis, umbra ejus, huic dum indulget recordationi, multo etiam suaviore exquisitioreque voluptatis sensu perfruitur. Vulgi itaque admirationem, aut quo haec excitari vehementer solet, externum splendorem et aucta dignitatis ornamenta, Noster haud desideravit. Ad aliorum vero studia acrius commovenda, pertinere existimans Illustrissimus Musarum nostrarum Tutor, Cujus adhuc praesidio benignissimo gaudent, ut tanta merita externis quoque istis atque quodammodo sibi debitis decoribus atque praemiis ornarentur, documento futuris illustri, quam certa existimari via ad summi principis gratiam ineundam debeat, si quis meritissimi Senis vestigia presserit: Regi Augustissimo rem demonstravit. Qui incomparabilis Reipublicae ac literarum Stator, nomine atque ornamento *Consiliarii Regiae Cancellariae,* Diplomate die VIII Martii anni MDCCLXXIII dato, nil tale suspicantem Senem, in gratiae Regiae haud ambiguum signum, faventissimis ac gravissimis verbis condecoravit.

Haec igitur publica fuit Viri desideratissimi vita; non insolitis illa quidem fortunae conversionibus admirabilis, non strepitu ac fulgoribus insignis, sed quieto atque aequabili fluens tenore, quales Suae stationis maxime decet atque juvat homines, amnis instar placidi, qui prata camposque aqua sua rigat et nutrit benefica, nunquam exaestuans, nunquam a notis aberrans ripis. Profuit civibus insigniter, patriae fructum attulit uberrimum. Hic ille est splendor, haec gloria, quae sapientum mentes maxime allicit, maximoque et suavissimo charitatis ac benivolentiae sensu ad bene meritorum hominum memoriam colendam et suspiciendam commovet! Neque privatae vitae cursum Noster peregit publica non dignissimum. Cujus ut jucunde feliciterque degendae sociam haberet atque adjutricem exoptatissimam,

matrimonio Sibi anno saeculi hujus XXIX adjunxerat Ornatissimam Foeminam CATHARINAM MEURMAN, Patre natam Amplissimo Viro JOHANNE MEURMAN [16]), Cambii publici quod Regni Ordinum munitur auctoritate fideque, Commissario diligentissimo, Matre autem Conjuge ejus dilectissima ANNA ROSELIA; viduam tum vitam, amisso priore marito [17]), agentem. Jucundi felicissimique conjugii fructus ex Ea suscepit Filios duos et quatuor Filias; quarum una in tenerrima aetate decessit: reliqui ad ornatissimae Familiae decus feliciter quique contulerunt. Sed Filia natu maxima [18]), et Filius minor [19]), e vita jam ad coelites abierunt: Illa Maritum, Reverendissimum nunc Archiepiscopum Upsaliensisque Academiae Pro-Cancellarium, nostri olim Lycei decus, unica beans prole, cum immatura Ipsa morte decederet, Patri tamen Conjugique solatium reliquit svavissimum, Filiolum, impletae jam nunc cumulate spei, nova indies ornamenta Honoratissimis Nominibus praeclare comparantem [20]). Filius natu minor, Judex Territorialis regionum Borgoënsis atque Kymmenensis, dexterrimi Vir ingenii ac

---

[16]) Antiqua orto prosapia, e Westphalia in Sveciam delata, quae et Nobiles quasdam apud nos Familias peperit, et multas alias cognatione atque affinitatibus, (non secus ac illa quae Socrum defuncti Doctoris Nostri progenuit), attingit. Socer autem quatuor ille Professorum Aboënsium fuit, Nostri *Hasselii*, D. *Andreae Bergii*, Archipraepositi et Theol. Prof. Primarii, *Hermanni Diet. Spöring*, Medicinae, ac Dn. *Nicolai Hasselbom* Matheseos Professorum.

[17]) *Samuele Elfving*, Pastore in Kolbäck Westmanniae. Nata a. 1694 die 4 Sept. nupsit Nostro a. 1729 die 10 Sept. ac decessit a. 1760 die 5 Nov.

[18]) JOHANNA MAGDALENA HASSEL, nata a. 1730 die 21 Oct. nupsit a. 1747 d. 3 Maji, D. CAROLO FRIDERICO MENNANDER, Physices tum in Academia Aboënsi Professori: mortalibus erepta fuit die 5 Apr. a. 1749.

[19]) Dn. CAROLUS HASSEL, nat. a. 1738 d. 12 Aprilis; denatus a. 1777 d. Junii, Conjuge Vidua cum filiolo unico relictis.

[20]) Nobiliss. Dn. CAROLUM FRIDERICUM FREDENHEIM, Primum jam Secretarium Regium Expeditionis Rerum Peregrinarum.

eximiae industriae, in flore aetatis, medioque honorum cursu, abreptas est; atque supremis vix justis Paterno cineri persolutis, in Parentum, beatas immortalium sedes incolentium, amplexus properavit. Filius natu major [21]), praesens pietatis et officii nostri testis, Filiaeque duae, cum Maxime Reverendis suis Maritis, in vivis supersunt [22]): quibus, ut caeteris quoque Amplissimae Domus Haeredibus atque fulcris, vitam longam omnibusque affluentem bonis, impense optamus!

Ad Beatum vero Senem nostrum ut oratio revertatur, domesticae Suae cursus vitae aequabilis ac tranquillus etiam ille fuit, nec ullis adversis vexatus, si quem significavimus ex festinata Filiae morte luctum excipias, binasque praeterea, quas experiri coactus est fortunae iratioris procellas. Alteram, quae novo Fenniam nostram bello opprimente, hostilis saevitiae metu vertere solum, domumque ac tecta deserere, fuga in Sveciam arrepta, subegit (quae tamen tempestas, ut foeda fuit, ita brevi transiit): alteram, quae acerbissimum Sibi vulnus inflixit, cum anno saeculi LX Uxorem amitteret charissimam, in cujus amore atque cura ingravescens senectus acquieverat. Tulit gravius hunc casum, fatendum est, quam ii ferri jubent Philosophi, qui affectibus atque adeo amoribus nostris, ne altius in animum penetrare permittamus, quam ut facile ejici inde queant, praecipiunt: ita ut corporis quoque Sui valetudo ab insomniis et animi aegritudine, incommoda pateretur. Sed ni-

---

Magistrum Caerimoniarum Aulicarum, atque Camerarium Ordinum Regiorum Equestrium.

[21]) Dn. HENRICUS HASSEL, Centurio Equitum, nat. a. 1734, d. 16 Jan.

[22]) ANNA SARA HASSEL, nata a. 1732 d. Oct., nupta Dn. DOCT. PAULO KROGIO, Archi-Praeposito Ecclesiae Borgoënsis; et CATHARINA CHARLOTTA HASSEL, nata a. 1735 d. 24 Jun., nupta Dn. Doct. JOHANNI BORGSTRÖM, S. Theol. Lectori in R. Gymnasio Borgoënsi; quae jam naturae legibus satisfecit, d. 20 Dec. anni hujus 1778. Utraque Nepotibus et Neptibus Senem, ante abitum Suum ad immortales, laete auxerat.

mirum vitam isti sapientes torpidam ac sensu vacuam, beatam inprimis putant; cum Nostri, ut ingenium ita animus, constantiae licet addictissimus, languidi tamen ac torpidi nihil, nihil quod in extremo tantum quasi haereret cortice, probare soleret. Quae autem inhaerent altius, nec sine dolore evelluntur. Suo igitur Ille exemplo docuit, morum veram gravitatem, qua B. eminuisse Senem ultro omnes fatentur, a ferocitate tamen et duritia mentis plurimum abesse; nec eos sensus, sine quibus jucunda atque felix esse vita nequit, secludere. Cum vero luctus se paullatim fregisset, recuperavit cum animi tranquillitate, labefactum quoque corporis vigorem. Atque ut aegritudinis penitus stirpem ejiceret, damnumque acceptum resarciret, et rationem simul domesticae vitae in consvetum cogeret alveum, qui Conjugis curae atque fidei magnam semper rei familiaris tuendae partem committere sueverat; ad novas nuptias animum appulit, quas sub finem sequentis anni, cum Vidua celebravit Collegae quondam sui, Linguarum Sacrarum in R. hac Academia Professoris Celeberrimi, M. *Gregorii Stenman*, ornatissima Matrona CHRISTINA MARGARETA PALEEN [23]): cum qua ad finem usque vitae conjunctissime vixit, secundi etiam nunc atque amantissimi Mariti obitum lugente.

Familiae Suae eadem et prudentia et diligentia, qua cunctis officii Sui partibus, gravissimus Vir semper praefuit. Res Suas administravit egregie. Temporis intervallis, maxime aestivis, quibus a laborum Academicorum cura doctoribus respirandi potestas conceditur, (dum juventus, tenuioris ut plurimum apud nos fortunae, ad domesticos lares, longius saepe remotos festinat, nova sibi vitae commode hic degendae adjumenta paratura), praedia Noster, quae non procul ab urbe Sibi comparaverat, invisit [24]); rusticae

---

[23]) Nata d. 20 Jan. a. 1714, Patre Judice Territoriali Aequissimo Peritissimoque Dn. ABRAHAMO PALEEN, Matre Nob. Dn. MARGARETA CATHARINA TIGERSTEDT, honorato utroque apud nos nomine. Nupsit Nostro die 1 Oct. a. 1761.

[24]) Praedia Nobilia *Isbois* Paroeciae Nummis, et inprimis *Bussila* Paroeciae Pikis, (ac olim *Savisala* Paroeciae Sagu, quod

vitae, quam maximi semper fecit, jucunditate fruiturus. Hoc more et corporis vires refecit, et animum a nimia laxavit contentione; aucto mox vigore rursum intenturus. Menti simplicitatis et tranquillitatis amanti, strepitum vero ac tumultum, etiam qui magnifica specie vulgi praestringeret oculos perosae, nulla convenire aptius vita, nulla placere impensius potuit. Itaque nusquam laetior quam ruri Suo, nusquam hilarior vixit. Hospes jucundus et comis, amicos hic lubentissime excepit, Suaeque oblectationis, quantum posset, participes fecit. Neque vero otiosam ac torpentem instituit inter sollertes agricolas vitam traducere; sed animum ipse etiam ad agriculturam curiose applicuit, accuratamque ejus Sibi comparavit scientiam [25]). Novas quascunque rationes, magno licet saepe strepitu commendatas, consiliaque temere praecipitata, avide non arripuit; neque coeca et stupida fide aut imitatione, quaecunque vidit mox probare et amplecti, in more habuit: sed probata longo usu et experientia vestigia, prudens tamdiu persecutus est, donec sollicito examinata judicio et cauto usu confirmata, nova sese magis probassent instituta. Rusticae itaque rei et intelligentia et peritia inter paucos eminuit. Diligentia, ordinis amore, studioque frugalitatis honestae, toti vicinitati praeluxit; quae observantiam Illi et benivolentiam, ut Sui omnes amorem, fidem ac obsequium, ultro laetaque praestabat.

Hujusmodi igitur studiis deditus, atque hac fide et navitate partes suas cunctas agens, vitae cursum implevit. De industria ac intentione animi adeo nihil remisit, ut neque beneficio uti vellet, per Leges Academicas Doctoribus oblato aetate provectioribus ac meritorum laude conspicuis,

---

postea abalienavit) quae nobilitatis jure possidendi, Sibi haeredibusque Suis facultatem acquisiverat.

[25]) Quam de Ratione Rei rusticae in Fennia emendandae (Om Landt-Hushållningens förbättrande i Finland), Nostro moderante a. 1751 Svethice edidit, Dissertatio Cl. *Joh. Welin*, haud contemnenda sollertiae peritiaeque Oeconomicae exhibet documenta.

quo ad otium Se referre, stipendio tamen, quamdiu in vivis esset, integro fruituro, licuisset. Labores enim ferre, grave Sibi nunquam visum fuerat; itaque nec requiem ab illis, quamdiu vires Sibi superessent iis tolerandis pares, desideravit. Prospera autem qua usus a puero fuerat valetudo, viriditatem in senectute etiam peperit, non modo a naturali robore corporis, temperanti ac minime molli vita confirmato, sed ab animi quoque moderatione et constantia, sustentatam. Itaque mentis vires, ad extremam usque aetatem, illibatas fere conservavit; nec oculi admodum frustrabant: pectoris modo angustior spiratio sensim augebatur, ut post motum paullo vehementiorem anhelanti similior esset quam respiranti. Aetatis tandem pondere magis ingravescente, ac lento quodam et occultiore morbo, consveto illius comite, insidiose vires aggrediente, cedendum Sibi esse vidit, ac negotiosam vitam circumcidendam. Versus finem igitur anni MDCCLXXIV, ut requietem animo dare, laxatis priorum curarum vinculis, laboresque Academicos deponere liceret, supplex petiit: quam veniam a Regia Majestate, initio anni sequentis indulgentissime impetravit; talemque impetravit qualem petierat, ut vel redire ad solitos labores, vel vacatione frui muneris, Suo judicio, ac prout aetatis valetudinisque suaderet ratio, integrum Sibi maneret [26]). Rus deinde commigrans, experiri statuit quid ab aëre salubriore levamenti malo suo, vim subinde remittenti, subinde intendenti, sperare liceret: sed adeo non superatum fuit, ut serperet altius, neque unquam vires assiduis diu laboribus fatigatae, plene redirent. Urbem postea denuo invisens, Apoplexia, minante Sibi diutius malo, noctu inter dormiendum subito correptus est [27]), mortis imminentis non incerta nun-

[26]) Litt. Regiis ad Illustriss. Cancellarium Acad. Aboënsis, d: 16 Jan. 1775 datis; Qui additis Suis etiam faventissimis Nostroque perhonorificis Literis, die ejusdem mensis 30 obsignatis, ad Senatum Acad. illas transmisit.

[27]) A. MDCCLXXVI, mense Februario, tempestate procellosa ac nivosa aërem turbante, cujus vehementer deminutam gravitatem Barometri depressio nimia ostentabat.

tia; quae totius lateris sinistri nervos resolvit. Cujus licet primam vehementiam frangere atque superare posse ars Medici videretur, ita ut nec mentis vigor admodum deminueretur, nec somni placidi beneficium (quo felicem semper Se fuisse, solebat gratus praedicare) auferretur, nec doloris saevitia affligeret; impetus tamen acrior fuerat, quam ut firmam fovere convalescendi spem permitteret: quam superveniens tandem Dysenteria, hic locorum tum Epidemica, desperatam plane reddidit, viresque corporis abstulit residuas; vi morbi in tantum denique crescente, ut post septem dierum assultus, die mensis Augusti octavo decimo, anno seculi aetatisque septuagesimo sexto, sopore leni exstinctum, de mortalium numero Virum desideratissimum eximeret. Corpus deinde exanime, in Templo hujus Urbis Cathedrali, omnium nostrum desiderio pietateque pompam lugubrem prosequente, honorifice conditum, decentem placidae quietis locum invenit.

Ita, ad extremum actum vitae fabula perducta, hunc etiam sic peregit, ut sigillum quasi laudi Suae imprimeret; nec illam contentus immortalitatem Sibi peperisse, quam nostrae conservabunt mentes gratissimae, ad alterius illius longeque praestantioris sedem vera via contendit. Portum igitur invectus est tranquillum et tutum, mari in quo mortales jactamur vadoso et procelloso, feliciter superato. Discessit ex vita iis omnibus florens bonis quae optanda fere, sapientibus viris, dum breve hoc mortalitatis iter perficiunt, videantur: praeter virtutem et doctrinam, domo etiam, laude, honore, amicis felix; fortuna quoque quam mediocrem expetiverat, paullo benigniore auctus. Sed commutavit haec lubens, cursu peregrinationis Suae peracto, cum alia beatiore stabilioreque vita. Quantam in reliquis aetatis actae partibus, demonstraverat constantiam, animi firmitudinem et serenitatem; tanta morbi etiam vehementis impetum, et vim mortis appropinquantis excepit. Qui de Religione pie semper sancteque sensisset, beneficiisque ejus atque auxiliis devota frui gratissimaque didicisset mente, neque is hoc ab iis articulo destitui potuit; quibus adjutus atque con-

firmatus, composito et confidenti animo communem mortalibus necessitatem subiit, atque ad veram patriam, a qua vota nunquam Sua praecluserat, placide migravit.

Nobis et meritorum Suorum memoriam colendam reliquit, et vitae morumque imaginem, honestissima imitatione, pro sua cuivis conditione locoque exprimendam. Cumque habeat hoc in se remedium dolor ex clarissimorum virorum ortus abitu, ut quo desiderii sensus excitetur maxime, meritorum ac virtutis splendore, illius obversum mentibus spectaculum, pulcritudine Sua ipsa oblectet simul animum, allevet et reficiat; hoc nos quoque jacturae sensum solatio leniamus, effigiem animo complectentes gravissimi Viri, oculis jam nostris subducti: quam paucis nunc quidem circumscriptam lineis repraesentabimus, accuratiorem perfectioremque pectoribus nostris reconditam perpetuo servaturi.

Atque ingenii quidem, quo pollebat Vir gravissimus, eruditionisque quam complectebatur, formam supra jam demonstravimus. Neque animi imaginem, ipse quem breviter descripsimus vitae Suae cursus, non satis praebet conspiciendam. Candor videlicet mentis atque sinceritas, quae ne suspicionem quidem simulationis et fuci admitteret, simplicitasque morum ab omni artificio remotissima, ex omnibus Suis consiliis, dictis, factisque eluxerunt. Factum illud et calamistratum, ut in oratione ac scriptis, ita in omni vita, vehementer perosus est. Gravitatem honestam, atque ab omni specie levitatis abhorrentem, cum ingenio Suo naturaeque debuit, tum consilio; qui in doctoris persona nugarum studio nihil neque ad contemtum proclivius, neque ab exempli severitate ac sanctitate, quo praeire adolescentibus debeat, alienius existimaret. Severitatem autem amavit non tristem et tetricam, sed humanam et facilem; ut qui in familiari consvetudine jucundus, et ad liberalem usque jocum solutus esset. Sermoni Suo, ex divite quo instructus erat eruditionis apparatu, et suaves adspergere et fructuosas literas noverat, sed loco atque moderate, salis instar et condimenti, non ut fastidium adferret aut satietatem. Fidei ipse haud ambiguae, neque in alios erat suspiciosior; sed

prudentiae tamen et cautioni circumspectae deditus. Quem in literis artibusque tractandis secutus est morem, ut a tricis rebusque minutis ac inanibus mentem cohibens, in momenta tantum rerum majora ac graviora acrem ac diligentem intenderet aciem; eum in omni vita sedulo observavit. Ingenio valuit ad res gerendas non minus apto, quam ad meditandum ac docendum acuto: ut dubium non sit, quin aeque egregiam in Republica, si aliquam ejus partem administrandam Sibi fortuna commisisset, quam in musarum tractandis negotiis, fuisset personam tuiturus. Robur videlicet animi, in propositis urgendis constantia, industriae vigor singularis, consilio sapienter capto feliciter persequendo cuicunque parem reddidit. Ut in sententiis judiciisque non fluctuavit Suis, ita neque in amicitiis incertus fuit. Cupiditatibus superior quae a recto animum deflectere tramite valeant, officiique sancte memor, non Juventutis tantum Academicae, quae maximi Eum semper fecit, sed reliquorum etiam civium honestissimis judiciis late floruit. Paterfamilias fuit attentus et diligens, frugi sed benignus; Maritus facillimus atque amantissimus; tenerrimi in Suos affectus et indulgentiae humanissimae, qui inter lares domesticos non plus severitatis adhiberet, quam quantum Sibi satis ad domum sancte regendam videretur. Quamobrem jucundissima a Suis omnibus pietate cultus, sanctissimae, etiam post mortem, memoriae suavitate mentes eorum occupat et devinctas tenet.

Corporis forma externa, animi significavit internam indolem; firma et robusta compage valida, ac tota ad gravitatem composita. Vultus, candorem demonstravit et sinceritatem, inter illustria perspicacis animi atque meditando adsueti signa eminentem. Vigor mentis emicabat ex oculis, constantis atque honesta libertate erectae. Coacti nihil aut anxii, ficti nihil, nihil inepti, neque in gestibus neque in motu visebatur.

Desiderio igitur talis Viri tanto justiore acerbioreque Musae nostrae moventur, quanto rariora Sui similia omni tempore literis effulgere conspiciantur lumina; quae ne ra-

rius etiam posthac emicent, timere queas, ruente effusius ad levitatem, desidiam ac voluptates saeculo, quod ejusmodi vel maxime egere exemplis ac intercessoribus videatur. Saepius certe humanae vitae contingere, quale nostris perfamiliare est rusticis, spectaculum solet; qui cum silvam succiderunt annosam et maturam, proceris atque in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosam, virgulta cernunt frutetaque humilia et exilia in locum ejus succrescere, imperiteque non raro laetantur. Sed opprimere hujusmodi metum, quem jacturae dolor excitat, sapiens jubet, provida et indefessa Illorum cura, quorum tutela favoreque res nostrae florent, impenseque Musae Patriae gaudent. Nos autem, vel assidua Vitae Suae recordatione laudisque custodia, quasi praesentem inter nos quam diutissime retinere Senem venerabilem conabimur; et vestigia Sua lustrantes, hoc frui virtutis et incitamento et exemplo, diligenter studebimus. Hoc consilio, et pietatem Suae debitam memoriae sancte exhibebimus, et affectui nostro litabimus, et virtuti, literis, posteritati, patriae, pulcherrime consulemus.

Tibi inprimis, Studiosae Juventutis concio, cujus Ille studiis adjuvandis, felicitatique pro virili parte promovendae, omnem curam, omnesque labores consecravit, Tibi carissima esse, post mortem etiam Suam, atque adeo in perpetuum, memoria Sua debet: ut Quem vivum virtutis meritorumque nomine impense dilexisti ac venerata es, Ejus etiam ad posteritatem nomen laudesque grata propagare contendas; atque diligentia praecipue Sua, eruditione, morumque honestate imitanda, praeclarius etiam et Suae gloriae et Tuae venerationis monumentum consecres, quam verborum valeas ullo apparatu, ulla arte, ullo splendore exigere! Ita Suis votis satisfiet rectissime; ita Patriae, ita Literis, ita huic Musarum sedi suum perpetuo constabit decus; ita redibunt subinde in hanc cathedram viri, ingenio, doctrina, virtute, meritis, excellentissimo Doctori similes, quo illas nosque fuisse orbatos, tristes hodie planximus!

PROGRAMMA,

QUOD

DIE XXIX OCTOBRIS A. MDCCLXXXVI

EDIDIT

RECTOR R. ACADEMIAE ABOENSIS

HENR. GABR. PORTHAN.

Caeteras inter artes literasque utiles et praeclaras, neque Historiae Naturalis Studium (illius quam hodie, arctiori fere vocabulorum significatione usi, dicimus) in Auraico nostro Lyceo fuisse neglectum, monumenta rerum nostrarum fidem faciunt indubiam. Inter primos novae Academiae Doctores, *Physices ac Botanices* tradendae provinciam uni mox tributam esse reperimus: quem nec officio suo defuisse, satis constat. (Cfr. Diss. D:ni Collin, sistens *Fata Botanicae in Finlandia*, Praes. Cel. Kalmio ad hanc Acad. edita, § III). Non specimina tantum eruditionis a Juventute Acad. in lucem emissa has literas deinde passim attigerunt, pro more quidem temporis illa adornata, sed diligens quoque Tillandsii opera, cujus libelli ab artis Magistris haud contemtim memorantur, superiori seculo ex instituto persecuta fuit. Ad Medicinae vero et Physices Professores illarum inculcandarum docendarumque curam pertinuisse, facile intelligitur. Novam postea laudem, indeque natum ardorem ac successum, his studiis colendis cum Illustris Linnaei suorumque et amicorum aemulorumque et discipulorum contentio, ingenium, sagacitas ac felix diligentia, sapientium Amplissimorumque Maecenatum fota favore peperisset, et per patriam propagasset; ad nostras quoque oras laudabilis contagionis vis celeriter transiit, auctasque quasi vires ad harum literarum culturam persequendam hominibus praebuit. Praelusit his moliminibus Spöringiani ingenii cultus atque vigor; cujus quanta, in Minerarum inprimis Metallorumque et natura et excoctione perquirenda, diligentia fuerit, vel luculenta demonstrant quae in Bibliotheca Academica servantur laboris sui monumenta. Ultra autem mox processit strenuum Brovallii acumen: qui non mineris modo

pertinaciter examinandis, interioreque illarum indole, notis, familia, cognationibus et affinitatibus feliciter investigandis, aciem quasi illarum instruere singulasque artificiose digestas componere docuit (cujus etiam laboris, ingeniosique non minus quam operosi consilii, documenta egregia conservamus); sed Herbarum quoque cognoscendarum novam tum rationem constantius ad nos detulit, mascule *vindicavit*, et diligenter propagavit. Successit his docta MENNANDRI diligentia amoenique decus ingenii, et incitans haec studia (quae heic docere jam antea instituerat) et ornans, ususque inde redundantis eximia adumbranda specie adjuvans. Sagax in naturae vestigiis persequendis LECHRI mens et patientissima industria, quo nisu quoque successu ad haec studia incubuerit, testantur notissima eruditis, pauciora licet, quae lucem adspexerunt rei utriusque specimina. Sed studiis his ultroneis, quamvis praeclaris, ad Naturalem Historiam excolendam pervulgandamque collatis, nulla hactenus suffultis publica ope, nullis publice comparatis praebitisque *rerum* (quas appellare solemus) *naturalium* collectionibus, nullis commodius accuratiusque observandarum examinandarumque illarum adjumentis, non satis licere in posterum semper confidere rati, qui de flore pulcherrimarum utilissimarumque literarum non conservando tantum sed etiam promovendo solliciti essent Reipublicae tum Moderatores, dare his literis, una cum fundanda iis Oeconomia, tradendis proprium Doctorem constituebant; Poëticesque docendae munere, quod peculiari hactenus magistro commissum fuerat, in Eloquentiae Professorem translato, vacans hinc stipendium novo Professori assignabant. Haec porro provincia viro data fuit administranda, ex cujus singulari industria, trito in his literis tractandis studio, novisque etiam ex memorabili ad eas illustrandas suscipiendo itinere comparandis opibus, praeclara quaevis essent speranda. Nec fefellisse spem, tot et mentibus adhuc nostris oculisque obversantia, et typis etiam vulgata KALMIANAE curae diligentiaeque produnt documenta. Practica enim studio Oeconomiae propagando quamvis praecipuam suam

consecrari debere industriam judicaret; Botanices tamen ac Mineralogiae quoque principia accurate juventuti exposuisse, meminimus. Accesserunt praeterea, quamdiu muneri ille praeesset, varia ad harum adjuvandum literarum studium, Reipublicae beneficio, egregia subsidia institutaque; ut novum, multis nominibus, ab hoc tempore, Naturalis Historiae apud nos excultae exordiri oporteat intervallum. Non modo Minerarum amplissima collectione Academia ditata fuit, accurata LECHEI diligentia in commodum sollertemque ordinem sensim disposita; sed nova etiam Chemiae et Metallurgiae Professione (sibique necessario experimentis faciendis Laboratorio) locupletata; ex cujus opibus egregium ad Minerarum Naturam rimandam sperandum fuit auxilium. Botanices studio sublevando excitandoque *Hortus* liberali impensa publica fuit conditus, Aedificiisque quibus plantae australium terrarum ad nos translatae contra aëris coelique Fennici injurias defenderentur, instructus; species ejus dignitasque pulchris ex Hortis Regiis Augusto favore transmissis aucta arboribus; et pecunia, cum Hortulani ad eum colendum periti conducendae operae, tum reliquis faciendis sumtibus necessaria, beneficentissime concessa. Sed neque privati favoris ac munificentiae egregiis caruit res nostra Botanica documentis. Ad curam Horti intendendam usumque ejus simul adaugendum, et rei Herbariae studium felicius alendum amplificandumque, Praefecto Horti (quod munus Oeconomiae Historiaeque Naturalis Professori injunctum fuerat) hujus curae ministrum adjutoremque, *Demonstratoris* nomine, addiderunt Viri meritorum multiplici laude inclyti, Nobilissimus Dn. JOHANNES HISINGER, Collegii Regii quod Rei Metallicae praeest Consiliarius, et Amplissimus JOHANNES J. HAARTMAN, medicinae in Regia hac Academia Professor, Ordinis Regii Wasiaci Equites ambo dignissimi: stipendio perpetuo, ex Suorum fructu praediorum, novo muneri liberalissime constituto. Herbarum praeterea diligenter exsiccatarum chartisque agglutinatarum egregio thesauro literarias Academiae opes meritissimus idem amplificavit HAARTMANNUS; in quo genere minus licet locupletem, curio-

sam tamen collectionem, quae magni olim OL. RUDBECKII, filii, fuerat, Academiae usibus donaverat Celeb. KALMIUS. *Concharum Cochlearumque* collectionem, quae Cel. *Spöringii* olim fuerat, numerata pecunia in Academiae usus emtam, liberaliter auxit antequam a nobis abiret Reverendiss. MENNANDER, alia etiam quaedam addens rerum naturalium, Regno Animali accensendarum, specimina. Brevissime ac summatim beneficia tetigimus, rei nostrae Academicae in hoc genere exhibita, diligentius alias pro merito, gratissimarum nostrarum Musarum nomine exposita et exponenda. Quae omnia (ut de aucta interim librorum ad has literas pertinentium supellectili nihil dicam, nec illa nullam Civium beneficorum favorem experta), quantum ad incitanda promovendaque apud nos Historiae Naturalis studia contulerint, eventus ipse docuit, nec attinet pluribus jam commemorare. Non factum vero satis ad perpetuam harum literarum in Academia nostra sedem firmandam putarunt, quos supra laudavimus Literariae hujus Civitatis fautores, nisi nova etiam ad eas juventuti tradendas atque inculcandas, ab Oeconomiae docendae provincia separata, institueretur Professio. Itaque postquam in se solum stipendii, Demonstratori ad Hortum Botanicum constituto solvendi onus recepisset, deque illo perpetuo e suis quibusdam praediis pendendo cavisset Nobilissimus HISINGER, assignatam antea suae stipendii nuper memorati solvendae parti praedium, addita praeterea non exigua pecuniae summa, novae fundandae Professioni, cui *Artis* etiam *Veterinariae* docendae, quo uberior inde rei Oeconomicae fructus accresceret, adjuncta est cura, denuo obtulit Celeberrimus HAARTMAN. Quam utriusque liberalitatem cum Academiae admodum proficuam judicasset, qui perpetuam teneramque de salute sedis hujus literariae promovenda agit curam, ILLUSTRISSIMUS noster MAECENAS, ad REGEM AUGUSTISSIMUM rem detulit, suaque commendatione ita ornavit, ut non modo Regia approbatione novum institutum confirmaretur, sed conditiones quoque ratae esse omnes juberentur, quas adjunxerat ei Cel. HAARTMANNI pro consilii sui meta certius contingenda pro-

vida sollicitudo. Itaque Clementissime fuit constitutum, non modo ut praeficiendus novae huic administrandae provinciae Doctor, suique deinceps successores, Medicinae cum reliquis suis studiis diligenter conjunctae solennia exhibere deberent documenta; sed ut iidem etiam, minus alioquin lauto, quam quo Regia olim beneficentia collegis eorum munifice prospexerat, salario fruituri, pari quo reliqui Philosophiae Professores jure, ampliora Regia stipendia suo ordine percipiendi, uterentur; atque concessum ut Nepoti Institutoris ex Sorore, *Philosophiae Medicinaeque Doctori Experientissimo D:no* GABRIELI BONSDORFF, quem istis tractandis studiis mature innutriendum ipse curaverat, prima sors beneficio fruendi Avunculi sui, impertiretur. Qui domesticae Hujus institutionis disciplinaeque alumnus, cum Historiae Naturalis, tum aliarum, quas Philosophicarum vulgo salutamus nomine, literarum fundamentis studiose apud nos jactis, honore Magistri auctus Philosophiae, ad Upsalienses transiit musas, Medicinae inprimis studia continuaturus: quorum diligenter cultorum honorificum testimonium promeritumque eruditionis copia Doctoris nomen inde retulit; aliis etiam quibusdam scholis unde suarum peritiam literarum augere posset, interim haud incuriose salutatis. Novus igitur hic *Historiae Naturalis et Artis Veterinariae*, auctoritate Regia constitutus *Professor*, demandatum sibi munus more solito solenniqne Oratione jam aditurus est; cui festae peragendae solennitati cum diem crastinum, qui mensis hujus est XXX, praestituerimus, publice illam indicere atque ad illam nobiscum celebrandam Musarum nostrarum Patronos et amicos invitare, officii nostri ratio jubet.

PROGRAMMA,

QUOD

DIE XXI MAJI ANNO MDCCLXXXVII

EDIDIT

RECTOR R. ACADEMIAE ABOENSIS

HENR. GABR. PORTHAN.

Mirum est luctus desideriique mentes hominum versantis ingenium, quo, easdem sensu licet tristissimo vexans, vehementi tamen simul sui quasi amore quodam fascinat; ita ut nec facile eripi cogitationibus suis factae imaginem jacturae patiantur, et in illa contemplanda affectuque tenero prosequenda voluptatem etiam quandam atque solatium quaerant, renovari subinde ipsam plagae suae memoriam, et tanquam refricari vulnus gaudentes. Percepta olim ex cari hominis vel favore vel familiaritate atque consuetudine delectatio, mentem ad captandum ex fallaci quoque umbra sibi objecta eundem svavitatis sensum pellicit, quem saepe veritas quondam peperit: cujus ipsa memoria recolenda, placet sibi animus. Ad quem sensum si officii etiam, gratae mentis et pietatis cogitatio accedit, si admirationis et venerationis intenditur motibus iis quos splendor virtutis, egregiorum ordo meritorum illustrisque imago laudis excitant; tum vero ingenti animum vi adoriuntur, flectunt, subjugant, suisque tanquam illecebris ipsam doloris acerbitatem leniunt atque redimunt. Cujus rei non aliam insigniorem praesentioremque nos habuimus experientiam, quam quae superiore anno nobis contigit, cum tristis huc nuntius afferretur, ereptum fuisse mortalibus clarissimum Literarum Ecclesiaeque Patriae lumen, nostrarum olim rerum praecipuum columen, ac postea etiam grande decus, *Ecclesiae Svio-Gothicae Archi-Episcopum, Upsaliensis Academiae Pro-Cancellarium, Membrum Ordinis Regii de Stella Polari, Regiae Academiae Scientiarum Svecicae Regiaeque Societatis Literariae Upsaliensis Socium, Reverendissimum Eminentissimumque Dominum Doctorem* Carolum Fridericum Mennander. Ex quo nuntio conceptus moeror, cum saevis animum pungens aculeis repellere a propiore cladis

suae contemplatione videretur; sensus mox amoris atque venerationis, memoriaque meritorum et beneficiorum Suorum, ad illas laudes pie recolendas revocavit, unde quamvis magnitudo jacturae appareret, tamen alimenta simul gratis piae mentis motibus praeberentur, assidua svavique aucta pristinae felicitatis quasi spectaculo. Atque permixti hi, indeque etiam validiores, sensus motusque, jamdiu vehementer animos nostros exercentes, intra mentem aestuare haud contenti, erumpere quoque et claustra pectoris refringere tanto acrius annisi sunt, quo uberiorem quoque justiorem in publica jactura nostrae inprimis Musae, et illam dolendi et suam palam pietatem proferendi, et merita decoraque Summi Viri celebrandi, materiam haberent. Amiserant, Patria civem egregium et cordatum, Ecclesia Antistitem gravem, sanctum atque prudentem, Literae ornamentum, Scholaeque omnes et cultores bonarum artium Maecenatem, tutorem et patronum faventissimum; sed nulla tamen rei publicae pars, tot quot Auraicae nostrae Camenae, Ei devincta fuerat nominibus, tam diu ingenio suo, doctrina, diligentia caeterisque fruita fuerat virtutibus, tot curae, liberalitatis, amoris sui perceperat documenta. Ad tristem igitur tanti Viri amissi nuntium, circumfudit animos nostros ingens cohors meritorum Suorum, apparebant numerosi multiplicis necessitudinis tituli, tota simul quasi oculis obversabatur luctificae cladis imago. Recordabamur nostrae fuisse gentis propaginem, in Fenniae sinu educatum, nostrarum Musarum alumnum; ex his umbraculis in illum solem processisse, omnes hic quasi gradus scandentem, ac ad illas hinc enisum fuisse laudes quibus per totam deinde patriam claruisset: adolescentem hic nostrorum hominum pavisse spem, juvenem virumque implevisse, ac flores pulcherrimos ineuntis aetatis egregiis uberrimisque fructibus maturioris superasse. Occurrebat animo, ex illis ingenii eruditionisque divitiis, non usum modo nobis nostrisque Musis insignem, sed laudem quoque et decus accrevisse. Subibat mentem tempus illud jucundissimum, cum Lyceum nostrum Sua ornaret doctrina, Sui lumine ingenii illustraret; cum

Suae svavitate eloquentiae mentes nostras demulceret moveretque; cum naturae divitias pandens miraculaque explicans, in admirationem simul venerationemque Numinis adduceret animos; cum sanctissimae praecepta religionis et explicans distincte et graviter inculcans, frugifera pietatis semina in mentes juventutis Academicae spargeret. Memineramus, quam docte, quam prudenter, quam benigne et fideliter, juvenes discendi caussa ad hanc literarum sedem undique confluentes, omnigenae sapientiae augeret opibus, consiliis monitisque saluberrimis formaret, fortunam eorum adjuvaret, quamque paterno illos affectu complecteretur; quanto ab iis vicissim amore et pietate, quamque merito, coleretur. Succurrebat, quam teneram, quam indefessam, hujus Lycei suorumque commodorum et salutis curam, postquam ad eminentiorem evectus stationem rebus ejus tuendis praefectus esset, quantoque successu, gessisset: quam vigiles pro emolumentis ejus amplificandis, inopia levanda, instrumentis institutisque iis quibus ad literas feliciter colendas opus est, comparandis et suffulciendis, in Comitiis Regni, unde omnis tum spes subsidii pendebat, excubias egisset; quantum gratia et auctoritate, qua apud Illustrissimos Academiae Cancellarios singulari semper valuit, et ad publicas Musarum nostrarum et ad privatas Academicorum res commendandas, adjuvandas, ornandas, per quatuor lustra contulisset; quanta non modo sapientia, fide studioque rebus Academiae toto illo intervallo praefuisset, sed benignitate et liberalitate ex privatis etiam copiis, publicis nostris necessitatibus subvenisset; quanta denique humanitate, quanta benivolentia, et doctores hujus Lycei et cives reliquos cum publice tum privatim habuisset atque excepisset: ita ut jucundissima summo merito, laudatissima ac felicissima illius temporis apud eos omnes et maneat et mansura semper sit memoria. Monumenta perennia illustriaque impensarum Suarum pro re Academica curarum atque in eam meritorum, menti recursabant: *Professio* nova *Chemiae et Metallurgiae* constituta publicoque stipendio dotata, parta publice ad Hortum Academicum instruendum, Minerophyla

cium emendum, Theatrum Anatomicum Laboratoriumque Chemicum aedificandum, liberalia subsidia; quibus omnibus rebus carere olim Academia nostra cogebatur. Testes munificentiae Suae animo admovebantur, Bibliotheca publica benigne et exquisite aucta et ornata, Conchyliophylacium Academiae locupletatum, aliaque praeterea amicissimi Sui in literariam hanc civitatem animi documenta. Ingenii, industriae et doctrinae Suae coram erant monumenta, digna illa Auctoris laudibus, numerosa typis etiam vulgata, quibus lucem omnis generis literis praeclaram, egregiam huic Lyceo famam, opemque juventuti uberrimam et ad sciendi proclivitatem, et ad judicandi facultatem, ac gustum quem dicere solemus, sanum et exquisitum confirmandum, comparaverat. — Qui Juvenis elegantioribus feliciter litaverat studiis, ex his, severioribus quoque illis ad quae postea colenda sese contulit, venustatem cum dignitate conjunctam impertire noverat. Oratoria laude, et Latine dicens et vernacula utraque (nam et Fennici sermonis singulari eminuit facultate), quam insigni polleret, sive Academicam ornans Cathedram, sive Divinas e suggestu veritates explanans et vim illarum salutarem animis hominum inprimens, sive merita egregiorum virorum solenniter celebrans, sive publicos civium sensus explicans; nostris excidere mentibus minime poterat, in tanta omnium consensione hominum, hanc facultatem Suam constanter admirantium. — Deleri ex memoria nostra nunquam poterit, quam excellente et saepe alias, et novissime cum indulgentissima Rex Augustissimus praesentia Sua Lyceum nostrum bearet, in desideratissimo Praesulé Musae nostrae et interprete et duce gauderent. Nunquam gratissimis nostris effluet ex animis, quam certum semper et in rebus ad doctrinae cujusvis elegantiam et ad quasvis etiam reliquas eruditionis copias spectantibus, in Illo oraculum haberemus, quod consilii aut opis literariae indigis adire prosperrime omnibus liceret; qui Bibliothecae praeterea et locupletissimae et selectissimae opibus, collectis rerum cum naturalium tum artificialium varii generis copiis, antiquitatis, atque Fennicarum inprimis litera-

rum (ita dispersarum atque vastatarum, ut nusquam nisi in Suo illo penu refugium invenisse viderentur) egregiis monumentis, prodesse musarum quarumvis maximeque nostrarum, nec non artium omnium ingenuarum cultoribus valeret; quorum singulorum ingenio atque conatibus impense semper favit. Noverant adolescentes, se in Illo industriae, eruditionis, partaeque dexteritatis et acrem speculatorem, et judicem peritum, et patronum benignum certumque habere: quam efficax ad juventutis studia incendenda incitamentum! Noverant doctores Academici, diligentissime impensum in partibus officii sui implendis studium unam certissimamque esse rationem Maecenatis favorem et benivolentiam singularem promerendi, Cujus benignum judicium maximi omnes faciebant, atque praemii instar vel solum reputabant. Sed nec in Ecclesiam universam et inprimis Fennicam, quanta Sua essent merita, aegras nostras mentes praeteriit: quam sollicitus quamque idoneus fuisset castae puraeque religionis custos; quam prudens et diligens rerum omnium ad curam gravissimi muneris pertinentium moderator; ordinis et severitatis, sed justae, aequabilis et sapientis, non illius quae nodos in scirpo quaereret, amicus, integritatis atque animi a privati lucri studio alienissimi ea florens laude, quae a macula vel levissimae suspicionis tuta maneret ac illaesa. Qui per vastissimum terrarum spatium porrectas Dioecesis Suae ecclesias, non commodissime omnes adeundas, impigre tamen obiit, obiissetque saepius, nisi ab aliis, iis inprimis temporibus frequenter ingruentibus, prohibitus fuisset muneris tuendi officiis. Qui Synodis cogendis Sacerdotum studia literaria diligenter explorare, efficaciter excitare, paterne adjuvare, vigilantiam, curam, pietatem, consiliis, monitis et exhortationibus incendere et instruere, adeo non neglexit, ut libentissime has occasiones, fructum familiaritatis et consvetudinis Suae, caris sibi hominibus quorumque vicissim amore et veneratione sincerissima gaudebat, impertiendi, quoties per alias occupationes liceret, amplecteretur. Quem Editionibus Sacrorum Bibliorum Fennicorum binis, iisque praeclaris et diligenter

Index partis quartae:

	Pag.
Historiola concionum sacrarum Fennicarum . . .	1 — 32.
De superstitione veterum Fennorum theoretica et practica	33—115.
De Bircarlis	117—163.
De antiqua gente Qvenorum	165—179.
De fama magiae Fennis attributae	181—194.
De imperio Hermanrici Ostrogothorum regis . . .	195—214.
Dissertatio historiam Borgoae urbis Nylandiae leviter adumbrans	215—251.
Observationes circa historiam decimarum ecclesiasticarum in Svecia	253—274.
De anno suscepti a rege Erico sancto imperii et expeditionis in Fenniam motae	275—286.
De expeditione Johannis I:mi Svercheridae in Livoniam	287—299.
Observationes nonnullae de dignitate Jarlorum in Svecia	301—315.
De praecipuis dialectis linguae Fennicae	317—331.
Observationes circa historiam denarii Petrini in Svecia	333—356.
Oratio funebris in memoriam Henrici Hassel, professoris	357—390.
Programma, d. 29 Octobris a. 1786	391—397.
Programma, d. 21 Maji a. 1787	399—407.